Atticismi et proprietatis linguae hic autor non observantissimus, ut
[illegible] documentis ostendit Cl. D'Orvillius in Animadversionibus. Quo
[illegible] quod γαῦ dicit in Nomin. Plurali pro γῆς aliquoties, et
Lib. III. Pag. 45. vs. 11. ὑπὸ δειγῆς ἀπορίας κατείχετο τοῦ γεγονότος
[illegible] pro ἕνεκα τοῦ γεγονότος, sive διὰ τὸ γεγονός.

[illegible] Charitonis loca tractantis dans la Biblioth. Raisonnée d'Octobre,
Nov. et Dec. 1750.
Pag. 339. Charit. Pag. 5. tentat ὑγιεινὰ [illegible]
Pag. 6. τῆς [illegible] τῶν [illegible] προσ[illegible] [illegible]
[illegible] κατείχετο. il entreprit de corriger la servante, mais
sans insister beaucoup. [illegible]

Pag. 346 Charit. Pag. 113. tentat προῆλθεν οὖν τις ὡς πρὸς Χαιρέαν, καὶ εἶπεν
347 12. quidam tentat — [illegible] ἐδύνατο καὶ [illegible] βοηθεῖτε. [illegible] autor re-
censionis tentat [illegible] ἐδύνατο [illegible], καὶ βοηθεῖτε (εἶπεν).
24. tentat ὡς οὖν [illegible] τῆς [illegible] γεγενημένης.
41. tentat κύριος γὰρ [illegible] ἔχεις αὐτοῦ? adducto ex
Evang. Joh. Cap. VIII. Com. 47. [illegible] καὶ ὑμεῖς [illegible].
104. tentat pro edito — πῶς ἄλλοι [illegible] conicit — πόθοι [illegible] διά-
φοροι.
140. Conjectat ἐπεκυρώσατο, quamquam magis probat interpreti Reis-
kii conjecturam.

[illegible] Pag. 113. eo sensu vera est lectio, ut idem sit qui [illegible] et [illegible]
de quibus vid. Suidam, Hesychium, Etymol. Magn. et H.
Steph. Thes. V. [illegible] ı [illegible]. Nam omnes ut bellum cum
[illegible] [illegible] procedit.

Pag. 16 vs. 1 [illegible] refert hoc Chrysost. Tom. 1. in V. T. Pag. 272. C, [illegible]
[illegible] τὸ [illegible] ὡς [illegible], ὃ [illegible]
[illegible] (f. [illegible]) τοῦ [illegible], [illegible], ὅτι [illegible]
[illegible]
τῶν [illegible].

[illegible]: usus iam est hoc autore in adornando Ling. Gr. Thes. ut docet praemissus Thes.
[illegible] Graecorum Catalogus. Et citat Conn. [illegible] Pag. huius Edit. 43. [illegible] in V. [illegible]
[illegible]

[illegible] 5. vs. 7. vid. [illegible] II. Pag. 453. B.
[illegible] 21. Vid. Koen in Dils. Critico Jurid. Inaug. Franek. 1758. Edit. legit πάντας δὲ [illegible]

Donum Celeberrimi Editoris

Cuius quaedam loca tractata a Cl. Ernesti in Actis Lips. ad Ann. 1751. p. 97 seqq.

MICHAELIS GAVASSETII

NOVELLARIENSIS,

PHILOSOPHI, ET MEDICI,

Libri Duo.

Alter de rebus præter naturam,

Alter de Indicationibus curatiuis,

seu de Methodo Medendi.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Apud Paulum Meietum Bibliopol.

Patauinum. M. D. LXXXVI.

LAVRENTIO MASSAE
VIRO CLARISSIMO,
ET
SERENISS. REIPVB. VENETAE
ARCANA INCREDIBILI FIDE,
AC PRVDENTIA SINGVLARI
custodienti.

Michael Gauassetius Nouellariensis.
S. D. P.

C*ÆCOS illos, & parum prudentes iure optimo semper existimasti Massa Clarissime, qui, vt circunfluant omnibus copijs, & in omnium rerum abundantia viuant, neque diligunt quenquam ex animo, neque à quopiam diligi patiuntur, cum tamen quæ parant, cui parent, nesciant; nec cuius causa laborent.* Etenim *quid in hominum vita stultius esse potest, quàm eosdem vt plurimum copijs, facultatibus, opibus possint, cætera parare, quæ parant, pecuniam, agros, domos amplas, vasa preciosa, amicos uerò non parare optimam, & pulcherrimam vitæ supellectilem? Neque in amicitia colenda finem illum tibi constituisti, quem plerique hoc tem-*

pore Biantem ſecuti ſibi conſtituerunt, ſic amare oportere, vt aliquando ſis oſurus: etenim quid in beneficijs conferendis, & in benefica erga tui ſtudioſos uoluntate oſtentanda plenius, quid cumulatius fieri potuit? hoc iam in Gymnaſio Patauino experti ſunt multi; id prædicant omnes, & ſum ipſe teſtis; cuius præclara fama, & liberalitatis opinione, beneficentiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, beneuolentiam, & facilitatem declarandam ductus, nihil habui antiquius, quàm ut ego, qui te Clariſsime Maſſa de facie uix noui, aliquam voluntatis, ne dicam cupiditatis erga te meæ ſignificationem oſtenderem. Ad captandam vero beneuolentiam, ad copulandas hominum uoluntates cum nihil aptius eſſe nouerim, quàm virtutis opinionem, non equos, non canes, non aues, non aurum, non argentum, quo alij maximè delectantur, tibi deferendum curaui, ſed quaſdam lucubrationes, & uigiliarum mearum labores nomini tuo dare, donare, conſecrare non dubitaui, quos tu acriore tuo iudicio probares, & probatos pro pignore obſeruantiæ in te meæ putares; id feci, eoque libentius feci, quòd cum à te vno diſceſserim, paucos ne dicam neminem cognoſco, qui de aliorum doctrina & virtutibus, ſeuerius, ac iuſtius quàm tu iudicare poſſit: quod vt probem non longè mihi petenda ſunt argumenta. Etenim dum viros doctiſſimos, celebres, & fama claros, quibus floret Gymnaſium Patauinum, contemplor, in ijs tanquam in ſpeculo lumen animi, ingenij, doctrinæ, conſilijque tui mihi videre videor; quando in horum delectu quem unquam probaſti, qui & moribus, & doctrinæ genere non omnium opinionem ſuperarit? hoc idem confirmant literarum, & græcarum & latinarum ſtudia, in quibus à pueritia ita uerſatus es, ut Nicolaus Maſſa omnium, & Philoſophorum, & Medicorum ſui temporis facile princeps ſpe quadam incredibili tuarum uirtutum inflammatus te adoptarit, bonorumque ſuorum tabulis teſtamenti hæredem inſtituerit. Prætereo quòd cum ab humanioribus ſtudijs ad altiora, & grauiora te contuliſſes in ijs tu Patauij tanto ſtudio, diligentia, & aſſiduitate verſatus es, vt

nihil

nihil fuerit tam occultum, nihil ab ipsa natura tam inuolutum, quod acumine ingenij, quo maxime flores, non fueris assecutus; cælum, terras, inferiora, superiora quæque ita perlustrasti, vt nemo sit, qui non existimet naturam tibi uni omnia secreta sua credidisse, atque in te vno omnium uirtutum exemplar, & optimæ Reip. imaginem elucere, vt mirum non sit, si Venetorum Serenissimus Senatus existimauit ad felicitatem suam maxime pertinere, si talem, ac tantum virum haberet, cuius fidei atque prudentiæ arcana sua committerentur: præsertim cum patris tui Antonij Carisini, fortissimi, ac præstantissimi viri fidem in rebus maximis iam spectatissimam haberet, meritaque illius erga se tanta extarent, quanta nulla unquam ætas, nulla omnium seculorum posteritas obscurabit, quando obsidione Turcarum periclitanti Nauplio sub Landi Ducis principatu vndecies naui sua non sine graui dispendio, & maximo vitæ periculo, subsidium tanta animi virtute tulerit, vt vnum Antonium sibi bellum fecisse Turcarum Princeps fateretur, diceret, gloriosè prædicaret. Is nempe suo ad Serenissimum Venetiarum Senatum pacis causa legato iussit, ut priusquam Senatum conueniret, aut quidquam ageret cum eo, Antonij illius progeniem (in eo enim bello ipse cunctanter pugnando defecerat) diligentissimè perquireret, & nihil quidquam ageret, nisi ei quæcunque esset, cumulatissimè satisfactum videret, vt, cum quo bellum habuit, cum eo etiam pacem iniret. Hac itaque dignitate ornatus Massa Clarissime, & domi & foris ita te præbuisti, vt omnes prudentiam, sapientiam & doctrinam tuam cum summa eloquentia coniunctam cognoscerent, & cognitam admirarentur: hanc Pius IIII. Pontifex Maximus ex grauissimis sermonibus, quos creberrimos pro temporum opportunitate, cum esses Romæ secum habebas, enixè attendens te in purpuratorum collegium cooptasset (quod Illustrissimus Cardinalis Borromæus tanti Pontificis nepos in quotidianis suis collocutionibus cum tua summa laude affirmare solebat) nisi tu (quæ tua in patriam maxima semper fuit fidelitas, & maior in dies elucet) audacter obstitisses.

tisses.

tiſſes. Hoc in multis tuis ſcriptis maximè ſuperioribus annis comprobaſti, quando Aloyſium Mocenicum Ducem & Principem omni laude maiorem in funere præclara illa oratione tantis plauſibus, tanta totius conſeſſus approbatione laudaſti: in qua te Oratorem verbis grandem; ſententijs ſapientem; genere toto grauem præſtitiſti: Ommitto argumenta quamplurima, quibus opinio, quam de te concepi, facile probari poßet, ne præclaram, & admirabilem tuarum uirtutum famam inepta, & inſulſa oratione mea obſcurare videar. Cum itaque tu ſolus ſis, cui tantum tribuam, vt de hac mea tenui uigilia quid ſentias, ad ingenij mei commendationem plurimum referre putem; hanc vnam tibi dicaui, quam per ſe obſcuram tuum teſtimonium illuſtrabit: quod ego ſi aſſequar, & meam, quam profectò in hac epiſtola vides elucere voluntatem, animique ſingularem ad te amandum propenſionem amplectaris, dabo operam, quantum in me erit, vt omnes intelligant nihil mihi gratius amicitia, nihil optatius protectione tua, contingere potuiſſe: Vale.

CHRISTOPHORVS HVENERVVADELIVS HELVETIVS

Lectori. S. P. D.

MIRABAR antea, candidissime Lector, cur in administrandis medicamentis, quę ab antiquis scriptoribus, iisq; probatissimis proponuntur, rarò aut summa cum difficultate medici optatum finem consequerentur: nunc uerò postquam ex hac doctrina cognoui, nulla ratione fieri posse, ut quis absq; cognitione rerum præter naturam, & absq; methodo curatiua, aut auxilia opportuna inuenire, aut eadem inuenta rectè administrare ualeat, in hanc ueni opinionem, Hippocratem, Galenum, Alexandrum, Aetium, Paulum, Oribasium, Rasim, & alios quosq; scriptores, tùm Gręcos, tùm Arabes, in curandis morbis ea proposuisse medicamenta, quæ ad profligandos morbos sibi uidebantur opportuna, neq; in iis proponendis huius aut illius ægrotantis, ægritudinisve naturam spectasse, non proprietatem, non tempus, non locum, non modum aut mensuram; non quòd ignorarent hæc ad curationem morborum esse summè necessaria, sed quia existimabant neminem futurum, qui medicamentis propositis commodè uteretur, qui methodum non haberet, qua quouis morbo sibi oblato, & præsidia opportuna inueniret, atq; de inuentis iudicaret, quo tempore, loco, & mensura quis rectè administraret. De qua doctrina etsi Galenus copiosè fuerit locutus, nihilominus cum ex ea quamplurimæ inter uiros celeberrimos oborirentur difficultates, factum est, ut multi hac arte neglecta empiricè potiùs quàm dogmaticè medicamentis abuterentur, ut mirum non sit,

si ex

ſi ex uſu probatiſsimorum medicamentorum optato fine fruſtrarentur. Hoc itaq; cum animaduertiſſet excellentiſsimus Gauaſſetius beneuolentia erga ſtudioſam iuuentutem ductus, artem hanc neglectam, & iam penè deſtitutam in lucem reuocauit, cuius diligentia, & labore factum eſt, ut difficilioribus quæſtionibus enodatis, nemo ſit, qui cum hanc doctrinam deguſtarit, abſtruſa quęq; antiquorum non intelligat, difficultates non dirimat, & remedia iam ab illis propoſita rectè adminiſtrare non poſsit. Tu itaq; doctiſsime Lector, pro tua benignitate ſingula quæq; lectitabis, ponderabis, atq; tuo prudentiſsimo iudicio, nunquid rectè ſenſerim, iudicabis. Vale.

INDEX RERVM
MEMORABILIVM
Quas in errratis restituendis obseruauimus.

Sanguinis

S

T

INDEX RERVM MEMORABILIVM FINIS.

INDEX CAPITVM OMNIVM:

LIB. DE REBVS PRAETER NATVRAM.

INDEX CAPITVM OMNIVM

Libri de Indicationibus Curatiuis.

Inter

Tempora

FINIS OMNIVM CAPITVM.

Errata sic corrigito, Litera p. paginam; l. lineam demonstrabit.

Pag.6.l.28. lege lædentem. pag.7.l.13. legatur constitutio. p.9.l.29. mucum pro omnium, l.35. euacuatione pro ratione. p.15.l.5. deest primo lædens operationem, l.16. enim primo pro nume. 1. p.16.l.18. deinde pro dicit. p.38.l.ult. fomes pro fumes. p.43.l.23. uisio pro uitio. p.45.l.11. ferit pro fecit. p.49.l.9. utrique pro utique, l.39. sensata pro tentata. p.54.l.8. uarietas pro uanitas. p.58.l.38. doceret pro docuit. p.60.l.35. prius pro puris. p.61.l.30.31. ne dum pro medium. p.65.l.25. lege 12. pro 22. p.66.l.20. hinc pro bene. p.67.l.3. duo pro dico. p.70.l.37. uoco pro uero. p.73.l.3. lege quoniã nihil. l.12. lege causa est ordine præferenda. p.75.l.24. iudicari pro indicari. p.85.l.36. sic pro sed. p.95.l.22. uerum pro ductũ. p.99.l.9. ciue pro statuendum est. l.28. omnino redundat p.101.l.31. ue pro uero. p.104.l. antep. diæta pro deata. p.109.l.21. non ut casso redundat. p.113.l.23. abire pro ab re. p.115.l.14. lege 3. pro 93. p.118.l.1. fuerint pro faciunt. p.124.l.42. fuisse pro fecisse. p.126.l.37. incongruum pro congruum. p.128.l.31. lege funditus deleatur. p.136.l.17. coacti simus pro constituimus. l.28. offerre pro afferre. p.140.l.16. incorsit pro intersit. p.152.l.34. od redundat. p.153.l.9. solet pro solent. p.173.l. antepe. exustionem pro exuctionem. p.176.l.23. lege xj. pro 81. p.183.l.26. periti pro perosi. p.184.l.23. quia pro qui. p.191.l.13. erus pro eius. l.42. uel pro uei. p.192.l.13. ab pro ad. p.198.l.16. abutuntur pro abettuntur. p.209.l.30. ciensque pro suinque. l.35. inedia deest.

MICHAELIS GAVASSETII NOVELLARIENSIS.

De rebus præter naturam. Lib. I.

Propoſitio. Cap. I.

CVm in arte curatrice nobis uerſandum ſit, cuius finis eſt humanum corpus ab omni affectu tam interiori quàm exteriori uindicare, ob id ſtatui cum Galeno 2. Meth.6.non eſſe præter rationem,ſi omnis morborum numerus prius breuiter perquiratur, ut inde intelligamus, quando ſe obtulerit occaſio,de quonam morborum genere nobis futura ſit diſputatio. id quod eò libentius facio, quòd uiri quidã excellentiſſimi longioribus diſputationibus quã par ſit,& ad finem artis parum aut nihil faciẽtibus rem totam cõmiſcuerunt ac perturbarunt, uoluminaque maledictis, contumelijs, iracundia, contentionibus, concertationibuſq; plena contra ſuam, dignitatemq; philoſophiæ in lucem ediderunt,& quod minus ferendum eſt in illis ſibi tantum arrogant, ut ſibi ſoli ſapere uideantur, immò inani quadam gloria ducti & leuem cuiuſdam opinionem ſecuti, nonnullos quoque nomine ignorantiæ cõdemnare auſi ſunt, quorum doctrinam neque audierunt unquàm, neque fortaſsè illorum nomen cognouerunt, quamuis neminem exiſtimationis ſuæ acriorem quàm eſſent illi defenſorem haberent.

Verùm ne nos, eodem, quo illi crimine plectamur ad rem ipſam accedamus: & cum morbus ſit unum ex ijs, quæ præter naturam ſunt numerum quoque illorum quæ ſunt præter naturam nouiſſe non erit inutile, ut uerò res præter naturam ab his, quæ ſunt ſecundam naturam & non naturalibus

distinguantur, opportunum fore iudicamus, si omnium rerum tam naturalium quàm non naturalium breuis quædam, & quantum proposito nostro facere uidetur, tradatur cognitio.

Diuisio rerum ut à medico considerantur. Cap. II.

AT quando numerus rerum per diuisionem potissimum habeatur, ut docet Gal. 2. meth. 6. & ratio rei diuidendæ ab essentia rei proficiscatur, propterea rerum essentia prius est nobis proponenda.

Verùm ne in æquiuoco laboremus, hoc unum est animaduertendum res ipsas à medico considerari non absolutè & quocunque modo, sed ea ratione, qua ad humanum corpus pertinent. Hæ autem bifariam cõsiderari possunt, uel ut corpus humanum complent, uel ut in idem absolutum & perfectum agunt: si considerantur ut corpus humanum absoluunt, omnes secundum naturam uel naturales dicentur, cuiusmodi sunt facultates omnes ac uirtutes singularum partium, calor innatus, spiritus omnes, nec non humores tum alimentales, tum excrementitii, temperatura, & quæ temperaturæ cognata sunt, una cum iis, quæ necessariò accidunt, ueluti est unitas & compositio.

At si considerantur ut in corpus humanum agunt, uel actu uel potestate agunt, si considerantur ut actu agunt, uel statum humani corporis secundũ naturam custodiunt, uel eũdem cum ab optimo recesserit ad naturalem reuocant: & sic ab effectu res secundum naturam uel naturales uel salubres nominantur: quòd si humanum corpus à naturali statu inflectunt ac deturbant, & in statum præter naturam detrudunt, ab eodem effectu res præter naturam siue præter naturales insalubresve nominari possunt.

Verùm si considerantur non ut actu agunt, sed pro natura sua, & ut possunt agere ex Gal. 11. Meth. 1. neque secundum naturam, neque præter naturam dicuntur, quare non naturales commodè uocari possunt, quæ uel uirtutes habent simplices uel mixtas: uoco autem uirtutes simplices in rebus simplicibus, cum omnes uel iuuant uel nocent, mixtas uerò cum ex iis aliæ iuuant, aliæ nocent, ueluti est opium, quod secundum partes alimentales prodest, secundum ueneficas nocet, quare facta comparatione ad diuersas operationes, quę uirtute illius in humano corpore fiunt, & secundum naturam & pręter naturam dici nominarive potest. Hæc tamen omnia siue sint secundum naturam, siue præter naturam, siue non naturalia, siue partim secundum naturam, partim præter naturam, siue toto genere præter naturam, si considerentur non ut ad corpus humanum referuntur, sed ut a natura fuere progenita, ab ipsa causa efficiente res naturales dici debent. & hæc de rebus tum naturalibus, tum non naturalibus dicta sint.

De numero rerum præter naturam. Cap. III.

QVò uerò ad res pręter naturam in corpore tamen humano existentes, ut illarũ numerus pateat, sciẽdum est nos per res præter naturam nihil aliud intelligere, quàm id quod humanæ naturæ inimicũ est, immoderatum, & à iusto modo declinans, hoc autem quidquid sit, uel est causa, uel effectus: effectus autem sunt actiones læsæ, & opera uitiata & imperfecta, quæ omnia symptomata nominantur.

Causa uerò duplex est, uel mediata, uel immediata, si causa fuerit immediata nihil aliud est propriè loquendo quàm impotentia ad agendum, uel priuatio sanitatis, si gręci nominis etymologiam spectemus, ut Nicolao Blasto uiro græcarum literarum peritissimo placuit, nec non constitutio pręter naturam: non enim est inconueniens unicum effectum duplicem habere causam immediatam, quarum altera sit formalis, altera efficiens, ut paulò inferius declarabitur; quod si causa fuerit mediata, uel erit quidquid existens in corpore constitutionem ipsam perturbare potest: uel error quidam externus, siue intrinsecus, siue extrinsecus originem habeat, ut in rebus pręter naturam causa præcedat, subsequatur morbus, concomitẽtur symptomata: quæ omnia quomodo sint audienda suo loco declarabitur.

Ordo in rebus præter naturam quis seruandus. Cap. IIII.

VErùm etsi in harum rerum generatione causa præcedere soleat, ordo tamen doctrinę in artibus postulat, ut à fine exordiamur. quare cùm in arte curatiua morbi depulsio sit finis, à morbo tanquàm à fine exordiri oportebit, de quo cùm omnes suo dispendio pręcognoscant quòd sit, & quòd esse possit, quid sit quoque pręcognoscere debemus, cumque illius essentia sit nobis ignota, atque in ea declaranda multi uiri celeberrimi hactenus elaborarint, in ea quoque nos aliquantisper uersabimur: nam si morbi naturam ignorabimus fieri nequaquàm poterit, ut resoluendo inueniamus media ad illius expugnationem accommodata, cùm principio ad eorũ inuentionem idoneo fuerimus destituti, quod quidem nihil aliud est quàm finis, & propterea morbi definitio: ex hac enim una duci possumus ad mediorum, seu principiorum & causarum cognitionem, quemadmodum docuit philos. 7. metap. 23. ubi dicebat artium omnium doctrinam à notione finis esse auspicandam, & nihil aliud esse notionem finis quàm eiusdem finis definitionem.

De morbo itaque tanquàm de fine nobis est prius agendũ mox de causis, quæ sunt ante finem, postremo loco de symptomatibus, quæ a medico non tanquàm finis, sed ueluti signa considerantur, quibus in arte operante ueluti manu ducimur in cognitionem tum causarum, tum morborum in hoc uel in illo ægrotante:

Definitio Morbi. Cap. V.

MOrbi ergo naturam definientes ſtatuamus cum ſit accidens dupliciter definiri poſſe uno quidem modo perfectè,alio modo imperfectè, quemadmodum omnia ferè accidentia definiri poſſunt : perfectam definitionem accidentium illam uocamus, quę totam demonſtrationem complectitur, & ſola poſitione terminorum differt ab ea, imperfectam uerò duplicem eſſe docuit Ariſt. alteram quidem, quę dicitur principium demonſtrationis,alteram uerò quæ concluſio nominatur.

Perfecta morbi definitio eiuſmodi erit. Morbus eſt impotentia corporis uiuentis ad agendum ; uel alio modo eiuſdem priuatio ſanitatis à conſtitutione præter naturam dependens. Hanc morbi definitionem, ſeu ſignificationem , quam ex communi omnium notione impotentiam uocauimus uel priuationem ſanitatis , nonnulli minus aptè loquentes læſionem facultatis nominarunt non animaduertentes facultatem accidentis ſubiectum eſſe non poſſe,cum accidens omne definitum enti in actu aduenire ſoleat.Hanc uerò impotentiam propriam morbi ſignificationem exiſtimamus, quia cõſtitutio præter naturam eſt cauſa ut uel partes corporis, uel uniuerſum corpus impotens reddatur ad agendũ, unde ſequitur ex neceſſitate actionis lęſio,quo fit ut pro impotentia ad agendũ Gal. actionis lęſionem pronuntiaret tanquàm illam,quę huiusmodi ineptitudinẽ ſeu impotentiam nobis repreſentat, licet enim quãdoque in definitionibus effectum ponere loco formę ut habetur ex Ariſ.4. cęli com.26. & 8. phy. 32. quod etiam admonuit. Aue.4.cęli in paraphraſi ſumma 3.cap.1.qui tamen effectus ea ratione, qua conſideratur ut eſt pars definitionis & ſic ut eſt de eſſentia definiti non habet rationem effectus,quare Gal.etſi actionis læſionem in definitione morbi propoſuerit,non ea tamen ratione poſuit, ut exiſtimaret actionem lęſam eſſe de eſſentia morbi ; ſed ut per actionem lęſam nobis impotentiam illã deſcriberet:etenim morbus formaliter acceptus eſt in fieri & in ſecunda ſpecie qualitatis, refertur enim ad impotentiam naturalem.

At quiſpiam fateri quidem poſſet impotentiam hãc agendi eſſe propriã, & uulgarem morbi ſignificationem, illiuſque formam nobis definire atque illius notionem eſſe uerùm quia hęc impotentia nihil aliud eſt quàm morbus ob eam cauſam in definitione non eſſe collocandam,alioquin idem per idem definiretur. Cuius opinionis fuerunt quidam doctiſſimi uiri; ſed pace tantorum uirorum, opinio hæc totam uidetur definitionis accidentium naturam euertere, cum perfecta definitio accidentium tradi debeat per formam per materiam in qua & per cauſam inhærentiæ paſſionis ſubiecto , & accidentium forma nihil aliud eſt quàm communis, uulgaris & notiſſima illius accidentis ſignificatio, uel potius illius nominis etymologia, ut propterea logici dixerint definitionem accidentis per hanc uulgarem & communem nominis ſignificationem tradditam eſſe nominalem : quòd autem hoc uerum ſit exemplo ſatis accomodato illuſtrari poteſt, philoſophus nãq; dum Eclypſis definitionem proponit,quid aliud loco formę proponit quàm luminis priuationem? at dicant mihi uiri doctiſſimi priuatio luminis quid

aliud

aliud est quàm græci nominis explicatio? ob eam itaque causam forma non est à definitione reijciẽda, immò nisi forma definitionem ingrederetur, & propterea hæc nominis etymologia, uel quid hanc Etymologiam nobis repræsentans, proculdubio non esset definitio perfecta, quæ tota demonstratio dicitur, sola positione terminorum distans ab ea.

Cùm itaque perfecta definitio sit illa, quam proposuimus, facile est inde imperfectas definitiones extrahere; ut quæ principium demonstrationis appellatur sit huiusmodi.

Morbus est constitutio præter naturam corporis uiuentis seu corporis humani: quæ uerò conclusio appellari potest ea sit dicenda.

Morbus est impotentia corporis humani ad agendum: ut propter curiosos, demonstratio sit hoc modo erigenda.

Omne corpus uiuens a naturali statu recedens impotens redditur ad agendum.

Sed corpus humanum à naturali statu recedit.

Corpus itaque humanũ impotens redditur ad agendum. Non enim morbus debet demonstrari de suo subiecto, sed significatio & forma morbi, quemadmodum neque Eclypsis de luna, sed priuatio luminis.

Ex quo discursu patet definitionem à Galeno propositam esse ueram definitionem & perfectam, sed medicam, non autem philosophicam, uel logicam. perfecta quidem est, quoniam complectitur causam inhærentiæ, cũ inquit morbum esse constitutionem præter naturam: subiectum necessariò subauditur, cùm dispositio seu constitutio sit humani corporis dispositio, de hoc enim corpore loquimur: Formam uerò cùm ait lædens operationem, quoniam per læsionem operationis circunscribit formam hoc est impotentiam agendi, idem enim est ac si dixisset Galenus. morbus est constitutio præter naturam, à qua primò corpus humanum redditur ineptum ad agendum.

Cur Gal. non definiuit morbum philosophicè, & quid sit, & quotuplex sit causa contentiua. Cap. VI.

AT quispiam quærere posset, cur Galenus non sit usus philosophica definitione: facile est huic satisfacere, si dicamus Galenũ artis finem spectasse, & libros illos de natura morborum scripsisse in gratiam methodi curatiuæ, & ob eam causam id loco formæ proposuisse, à quo sumeretur indicatio: etenim quàmuis constitutio præter naturã sit causa propter quam res est, nihilominus cum ab impotẽtia seu a priuatione sanitatis nulla sumatur utilis indicatio, ob id constitutionem pręter naturam loco formæ proposuit, impotentia namque illa ad agendum est logica morbi significatio, quare non ex usu, intellectus enim est ille, qui hanc impotentiam à constitutione pręter naturam seiungit. quare si morbus hoc modo consideretur, huius simplex & unica erit causa contentiua, quam Gręci συνέχον αἴτιον uel συνεκτικὸν uel προσεχὲς nominarunt; & huiusmodi causa erit cõstitutio pręter naturã, si tamen per causam contentiuam illam intelligamus, qua posita ponitur effe-

ctus,& qua remota remouetur, quã nobis significasse uidetur Auicena 2.1 cap.2 sub finem ubi ait tria esse genera morborum, quorum unum sequitur malitiam complexionis,alterum solutæ unitatis, tertium malæ compositionis, nisi uelimus dicere Auicenam sibi hunc modũ loquendi usurpare, ac si uoluisset dicere tria esse genera morborum, quorum unum ad malam complexionem; alterum ad solutam unitatem; tertium ad malam compositionem pertinet. dicatis ut uultis non multum laboro, quoniam cùm morbus formaliter acceptus sit in fieri, causam continentem ut habeat est necesse, quod uidetur nobis significasse Gal. in lib.artis par.cap.8.cum diceret morbum futurũ prohiberi soluta ea dispõne,quam sequi natura apta est,talis autem dispositio causa antecedens appellatur;At morbum factum curari soluta ea dispositione,à qua primũ ea,quę secundum naturam,læditur operatio, quam quidem & ipsam morbi causam dicimus,sic enim sonant uerba gręca. Præterea hoc eodem modo acceptus triplex poterit assignari causa contentiua, si causa contentiua capiatur pro eo quod morb. essentiam continet, quemadmodum cõsiderauit Gal.1.de causis pul.2.3.in.6.de uulg. morb.20. & 2.meth. 6. erit autem hæc triplex nempe formalis impotẽtia scilicet ad agendum: materialis in qua ueluti corpus humanum: & efficiẽs nempe constitutio præter naturam. At si morbus effectiuè capiatur, quemadmodum Gal.nullam uideo subesse causam contentiuam,si causa contentiua capiatur pro eo,à quo res aliqua dependet in fieri;at si causa contentiua capiatur pro eo,quod rei essentiam continet,proculdubio duplex erit causa contentiua, nempe causa efficiens, & materialis; immò si placet, ut operationis lęsio morbi formam nobis circunscribat, & hęc loco causæ contentiuæ erit statuenda. Quare sustinere possumus omnem morbum causam habere contentiuam,& nullum morbum habere causam contentiuam.

Medica morbi definitio. Cap. VII.

APud medicos itaque per morbum debemus intelligere constitutionem pręter naturam primò lędens, operationem,per constitutionem uerò nos intelligimus structuram siue statum, siue dispositionem pręter naturam, sumpto argumento à nominis etymologia, siquidem dispositio nihil aliud nobis significat ex Aris. 5. metaph. cap. 19. & 20. quàm ordinem partium ex quibus compositum aliquod absoluitur, qua partium positione corpus humanum uel benè uel malè dispositum dicitur,etenim si partes similares,naturalem suam temperaturam.& unitatem,dissimilares uerò nedum unitatem,uerùm etiam numerum, magnitudinem, situm & conformationem obtinebunt, tunc bene dispositas esse dicendum est, sin minus malè dispositas iudicare debemus.Quod cùm ita sit,& constituere nihil aliud sit,quàm partes simul ordine quodam statuere seu ponere, hinc fit, ut constitutio, & dispositio idem significent.

Con-

Conſtitutio & diſpoſitio an pro eodem capiantur. Cap. VIII.

NEque eſt quòd quiſpiam dicat conſtitutionem non eſſe idem cum diſpoſitione ob eam cauſam, quòd omnis morbus ſit conſtitutio non autem diſpoſitio, cum quidam morbi habitus potiùs quàm diſpoſitiones dicantur, & ratio eſt quoniam, & habitus, & diſpoſitio unicam ſpeciem qualitatis conſtituunt, cum itaque ipſę inter ſe non differant; ſed ſecundum magis & minus, cùm habitus nihil aliud ſit quàm diſpoſitio aucta, & firmiter inhærens, ut monuit Aris. in cap. de qualitate & 4. metaph. cap. 20. hinc ſit ut febris hectica, & alii morbi, qui uel ægrè, uel nullo modo expugnari poſſunt, diſpoſitiones nominari poſſint, ſed auctæ & firmiter inhęrentes: quę habitus quoque dicuntur.

Neque dicẽdũ eſt, conſtitutionem & diſpoſitionẽ inter ſe differre eò, quia conſtitutio ſit genus analogum, diſpoſitio uerò uniuocum, & hæc ſit in prima ſpecie qualitatis, conſtitutionẽ uerò in pluribus prędicamentis eſſe poſſit, quoniam ſi rectè rem ipſam expendamus, uidebimus conſtitutionem eſſe genus uniuocũ, & in prima ſpecie qualitatis, & ea ratione, qua diſpoſitio eſt qualitas, eadem & conſtitutionem eſſe qualitatem iudicari oportere, diſpoſitionem uerò eſſe qualitatem ex eo unuſquiſque iudicabit, quoniam ab ea quales eſſe dicimur; ſed ex conſtitutione quoque quales dicimur: conſtitutio itaque qualitas erit dicẽda; etenim ſicut ex diſpoſitione corpus uel benè uel malè diſpoſitum dici tur, ita quoque ex conſtitutione benè uel malè dicitur conſtitutum.

Atqui dicet quiſpiam petis in principio, quoniam etſi ex conſtitutione corpus bene uel male conſtitutum dicatur, non ſequitur tamen ex conſtitutione corpus quale tantum appellari; ſed & quantum, & poſitum eſſe appellabitur. quare alia ratio tibi eſt ineunda, ut probes conſtitutionem eſſe qualitatem.

Huic obiectioni ut reſpondeamus, negandum eſt probationem noſtram petere in principio, quoniam ex eo quod corpus uel benè uel malè conſtitutum dicitur, neceſſario quoque fateri oportet conſtitutionem eſſe qualitatẽ, non autem quantitatẽ, aut poſitionem. Quod ut unuſquiſque facilius intelligat, ſtatuẽdũ eſt, corpus humanũ ſi à naturali ſtatu deturbari debet, motum aliquem in eo fieri eſſe neceſſe, qui motus uel erit in temperatura, uel unitate, uel compoſitione, uel in omnibus, uel in quibuſdam, ſi fuerit in temperatura non eſt diu laborandum ut probemus motum hunc qualitatem eſſe, & huiuſce motus terminum ac finẽ: at ſi fuerit in unitate ſiue compoſitione, & propterea in magnitudine, numero, ſitu, & cõformatione, dubitabit quiſpiam quomodo motus iſte qualitas poſſit appellari. Quo loco animaduertẽdũ eſt motum in quantitate, uel ſitu, uel aliquo alio prædicamento, per ſe non efficere morbum, & propterea neque conſtitutionem præter naturam. At ſi motus ille cõſideretur, ut illius cauſa corpus humanum à naturali ſtatu recedit ac deturbatur, & ob id malè afficitur ac diſponitur, tunc motus ille

causa morbi & per consequens dispositionis, seu constitutionis præter naturam nominabitur, quandoquidem recessus ille à naturali statu passio, seu affectio nominatur, cuius passionis terminus est dispositio seu constitutio præter naturam. Probatio itaque nostra non petit in principio, neque alia probatio est nobis ineunda: quare Gal. primo de differentijs morb. primo iure optimo non aliam proponit differentiam inter constitutionem & dispositionem, nisi hanc unam, quòd constitutio nouum est uocabulum, dispositio uerò antiquum.

Sed uideo hoc loco quempiam dubitare, qui fieri possit, ut constitutio sit genus uniuocum, cum de qualitate, quantitate, ac situ prædicetur: etenim dicimus nos intemperiem esse constitutionem præter naturam, nec non magnitudinem auctam, numerum auctum & situm deprauatum: sed hæc differunt genere, ergo sub genere uniuoco comprehendi non possunt. Et hoc est, quod multos uiros doctissimos ita perturbauit, ut ab hac difficultate cùm explicare se non potuerint, alij morbos substantię, alij quantitatis, alij qualitatis, alij alterius generis introduxerũt. Cùm tamen morbus vt morbus sit accidens, & in genere qualitatis tantum, quemadmodùm & sanitas, quãdo contraria sub eodem genere collocari debeant: quod cum ita sit necesse est, ut omnes morbi nomine & ratione conueniant, quare ratio formalis, qua morbi omnes conueniunt, nihil aliud est, quàm terminus alterationis, seu mutationis à naturali statu, cuius causa corpus impotens redditur ad agendum. Dicimus autem morbum in intemperie, in soluta unitate, in magnitudine aucta, in conformatione, & situ, non merito motus ad statum præter naturam; sed merito eius in quo fit motus; quare si motus fit in temperie ad statum præter naturam, intemperies nominatur; sin in cõtinuo, soluta vnitas; si tandem in compositione, mala compositio: ergo intemperies, soluta unitas, & mala compositio differũt genere vt morbi sunt, & ut corpus humanum malè constituunt, ac disponunt & impotens reddunt ad agendum. Nequaquàm: At si absolutè cõsideretur illud, in quo fit motus non autem illius recessus a naturali statu, proculdubio id in diuersis prædicamentis esse potest: temperatura namque in prædicamento qualitatis collocabitur, unitas, & numerus in prædicamento quantitatis, magnitudo & positio in prædicamento relationis, neque constitutio seu dispositio de his ullo modo prædicabitur, neq; vniuocè, neq; analogicè, neq; morbi hoc modo sumpti magis & minus susci piunt, quod tamen absurdum est.

Neque est quòd quispiam nobis obijciat authoritatem illam Galeni primo de differentijs morb. c. 8. vbi collocat morbos, qui oriuntur ex numero, & magnitudine, in prædicamẽto quantitatis: quoniam Gal. id potius spectauit, in quo fit motus, quàm passionem corporis, quæ oritur ex tali motu, aut passionis terminum; & ratio fuit hæc, quoniam cùm tota doctrina de natura morborum in gratiam meth. medendi conscripserit, atque uideret dispositionem seu constitutionem hanc præter naturam mutari non posse, nisi ad mutationem illius, in quo fit motus, & sui fundamenti, & hoc in diuersis prædicamentis esse posse, hinc factum est, vt dixerit Gal. morbum in numero & magnitudine in prædicamento quantitatis collocari, & optimè locutus

cutus

cutus est, quoniam idem est ac si dixisset hosce morbos fundari in quantitate, vel eorum fundamentum esse: quare si sedem illorum spectemus, in pluribus prædicamentis esse possunt; sin recessum à naturali statu antequam terminum attigerint, in tertia specie qualitatis, quæ dicitur passio; si tandem terminum motus seu mutationis à naturali statu, in prædicamento qualitatis erunt collocandi, & in prima specie, quæ dicitur dispositio, seu constitutio.

Quod si quis uoluerit ad prædicamẽtum relationis referri posse, nõ prorsus negabo, dummodo a prædicamento qualitatis non omnino seiungat, si quidem vnum diuersimodè consideratum in diuersis prædicamentis esse potest; etenim si consideramus morbum vt est ametria, nonne refertur ad aliud? immò vt est dispositio: sed non est ita in prędicamento relationis, quin sit qualitas.

Neque est quòd quis dicat constitutionem hanc siue dispositionem interdum esse in fieri, interdum in facto esse; nam etsi quidam sint morbi vsque adeò solutu faciles, vt quum primum auferatur causa efficiens, illicò delitescãt, ueluti sunt omnes tumores, & obstructiones: non est tamen dicendum, quin hi morbi permaneant cum terminum alterationis fuerint assecuti, verùm dicebat Galenus 2. meth. 3. & alibi permanentiam hanc trium esse generum, vel diutinam, vel breuem, vel momentaneam: quare in his momentanea est, & ratione contemplabilis.

Subiectum morbi quid sit. Cap. 9.

AT constitutio hæc seu dispositio cùm humani corporis seu viuentis sit dispositio, quid per corpus humanum seu viuens audiendum sit, non omnes conueniunt: quoniam sunt nonnulli, qui per corpus viuens seu humanum intelligunt nedum solida, & sic continentia, verùm etiam contenta, vt sunt spiritus & humores, hac vna ratione ducti, quoniam existimãt quodlibet corpus viuere: quod in corpore viuente existit. quæ ratio, seu propositio, quam pro dignitate nonnulli assumpserunt, si vera esset, sequeretur & omnium & stercus viuere: quòd si dicant propositionem illam verificari de solis naturalibus, viuerent pili, & vngues, spiritus & humores tam alimẽtales quam excrementitij viuerent, ac suas exercerent operationes, mancus & diminutus esset Gal. qui morbos tantum partium similarium ac dissimilarium enumerauit, spirituum verò & humorum subticuit, ab humoribus putridis sumeretur indicatio curatiua, homo ferè semper ægrotaret, & præsertim dum laborat, ac defatigatur: ex ratione sanguinis quandoque fieret morbus, quandoque uacuaretur morbus, multa quoque alia incommoda sequerentur, quæ breuitatis gratia libenter prætermitto, cùm hæc opinio totam philosophiæ dignitatem perturbare videatur. Quare per corpus humanum seu viuens nihil aliud intelligere debemus, quàm solida & ratio est, quoniam si corpora illa dicuntur benè vel malè disposita cum possunt vel non possunt operari, & solidorum sint operationes ex Galeno 3. de simp. med. fac. 17. & 18. quod accepit a philosopho, solida itaque

erunt

erunt corpora illa, ad quę constitutiones sunt referendę, & sic continentia non contenta.

Humores utrum naturam morbi compleant. Cap. X.

AT dicent isti authoritate Leoniceni ducti, si contenta non agunt, sed solida, & ob eam causam subiectum morbi esse non possunt, non negabis tamen, quin humores essentiam morbi compleant, quando id confirmari possit ex distinctione morborum partium similarium à Gal. tradita primo de differentiis morb. cap. 5. cum ait, intemperaturarum duo esse genera, alterum quidem sine materia, alterum cum affluxu materiæ; at si hę sunt differentiæ morbi essentiales ut re uera sunt dicent illi, non est dubitandū quin humores essentiam morbi compleant, non ut forma, ergo ut subiectū: & quoniam quispiam respondere potuisset ideò Galenum duo illa intēperiei genera proposuisse, quoniam id futurum erat utile, nō quia uellet humorum substantiam esse de natura morbi, ob id hanc responsionem reprobarunt illi. dicunt enim si Galenus utilitatem tantùm spectasset, neque affluxum illum humorum morbi substantiam absoluere uoluisset, inter intemperies cum affluxu substātiæ illas quoque enumerasset, quę fouentur à materia sine tumore, ueluti intemperies frigida intestinorum, quę fouetur à pituita uitrea; sed has non enumerauit, utilitatem itaque non spectauit: sed ab hoc intemperiei genere illas reiecit, quoniam non sunt intemperies cum affluxu materię, cum nō adsit tumor: quare concludendum esse aiunt ueras & essentiales intemperiei differentias proposuisse Galenum. Eandem quoque sententiam multis aliis & Galeni authoritatibus & rationibus comprobare conantur, quas in medium proponere mihi superuacaneum uidetur, quando & apud ipsos authores legi possunt, & ex his, quę a nobis dicentur unusquisque mediocris etiā ingenii eas reiicere, & authoritates, quæ ab eis proponuntur, ad optimum sensum trahere poterit.

Quare prius nobis uidendum est, nunquid ratio hanc intemperiei diuisionem pati possit, ita ut intemperies diuidatur in has duas differētias essentiales, intemperiem scilicet sine materia, & intemperiem cum materia, & cùm probatum fuerit has non esse differentias essentiales, tunc explicabimus cuiusnam generis sint hę differentię, & cur Gal. illas proposuerit.

Quòd uerò rationi, & propterea ueritati repugnet huiusmodi diuisio, ex hoc probari potest, quoniam genus uniuocum de suis differentiis essentialibus, secundum nomen & rationem prędicari debet: sed intemperies non prędicatur de intemperie cum materia, hoc est de tumore, (sic enim intelligunt isti) secundum nomen & definitionem, ergo tumor & sic intemperies cum materia non est differentia essentialis intemperiei; non enim tumor est intemperies, nec immoderata qualitas, cum sit potius magnitudo aucta partium carnosarum ob materiam, quæ prauam corporis dispositionem consequitur. quod si quis negabit tumorem esse magnitudinem auctam, sed constanter affirmabit esse qualitatem, cum eo non erit contendendum.

Cum

Cùm itaque meo iudicio diuisio illa eo modo intellecta, quo placet uiris doctissimis, rationi aduersetur, non uidetur ullo modo admittenda, præsertim cùm inde multa sequantur incommoda: quandoquidem si aggregatum ex intemperie & materia esset tumor, & ob id morbus, ut fatetur illi, sequeretur ex substantia & accidente fieri unum per se; rursus materia, quæ cũ intemperie tumorem facit, cùm totam morbi naturam non compleat, alioquin substantia esset accidens, uel erit materia ex qua, uel in qua tumor excitatur. qua in re dubii uiri doctissimi quid nam statuendum esset, interdum dixerunt esse materiam ex qua, interdum materiam in qua: uerùm ne dicerent morbum fieri ex substantia & accidente, magis approbarunt esse materiam in qua, & hoc modo esse subiectum morbi. Quod si esset uerum, cùm ex eorum sententia ab humoribus sumatur indicatio curatiua, sequeretur nedum morbum uerùm etiam subiectum morbi esse submouendum, quod quàm consentaneum sit uiri doctissimi iudicabunt; neque est, ut confugiãt ad duplex subiectum morbi, quorum alterum sit naturale, alterum præter naturam, quoniam idem esset, ac si morbo duo crura tribuerent, quorum altero materię pręter naturam, altero materię naturali niteretur.

Cùm itaque ad hanc suam diuisionem tot incommoda sequantur, quis est ille, qui audeat has differentias essentiales nominare?

Atqui dicent illi sic sonant Gal. authoritates, & pręsertim illa, quę habetur 12. meth. 6. ubi ait inflãmationum, quę fiunt prius, causas amouebis, quę uerò iam factę sunt, has utique curabis solas: ecce, inquit, quomodo sola curatio debeatur tumoribus factis, quod si sic est, erunt itaque humores de essentia morbi, non sunt autem materia ex qua, ergo materia in qua.

Authoritas hęc prima facie uidetur sententiam illam confirmare; uerùm quia si sententiam illam confirmaret, falsa esset, atque principijs minimè consentiens, ob id ad optimum sensum est traducenda. Nihil itaque aliud Galenus uerbis illis significare uoluit, quàm diuersitatem quandam in curandis inflãmationibus, quę sunt in fieri, et quę iam genitę sunt, & propterea dixit in inflãmationibus, quæ sunt in fieri, prius causæ occurrendum, inflãmationibus uerò factis sola debetur curatio, ac si dixisset, Inflãmationis, quæ adhuc est in generatione, duplex oritur indicatio, nam quod iam generatum est, id medicinę parti, quę morbos curat subiicitur, quod in generatione adhuc est, parti, quæ futurum morbum præcauet, quare cum dixit Gal. inflãmationi factæ sola debetur curatio, nihil aliud significare uoluit, quàm inflãmationem factam ad solam artem curatiuam pertinere, à qua tamen non excluditur præseruatio. Hæc autem interpretatio desumitur a Gal. eodem 13. meth. 2. & luce clarius ueritas hæc habetur ex eodem Galeno in lib. art. med. 89. ubi docet causas, quæ intemperaturam faciunt curari per euacuationem, quoniam ipsæ intemperaturę sola alteratione sanãtur: idem quoque significauit nobis Gal. 4. meth. 3. ubi docebat ulcera simpliciter uel etiã cum cauitate ex fugiendis prospiciendisq; iis, quę naturæ officiunt, sanari, & curam totam ad eam, quæ prouidet, artis partem pertinere, quę tamẽ uulgò sanatio dicitur, & propterea duplicem esse prouidentiam, quarum altera in eo genere posita est, quæ morbosum affectum iam pręsentem submouet,

mouet, altera quæ prohibet affectum illum, qui nondum urget. Quibus propositis redarguit eos, qui de nominibus contendunt, atque admonet communem hominum opinionem esse, ut illi curari dicantur, qui præsentibus affectibus liberantur, siue id contingat uirtute medicamentorum, siue ex ablatione eorum, quę naturę opus impediunt: præseruari uerò quādo pręcaueamus ne morbus subsequatur. Et propterea ulcera curari dicunt & pugnando, & simul quę naturę motus impediunt, auferendo, quàmuis inquit Galenus, si exactè quis loquatur opus utrunque prophylacticum nuncupabit.

Quare non est, quòd grauissimi uiri obiiciant nobis terminum illum curationis, qui sępissimè usurpatur à Galeno, dum inquit, omnium inflammationum curationem esse euacuationem, quoniam Gal. tunc finem communem non autem proprium spectauit, quo fine omnia, quę sunt in arte curatiua, pręter naturam dum auxiliis ad statum naturalem reuocantur curari dicuntur, siue sint morbi, siue causę, siue symptomata.

Ex iisdem etiam satis constat opinionem illorum, qui tuentur, à causa indicationem curatiuam hauriri posse, à rei ueritate longe recedere, si tamen sermonis proprietatem sectari uelint, & Galeni doctrinam imitari.

Vtrum materia sit causa efficiens tumoris. Cap. XI.

QVòd uerò materia ponatur in definitione tumoris, non facit ut materia illa causa efficiens esse non possit, quoniam non est perpetuò uerū, ut quę sunt in facto esse per suam causam efficientem definiri nō possint, immò in arte medica plerunque morbos per causam efficientem definiri uidebimus, & præsertim quando illius accidentis perfecta cognitio absq; causa efficiente haberi non potest.

Neque est quòd dicant isti, humores tumorem excitantes non esse causam efficientem, eòquia ex se non mouentur in partem tumore affectam, quod est proprium, ut aiunt, causæ efficientis, quoniam humores in inflammationibus duobus modis considerari possunt, uno modo, ut mouentur à uirtute expultrice, & hoc modo non dicuntur causa proxima & immediata inflāmationis; alio modo, ut in partem delapsi per se duo efficiunt, quorum alterū est ut caliditatem suam partibus solidis impartiantur; alterum uerò ut sui mole partes ipsas distendant, & in tumorem attollant: quare hoc modo dicuntur principium motus non sui, sed partium in quibus resident; nō enim est propriū causæ efficientis ut se moueat, sed ut aliud sui uirtute moueatur, quemadmodum huomores in partibus ipsis solidis faciunt, ut partes ipsæ distendantur, atque in tumorem attollantur, quod significauit nobis Gal. primo pronog. 31. ubi dicebat tumorem curari ubi humor, qui eum committit, seu facit, disiicitur seu euacuatur; nec non 3. de tymp. causis 2. ubi docebat uenarum angustiam fieri uel ex obstructione, uel ex aliquo in instrumentis tumore, cuius tumoris causa fluxio humorum est, quæ in ipsum instru-

mentorum corpus procumbit, quòd clarius? immò si placet uide Galenum 4.meth.3. vel doctrinam nostram de meth.med.cap.8.rem totam ita discussam ex mente Galeni habebis vt nihil præterea desiderari possit. & quando Gal.inquit causas tumoris esse robur facultatis transmittentis;& imbecillitatem suscipientis loquitur de causis primis & remotis, at humores sunt causæ proximæ & immediatæ tumoris neque sunt materia ex qua, quoniam materia ex qua fit tumor est substantia solida partis, nunquam enim dicemus humores esse tumidos, sed aggregatos, vel cumulatos, at carnem tumidam esse dicemus, partes nanque carnosę sunt illę, quæ augentur, quę inflammantur,& quæ subiectum inflammationis esse dicuntur. neque ualet similitudo de aggere qui fit ex terra, quoniam in parte uiuente aliud est quod attollit, aliud quod attollitur, quod de aggere non est dicendum. Præterea cum aiunt humores quoq; obstruentes cum ex se non moueantur ad obstruenda vasa, sed a virtutibus impellantur, vt immanentes obstructiones pariant, non possunt esse causa efficiens obstructionis, sed sunt causa materialis, sed sunt causa materialis, quemadmodum lateres & calx sunt materia ex qua clauduntur fenestræ non autem efficiens, quia non mouentur ex se ad claudendum fenestram: hoc si esset uerum neque interpositio terrę inter Solem & Lunam esset causa efficiens eclypsis, cum terra ex se non moueatur, sed potius Sol, & Luna optimum essent medium ad demonstrandam Eclypsim in esse Lunæ quare idem esset subiectum, & medium.

Viderunt isti multas rationes huic suæ positioni aduersari, quare huc atque illuc refugiunt,& cum non haberent, quo se tandem reciperent, confugerunt ad hoc vt dicerent sanguinem in inflammatione partim esse morbum, partim materiam morbi, morbum quidem ratione suæ intemperiei; materiam morbi ratione suæ substantiæ, quamobrem inquit sanguinem esse subiectum inflammationis.

Me pudet certè hæc nimis absurda confutare cum & huius positionis solutio pateat ex ijs, quæ iam dicta sunt, nemo enim est sanę mentis, qui non uideat hosce uiros sibi non constare, & præsertim cum concludant vt diximus intemperiem cū materia duplicem habere materiam alteram præter naturam, quę fons est morbi, alteram naturalem, quę sunt solida membra melius fuisset si & tertiam materiam addidissent, nihil enim tunc defuisset ad naturam morbi explicandam. Concludendum est itaque humores in inflammationibus causam esse efficientem non naturalem ex qua, nec in qua,& subiectum morbi esse corpus humanum.

Differentiæ intemperiei cum materia nunquid sint essentiales. Cap. XII.

SVperest vt videamus cuiusnā generis sint differētię illę, quę proponuntur a Gal.1.de dif.morb.c.5. & postquā probatū est illas nō esse esētiales, sequitur vt dicamus illas esse accidētales, quod facile probari pōt, si dicamus differētias illas accidētales esse, quę faciūt alteratū nō aliud: sed materia facit vt

cit vt hęc intẽperies altera dicatur ab illa, quæ materiam non habet adnexã, materia itaq; non est differentia essentialis intẽperiei, sed accidentalis: probatur minor hoc modo, illa quidem faciunt, vt hoc alterum ab illo dicatur quæ ab eo sine illius corruptione separari possunt: sed materia ab intemperie absque illius corruptione separari potest, facit itaque vt hæc intemperies altera dicatur ab illa. hoc mihi videtur adeò manifestum, vt qui hoc neget, à logico negotio sit excludendus.

Cum itaque differentiæ illæ sint accidentales, cur Gal. illas proposuit? Dicendum est Galenum eas differentias proposuisse, ne quis existimaret illas solas intemperies esse morbos, quę materiam adiunctam haberent, quare admonere uoluit illas quoque intemperies esse morbosas, quę à nudis qualitatibus fiunt, nullamque materiam habent adnexam: quod Galenus nobis significare videtur, cum ibidem dicat tumores esse morbos adeò euidentes, vt neminem possint latere, at morbos qui fiunt à sola inæqualitate & intemperie primarum qualitatum non omnibus ita patere, nisi cum maximus factus fuerit recessus à naturali statu: noluit tamen Galenus ob id statuere intemperiem esse de essentia tumoris, neque existimandum est, cùm Galenus hoc doceat confundere causas cum morbis, vt voluerunt illi, tunc enim confunderet, quando ex proposito, dum de morborum natura loquitur, de causis longiorem, exactam, & plenam haberet orationem: sed videmus sępissimè nedum apud medicos, verùm etiam apud philosophos, dum de re aliqua disputatur, nonnulla obiter permisceri, quę rem ipsam plurimùm illustrare possunt.

Neque est quod obijciant Galenum subticuisse intemperies illas, quę fiunt à materia, quę tamen non excitat tumorem cuiusmodi est intemperies frigida intestinorum, quę fouetur à pituita uitrea: quoniam si consideramus quę docuit ibi Galen. videbimus & has intemperies comprehendisse, quoniam inquit Galen. partes simplices interdum solis qualitatibus alterari; interdum ad ipsas partes affluere substantiam, in qua eædem sunt qualitates, quibus partes simplices alterantur quibus verbis quid aliud significare uoluit Gal. quàm partes simplices interdum solis qualitatibus alterari, quemadmodum ijs contingit, qui plurimum laborant, ac defatigantur, aut ex solis adustione, aut ignis calefactione incalescunt, aut ex ambiente frigido ita refrigerantur, vt extremæ partes veluti emortuę videantur: Interdum verò fieri, vt partes simplices non solis qualitatibus alterentur, sed à materia, quæ vel eò confluat vel ibi aggregetur, qualitas illa, qua prædita est, partibus ipsis communicetur siue tumorem excitet, siue excitare nequeat.

At dicent isti cur Gal. de solis tumoribus locutus est? Non aliam sanè ob causam id factum fuisse existimare debemus, nisi ob eam quam superius diximus, quoniam in tumoribus magis euidentes erant morbi, qui ad intemperiem pertinent. Prętereà non est necesse ad rem aliquam illustrandam exempla cuiuscunque generis proponere. Si hoc modo dicamus Galenum à pluribus erroribus vindicabimus, & authoritatem rationibus accommodabimus, quod perpetuò interpretes facere debent, alioquin qui neglecta

ratione authoritatibus nimis addicti ſunt, quàm ſæpiſſimè in meandros inexplicabiles incidunt & operoſis nexibus implicantur.

Cauſa materialis in definitione morbi neceſſariò ſubaudiri debet, ſi non exprimitur. Cap. XIII.

COncludendum eſt itaque ſubiectum morbi eſſe corpus humanum, hoc eſt continentia non contenta, vt definitio Gal. ſit hoc modo intelligenda. Morbus eſt conſtitutio prȩter naturam corporis humani; qua particula morbus à cauſa & ſymptomatibus ferè omnibus ſeparatur, à cauſa quidem, quoniam cauſa quandoque diſpoſitio, ſeu affectus nominari poteſt, non erit tamen diſpoſitio corporis viuentis, niſi quando morbus erit cauſa alterius morbi: a ſymptomatibus verò ferè omnibus, quoniam nullum ſymptoma prȩter tumorem, à quo non læditur operatio, dicitur diſpoſitio corporis viuentis, neque ſi dicas colorem citrinum in oculo, quoniam & ſi color ille ſit diſpoſitio præter naturam, à qua primo læditur operatio, non eſt tamen diſpoſitio corporis viuentis, quoniam neque eſt intemperies neq; ſoluta vnitas, neque mala compoſitio, ideò ſymptoma potius quàm morbus cenſeri debet, vt nobis teſtatum reliquit Gal. 3. de ſymp. cauſis. 5. color. nu. 1. & per ſe non conducit ad ſtructuram oculi, ergo neq; illius vitium eiuſdem oculi ſtructuram labefactare poteſt. quare ſi quando merito coloris viſionem interturbari videmus, id contingere dicendum eſt, vel quia illius tẽperatura à naturali ſtatu receſſit, unde color fuit quoque immutatus, cùm ſit vnum ex ijs, quæ temperaturam conſequuntur, vel quia in oculum materia colorata confluxit, quemadmodum in icteritia, quo tempore nemo ſanȩ mentis vnquam exiſtimabit oculum ſecundum partes ſolidas eſſe malè conſtitutum, quare color ille non eſt morbus, ſed ſymptoma. vt itaque cauſȩ & huiuſmodi ſymptomata ſepararentur à natura morbi, in illius definitione cauſa materialis in qua fuit collocanda vel neceſſariò ſubaudienda: diximus autem nullum ſymptoma eſſe diſpoſitionem corporis viuentis præter tumorem à quo non læditur operatio, quoniam hic tumor eſt diſpoſitio corporis viuentis, afficitur enim corpus hoc ſecundum magnitudinem, quare vt hoc genus ſymptomatis à morbo diſtingueretur, neceſſe fuit vt aliæ particulæ adiungerentur, quare dictum fuit ȝ lædens operationem ȝ hac enim particula hoc genus ſymptomatis diſtinguitur à morbo, ſiquidem tumor hic etſi ſit diſpoſitio præter naturam corporis viuentis, quia tamen non lȩdit operationem non dicitur morbus. Particula verò ȝ primò ȝ commodè, & abſque iniuria prȩtermitti potuiſſet, ſed clarioris doctrinæ gratia iniuncta fuit, nequis exiſtimaret cauſas primitiuas, & internas eſſe morbos, cũ & ipſȩ ſint cauſa ut lȩdantur operationes, ignorans huiuſmodi cauſas nõ eſſe diſpoſitiones præter naturã corporis uiuentis, & prȩſertim cùm in definitione ſubiectum à Galeno non fuerit expreſſum, uoluit itaq; Gal. ut ipſe 1. de differentijs ſymp. 1. teſtatur propter rudes, & rixoſos addere particulam hanc ȝ primòȝ ut manifeſtè morbus à cauſis diſtingueretur, quando, & cauſa ut diximus ſit diſpoſitio ſeu conſtitutio præter naturam lædẽs operationem;

nem; non tamen primo nec per se, sed interuentu morbi, & sic per accidens: non itaq; additæ fuerunt particulę illæ primò, & per se propter morbos, qui alterus morbi interuentu lædunt operationem, quoniam tunc morbi illi uim causæ agentis subeunt. Præterea multò minus propositæ fuerunt ad differentiam facultatis animæ,& calidi innati quoniam hęc neq; sub cóstitutione seu affectu præter naturam corporis comprehenduntur: & enim quis est ille,qui dicat facultatem animæ esse constitutionem, seu affectum corporis, aut calidum innatum,ut quidam fateri coguntur cùm dicant Galenum particulã illam primò iniunxisse ad differentiam calidi innati, quod non primò sed secundaria quadam ratione ad operationem conducit, per se uerò ad differentiam facultatis,quę non per se, sed interuentu constitutionis operatur: quod siquis diceret uerum esse neq; facultatem neq; calidum innatum esse constitutionem seu affectum præter naturam corporis, sed illorum uitium sub affectu præter naturam corporis contineri posse, is certè inter se pugnantia proferret:non ne pugnant inter se cùm dicimus uitium facultatis esse affectum corporis uiuentis?qui hoc non uidet cæcus est.

An morbus primo lædat actionem. Cap. XIIII.

AT uideo quempiam aduersus hanc Galeni definitionem sic instare constitutio pręter naturam primò lędit facultatem: dicit actionem, ergo non primò actionem.

Viderunt hanc difficultatem uiri doctissimi cui ut satisfacerent fatentur constitutionem præter naturam primo lædere facultatem deinde actionem; uerùm cùm Galenus uidisset obscuram esse facultatem, notissimam actionem, ob id hanc in definitione usurpasse illam omisisse.

Hoc si diceret Galenus parum in philosophia uersatus uideretur,quare nos dicimus Galenum propriè fuisse locutum,quoniam constitutio pręter naturam primò lædit operationem non autem primò facultatem deinde operationem, ut homines isti doctissimi existimarunt siue per facultatem animæ facultatem intelligamus ut re uera intelligere debemus,siue corporis ut existimarunt isti, hoc autem ut probemus, & primò de facultatibus animæ hoc unum tanquam notum in philosophia supponendum est ex Arist. 7.metaph. com. 31. actionem agentis non prodire à subiecto sine forma, neq; à forma sine subiecto, alioquin subiectum, & eius forma duo essent in actu quod fieri nullo modo potest, quòd si actio fieri non potest à subiecto sine forma, neq; à forma sine subiecto multò minus ab instrumentis absq; opifice fieri poterit; quibus sic propositis sequitur, ut actio fiat à quodam composito ex materia forma, & instrumentis ita ut totum compositum dicatur principium ut quod, cum sit illud quod agit, forma uerò principiũ ut quo,cùm agat beneficio formæ,instrumẽta deniq; per quod,cũ per ipsa operetur. quod cùm ita sit, quis est, qui non uideat actionem æque primo ab instrumentis à forma, & à composito prodire? non licet itaq; tria hæc principia inter se distinguere nisi per intellectum alioquin quæ reuera sunt in potentia in actu esse dicerentur.Galenus itaq; non uidetur reprehen-

hendendus, cùm dixerit constitutionem præter naturam primo lædere operationem non autem facultatem.

At dicent uiri grauissimi facultates animę à medico negocio sunt penitus reijciendæ, cùm medicus solas corporis facultates contemplari debeat: quare si sermo sit de facultatibus corporis manifestè constabit constitutionem præter naturam primò lędere facultateș corporis, deinde operationes.

Ego certe nõ possum non satis mirari hominum doctissimorum nimiam solicitudinem, ac fere superstitiosam in verbis Galeni obseruandis diligentiam, ut piaculum esse existimēt ea ne tantillum quidem à literali sensu deflectere, immò uerò ut ea tueantur, non uidetur sibi inconueniens à ratione ac rei ueritate quandoq; recedere, id quod ut unusquisque intelligat, sciendum est hosce uiros per facultates corporis nihil aliud intelligere, quàm tēperiem vnitatem, & compositionem: addamus nos sed constitutio corporis nihil aliud est quàm temperatura unitas, & compositio, ergo constitutio corporis est facultas: quare idem erit dicere constitutionem corporis præter naturam primò lędere facultatem deinde operationē ac si diceremus facultatem præter naturā primò lædere facultatem, & sic seipsam deinde operationem? quare præter absurda superius dicta de facultatibus animæ, sequeretur ut idem seipsum læderet, & idem secundum idem esset prius, & posterius, & sic causa, & effectus, quæ cùm absurda sint, uideamus nunquid recte ab ijs factum sit ut animæ facultates ab arte medica excluserint, & segregarint.

Facultates animæ an penitus à medico negocio sint excludendæ. Cap. XV.

PRobabant isti in digressione quadam contra publicum quendam lectorem Patauinum negentem temperiē esse facultatem argumento sumpto ab authoritatibus Galeni animę facultates à medico negocio esse excludendas. Si quidem Galen. in libro de substantia fac. naturalium, & 2. de sympt. causis 5. dicebat cognitionem essentiæ animæ neque ad morbos expugnandos, neque ad ualetudinem tuendam esse necessariam, quare addebant ipsi si Galenus negauit animæ cognitionem pertinere ad medicum ob eam causam negasse credendum est, quia impassibilis est, & morbo non afficitur, & ad altiores contemplationes quàm ad medicas pertinet.

Nos quidem ex authoritatibus propositis non existimamus Galenū eius fuisse sententiæ, ut vellet animæ facultates in arte medica nullo modo considerari posse; sed potius exquisitam illarum cognitionem ad medicum non pertinere, cùm ad finem artis per se non conferat; uerùm quod medicus animæ facultates saltem quo ad quid nominis cognoscere non

debeat, non uidetur omnino concedendum, cùm medicus à philosopho debeat accipere tanquam probatum quod anima sit, quod, & quot uires, seu facultates habeat, etenim quamuis ab illis nulla sumatur indicatio eò, quia sint impassibiles, non debet tamen ob id medicus doctrinam nouam, & à principijs philosophiæ longè remotam introducere, qualis esset si actiones soli temperaturæ, vnitati, & compositioni adscriberentur; noua quidem esset doctrina quia nemo hactenus hoc somniauit, neque viri doctissimi, si ex animo loquuntur, non autem studio contradicendi hoc auderent affirmare. Principijs verò philosophiæ repugnat, quoniam natura in philosophia est principium motus; & quietis, & per naturam non temperiem non vnitatem, aut compositionem intelligit philosophus, sed substantiam simplicem impermixtam: actiones itaque naturæ tanquam principio, vt quo debentur, non autem temperaturæ, vnitati, & compositioni tanquam principijs, seu agentibus principalibus: sed si ullo modo debentur, ijs quidem debentur, vt instrumenta: quare opinio illa philosophię repugnat; immo falsa est; nam si uerum esset solam compositionem, & vnitatem actiones instrumentales perficere posse, sequeretur manum, tam viuam, quàm mortuam eodem modo operari, cum vtrobique eadem sit unio, eadem compositio; sed hoc falsum est, ergo & id ex quo sequitur: quare necesse est, vt præter temperiem vnitatem & compositionem fateantur sanè aliam esse causam agentem, cuius hęc sint instrumenta: quam veritatem cognouit Galen. primo de causis pul. 2. vbi dum quæreret causam pulsuum ex facultate, varias antiquorum opiniones proposuit, si quidem existimarunt alij facultatem illam esse natiuum calorem, alij contentionem, alij temperamenti proprietatem, alij vniuersam structuram corporum, alij quędam horum, alij omnia simul, postremo addit quidam etiam facultatem quandam nullo præditam corpore introduxerunt, quæ prædictis motus instrumentis vtatur, vel omnibus, vel pluribus, vel uno: neque ibi definit ex his omnibus quam velit esse facultatem, quod quidem fecisset si aliam agnouisset facultatem à facultatibus animæ diuersam quę primarium agens diceretur. Verùm cum ex progressu satis compertum sit per facultatem non intelligere corporum structuram, hinc fit, vt animę facultatem intelligat, quod verò non intelligat corporum structuram ex eo constare potest, quoniam Galen. eiusdem libri capit. quarto, admonet tertiam pulsuum gignendorum causam esse arteriarum corpus, cuius rei causa est, quoniam inquit facultas omnis, quæ alicuius causa operatur instrumenta quærit ad opus apposita, vt idem met Galen. testatur primo. de usup. 3. ergo ex mente Galeni structura corporis inter instrumenta facultatis est collocanda, neque dicendum est arteriam esse instrumentum, vt est pars corporis absolutè; sed vt est pars corporis, hanc definitam habent constitutionem, seu structuram. facultas itaque animæ, vt principium agendi à medica speculatione non est

reijcienda,

reijcienda, magis tamen conueniens est medicum plura de instrumentis, quàm de facultatibus, contrà philosophum plura de facultatibus quàm de instrumentis disputare quemadmodum Hipp. & Plato fecisse uidentur; cum Plato plura de facultatibus animæ, Hipp. plura de instrumentis fuerit locutus, vt memoriç proditum est à Galeno 6. de pla. 11. quare Galeni authoritates non videntur animæ facultates a re medica segregasse.

Hoc idem uidetur confirmari posse ex dictis Galeni 2. de ratione uictus 47. & 2. in primum, de uulg. morb. 5. vbi dum tria proponit principiorum genera, declarat quomodo unaquæque facultas imbecilla reddatur ex intemperie unius partis principalis: ibi enim unusquisque facile intelligere potest Galenum à temperatura facultatem seiungere. medicus itaque animæ facultates considerat, immò secundo, de naturalibus facult. 3. ostendit Galen. animalia non solius materiæ momentis gubernari, immò ridiculos illos appellat qui dum de actionibus nedum animalibus, verum etiam naturalibus, & vitalibus disputant, statuunt naturam animalia effinxisse, & sensim adauxisse beneficio tantummodo materiæ, cum potius existimare deberent naturam illam formatricem per totas particulas esse extensam, vt quæ totas eas per totas non tantum extrinsecus fingat, nutriat, & adaugeat: quo loco Galen. manifestè admonet corpora nostra non tantum beneficio materiæ, & sic non beneficio solùm temperaturæ unitatis, & compositionis, quç materiam consequuntur, sed beneficio formæ gubernari: quare distinguit Galen. facultatem animæ à temperatura, unitate, & compositione: facultates, itaque animæ à medico sunt considerandæ; idem videtur confirmare 8. de vsup. 13. vbi loquitur de facultate ratiocinatrice, quæ ut bene operetur inquit Gal. non magis requirit spiritus animalis multitudinem, quam optimam temperiem, neque magis talem cerebri compositionem quàm eiusdem bonam temperiem: distinguit itaque Galen. facultatem animç à temperatura, & compositione, eamque principium agendi facit.

Clarius idem Galenus 2. de temp. 6. vbi admonet minus rectè illos facere, qui tam temere, de rebus maximis pronuntiant & solis qualitatibus formandarum partium causam assignant, cum rationabilius sit hæc organa esse, formatorem alium. multæ sunt aliæ huius generis authoritates quibus facile intelligitur non eam fuisse Galeno mentem, vt facultates animæ ab arte medica ita excluderentur, vt de illis ne uerbum quidem in ea fieret.

Sed præter authoritates adsunt quoque rationes, quç cogunt medicos ad animç facultates cum Galeno amplexandas, quod vt facile demonstrari possit cum Galeno statuendum est, instrumenta corporis plura esse atque inter se diuersa non ob aliam sanè causam, nisi

quia illorum temperatura, & compositio est diuersa; quod si sic est, ergo temperatura, & compositio unius instrumenti alteri instrumento communicari non potest: facultas itaque cerebri, & hepatis non erit temperatura horum uiscerum; neque illorum compositio.

Præterea frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora, & æque bene, sed ad actiones celebrandas sufficiunt facultates animæ tanquam agentia principalia, ergo frustra introducuntur facultates corporis, vt agentia principalia: quòd si concedant isti non esse agentia principalia, sed instrumentalia, quę facultates appellare malint, minus laboro, dummodo facultates animæ, vt agentia principalia ab arte medica non excludantur, non enim alia principia operandi nouit medicus ab his, quæ accepit à philosopho.

At dicent quid ad authoritates Galen. primo de præsag. ex pul. quarto, & primo ad Gla. decimoquarto? quibus videtur manifestè asserere substantiam facultatis positam esse in commodo temperamento, & secundo de naturalib. fac. octauo, & nono. vbi admonet functionem cuiuslibet particulæ fieri propter certam ex quatuor qualitatibus temperiem, & primo de naturalibus facultat. sexto, vbi vocat facultates alteratrices, & elementares humiditatem, siccitatem, caliditatem, & frigiditatem, & quæ ex his commiscentur, & libro de multitudine 3. vbi docet facultatum substantiam, quibus corpora reguntur, nihil aliud esse quàm proprietatem temperamenti, nec non 3. de symp. causis 1. vbi ait noxas in facultatis alteratricis substantia esse intemperies quasdam actiuarum qualitatum.

Ad has, & alias huius generis authoritates, cùm veritati repugnare videantur, dicendum est cum Galeno primo de naturalib. fac. quarto, facultatem non ob aliam causam nominari, nisi quia potest agere: quare firmitas, vel infirmitas facultatis ad actionem referri debet, vt monuit Galen. primo, de causis pul. secundo, quibus sic positis videndum est in quibusnam posita sit substantia facultatis: nemo certè sanæ mentis audebit asserere substantiam facultatis in alio positam esse, quàm in ijs rebus quibus potest agere: at cum nulla sit facultas quæ possit agere absque temperatura, hinc factum est, vt dixerit Galen. facultatis essentiam positam esse in commodo temperamento, & cuilibet particulę actionem fieri propter certam temperiem, & propter eandem causam primas qualitates facultates appellauit, & proprietatem temperamenti esse substantiam facultatis, atque tandem noxas in facultatis alteratricis substantia esse intemperies, cùm temperatura sit præcipuum organum cuiuslibet facultatis, si actionis originem spectemus, quemadmodum in præludijs nostris anat. demonstrauimus, Galenus itaq; spectans po-

tentiam

tentiam tantum agendi illius ſubſtantiam retulit ad temperiem, cum propriam agentis ſubſtantiam ignoraret, vt ipſe refert primo illo de facul. naturalibus 4. Nunquam tamen negabit Galenus quin ad medicum ſpectet eaſdem animæ facultates conſiderare, quę conſiderantur à philoſopho, non omnibus tamen modis, ſed ſat erit medico ſcire quòd anima ſit, quòd facultates habeat, & quot ſint, atque vtrum ſe de ſint diſtinctę, & quam ſedem, ac domicilium vnaquæque habeat. & quod Galenus ſit huius ſententiæ legatis ipſum 3. de plac. primo ſtatim in principio, vbi Epilogo concludens ea quæ in primo libro fuere demonſtrata, inquit ſe demonſtraſſe non philoſophis tantum, ſed etiam medicis, ſi modo non temerè ad artem accedere voluerint de ijs, quę nos gubernant facultatibus conſiderare, & quot numero ſint generatim, & qualis quæque ſigillatim habeatur, quare in animalis membro ſingulæ conſtitutæ ſint: ſed addamus nos facultates noſtrum corpus gubernantes eſſe animę facultates non corporis; ad medicum itaque ſpectat ex mente Galeni facultates animę conſiderare: quòd verò facultates quę noſtrum corpus gubernant ſint animę facultates nemo certe negabit, qui mediocriter in philoſophia fuerit verſatus & Galen. ipſe hoc apertè docuiſſe viſus eſt 7. meth. 12. vbi diſtinxit vehementiam ex dignitate à vehementia ratione facultatis, de quibus vbi de magnitudine indicantis diſputabimus. quod verò longiori oratione propoſitum eſt id breuioribus terminis propter curioſos ſic demonſtrari poteſt: facultates corpus noſtrum gubernantes ſunt facultates animæ. At medicus conſiderat facultates corpus noſtrum gubernantes. Medicus itaque conſiderat animæ facultates. Minor vnicuique patet. Maior ſic probatur. Philoſophus animæ facultates conſiderat: ſed facultates noſtrum corpus gubernantes conſiderantur à philoſopho ex Galeno loco nuperrime citato 3. de pla. primo ergo facultates quæ corpus noſtrum gubernant ſunt facultates animæ. Quare non eſt, vt viri Clariſſimi animæ facultates ab arte medica ſeiungere ſtudeant: Multa quoque ſunt alia, quæ ſuadent nos vt facultates corporis tanquam agentia principalia ab arte medica ſecludamus, quæ breuitatis cauſa libenter prætereo.

Vtrum præter temperaturam detur alia facultas & forma. Cap. XVI.

QVòd ſi facultates corporis, vt agentia principalia neque in philoſophia neque in arte medica ſunt admittendæ, multò minus locum habebit opinio illorum, qui præter temperaturam nullam aliam formam, nullam facultatem agnouerunt ducti authoritatibus Galeni ſuperius adductis, vel alijs conſimilibus: & rationes quæ nos mouent ad hanc opinionem reprobandam ſunt multæ aliæ præter ſupradictas.

Et primùm ſi temperatura eſſet forma ſubſtantialis, vt iſti volunt cùm ex complexione quatuor qualitatum oboriatur, ſequeretur ſubſtantiam fieri ex accidentibus, quod eſt abſurdum: quòd ſi quis diceret quatuor qualitates eſſe ſubſtantias in mixtis, quoniam & in corporibus ſimplicibus, quamuis hæc opinio per ſe ſit abſurda, nihilominus rationi non eſt conſentanea; nam ſi caliditas in igne eſſet illius forma ſubſtantialis, ſtante caliditate non corrumperetur ignis, at ſi aer in ignē agat per ſui humiditatem ipſum in ſui naturam conuertet, ac tranſmutabit, ſtante ſumma ignis caliditate, caliditas itaque non eſt forma ignis; neque ſiccitas, nam ſi terra in ignem agat per ſui frigiditatem ſtante ſumma ſiccitate ignis in naturam terræ tranſmutabitur. ſiccitas igitur non erit forma ignis, & ſic de cæteris qualitatibus dicendum eſt. Neque fieri poteſt quemadmodum exiſtimarunt nonnulli, vt hæ qualitates ſint formæ ſubſtantiales in corporibus ſimplicibus & accidentales in mixtis, quoniam quod vni eſt ſubſtantia, accidens alteri eſſe non poteſt. at forte nonnulli dixerunt vtraſque qualitates eſſe formas elementorum ob eam cauſam, quoniam ad corruptionem cuiuslibet ipſarum ſubſtantialis forma elementorum obruitur.

Secundo loco cum Galen. in libro quòd animi mores. capit. 3. ſic argumentari licet: temperaturæ ſunt ſatis ſuperque diuerſæ, & illę quamplurimę, alia namque eſt cerebri, alia cordis, alia ventriculi, alia iocinoris, at incorporeæ ſubſtantiæ qualis eſt forma hominis nulla eſt differentia, temperatura itaque non eſt forma.

Tertio ab experientia argumentari poſſumus, nam ſi quis dolore afficiatur ex punctura vel morſu cuiuſpiam animalis venefici, dupliciter dolor ſedari poteſt, vel virum ac venenum euacuando, vel alterando, & alteratio fieri ſolet, vel cum ijs quæ qualitatibus ipſis contraria ſunt, vel ijs quę tota ſubſtantia: nam ex Galen. 13. meth. capit. 6. conſtat alia eſſe contraria ſolis qualitatibus, alia tota ſubſtantia, per quæ uerba nihil aliud voluit ſignificare Gal. quàm alia eſſe contraria temperatura, alia forma, quorum non eſt methodus, aut indicatio; ſed ſola experientia probantur: temperatura itaque non eſt forma.

Quarto idem probatur ex mente Ariſ. 7. metaph. com. vltimo, vbi docet illam naturam, quæ dicitur forma, eſſe ſubſtantiam additam elemento, cum non ſit elementum, neq; ex elementis, idem videtur confirmare 2. de anima 41. vbi docet cauſam nutrimenti & augmenti in animalibus ſimpliciter eſſe animam illam, cui attribuitur ſimpliciter actio hæc, quæ tamen non fit abſque igne hoc eſt calore innato, quod ſi quis inquit Ari. actionem igni, ſeu calori tribueret, id non alia ratione contingeret, niſi quia calor, & ignis eſt inſtrumentum ipſius animæ, non quòd calor ipſe ſit actionis cauſa, vt qua, ſed per quam. Idem teſtatur 2. de generatione animalium. capit. 3. vbi admonet in ſemine ineſſe quoddam, quod facit, vt fecunda ſint ſemina, idque non ignis, non talis facultas aliqua, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur; & natura quę in ęo ſpiritu continetur proportione reſpondens elemento ſtellarum, & talis natura, quæ

eſt

eſt in ſpiritu gignitiuo incluſo in ſemine eſt virtus informatiua, quæ eſt ab eo, à quo decidit ſemen & à Sole, in genitis uerò ex putri materia talis uirtus eſt à Sole tantum, ut dicit Auerr. 12. metaph. 13. ex quibus ſatis conſtat Ariſtotelem voluiſſe animam non eſſe calorem, nec temperaturam.

Quòd autem Plato fuerit eiúſdem ſententiæ, ſatis ſuperque patet legenti Galenum & ipſummet Platonem.

Nec Gal. nec Aui. ab hac ſententia receſſerunt. Nam Gal. 2. de tem. 5. docet quod generatur tribus modis aſſimilari ei a quo generatur, uno quidem modo ſpecie ànimalis, altero modo ſimilitudine formę accidentalis ad alterutrum parentem, tertio modo, quia mas erit, vel fœmina, & ſubdit ſpecie animalis aſſimilari merito ſubſtantiæ, vnde fit, formæ verò parentum ex ſeminis motu, poſtremò mari vel fœminæ vtriuſq; principij temperatura, hoc eſt ſeminis & ſanguinis menſtrui, ex quo ſatis conſtat Galenum ſeiungere temperaturam à forma.

Idem videtur confirmare in libro, an animal ſit quod in vtero capit. 4. vbi admonet animam ſemini vnà cum natura ineſſe, & cum per naturam nihil aliud intelligat quam temperaturam, forma non erit temperatura.

Et paulò inferius redarguens illos, qui dicebant reſpirationem non eſſe actionem uoluntariam, eo quia noctu reſpiramus nulla concurrente voluntate, inquit Galen. naturam ſponte, nec affectam, quæ opportuna ſunt facere credimus, animam verò diuinius quiddam ſortita non operationes proprias perficere, & aſſequi? quàm mortalis eſt natura, atque terreſtris, & intelligentiæ expers, quæ neque rationem habet, & mortalem ſolùm circuitum nouit, operamque interitui obnoxiam accipit. Animam verò ab vniuerſis animis cæleſti choro delapſa ſcientiam ſuſcipit, ſemper verò viam, quę ad ſimile ducit ſequens, terram quidem ſuperat, ab erroribus aquæ ſeſe auertit, tranſcendit aerem, fit igne ſuperior & cęleſtem diuinitatem attingit, ſeque tranſcæleſtem locum intuetur, rerum omnium domino aſſiſtit, ſuperas res circumlabitur, ſæpe occurrit ijs, quibuscum commune genus habet, nouit, vnde eſt, quamuis in corpore ſit. ipſumque rerum omnium patrem vniuerſis rebus ineſſe, his, in quibus ab illo locata eſt, utens oculis, cuius dignitatem, ac pręſtantiam cùm celebraſſet Galen. tandem concludit non eſſe dicendum reſpirationem neſcia anima fieri ſomno languente corpore, cùm anima ad omnia magis quàm natura idonea ſit, vimque maiorem habeat, non potuit itaque natura maiorem uim habere quàm anima, & cùm per naturam intelligat temperaturam hinc colligitur non eſſe temperaturam.

Pręterea 3. de temp. 4. cum diſtingueret nutrimenta à medicamentis admonet nutrimenta ea eſſe, quæ nedum ſecundum vnam quamlibet qualitatem alterantur, ſed etiam ſecundum totam ſubſtantiam, medicamenta verò quę ſecundum qualitates tantum, necnon ea vocari docet quæ nulla ſubſtantię ſuæ mutata parte, ſed tota ſeruata integra cor-

pus ipſum afficiunt, quæ toto genere deleteria dicuntur ratione contrarietatis totius naturæ ſuæ, & declarans Galen. quid intelligat per naturam, inquit naturam dico τὼ ὅλω οὐσίαν τε, ϗ κρᾶσιν, hoc eſt, & totam ſubſtantiam, & temperiem quę ex primis elementis conflatur calido frigido, humido & ſicco: quo loco animaduertendum eſt Galenum per ſubſtantiam, & temperiem non idem intellexiſſe, nam illæ duæ particulæ, τε, ϗ diuerſa denotant, vt ſciunt illi, qui in optimis literis verſati ſunt, conſtat itaque Galenum inter formam, & temperiem diſcrimen agnouiſſe.

Accedit ad hoc nam cum Auicen. diſſentit à Galeno non conſueuiſſe rem ipſam ſilentio inuoluere, at conſtat vnicuique legenti primum caput tractat. primi de origine ſpiritus Auicenam manifeſtè proponere formam corporis à temperatura diuerſam eſſe, nec tamen nominat Galenum: non eſt itaque credendum Galenum ab Auicenna diſſentire.

Præterea quod ſuadet nos, vt credamus Galenum fuiſſe huiuſce ſententiæ, ſunt illius verba, nam vbique fatetur ſe animæ ſubſtantiam ignorare, & quod illius cognitio, neque ad morborum curationem, neque ad ſanitatis tutelam pertinet: at ſi eſſet temperatura cum ſatis conſtat eſſentiam temperaturæ nihil aliud eſſe quam quatuor qualitatum ſymmetriam non dixiſſet hanc ad curationem morborum, & ſanitatis tutelam non pertinere, locus eſt in libr. de ſubſtantia fac. naturalium. Idem fatetur in libro quod animi mores, in cuius libri capit. quinto, videtur probare Platonis opinionem, quod incorpoream illam ſubiecerit, quæ tamen abſque corpore temperato proprias obire functiones non poſſit. Vnde & in libro de fætus formatione capit. ultimo, fatetur ſe dubitare de cauſa fætuum formatrice, & illud tantum ſcire, quod ſumma in ea eſt ars, & ſumma ſapientia, & quod poſtquam vniuerſum fuerit formatum corpus id in toto vitæ curriculo tribus motuum principijs gubernari, quæ tamen ſint illa principia non audere manifeſte conſtituere. Suam quoque ignorantiam fatetur. 7. de vſu par. 8. & 7. de pla. 7. ſub dubio dixit animam eſſe, vel corpus æthereum nempe ſpiritum, vel temperationem, quę tamen vteretur hoc corpore tanquam vehiculo, & libro de incantatione in principio admonet complexiones corporis virtutem animæ ſectari, & econtra, idem teſtatur in libro quod animi mores. capit. primo.

Conſtat itaque Galenum aliam formam à temperatura cognouiſſe, non auſum tamen fuiſſe quid ea eſſet definire, & propterea cum exiſtimaſſet otioſum, ac ſuperuacaneum medicos de animæ ſubſtantia notitiam habere, & ſatis eſſe artem medicam illud noſce eatenus animal viuere poſſe, quoad ipſius cerebri ſpiritusque in eius ſinibus contenti naturalis temperies inuiolata ſeruatur, factum eſt, vt pleriſque in locis Galen. temperaturam vſurparet pro forma corporis, cùm ad medicum dogmaticum nullam aliam formam cognoſcere pertineat à qua vtilis ſumi poſſit indicatio.

Nos verò qui nedum morborum curationem proſequimur, quorum

remedia

remedia per indicationem inueniuntur, uerùm etiam uitiorum illorum naturam exploramus, quorum remedia per experientiam consequimur non ab re fore iudicauimus si ostenderemus formam corporis esse quid diuersum à temperatura.

Quod uerò adduxit nonnullos ut existimarent temperaturã esse formam corporis prȩter authoritates superius propositas fuit etiam nominum æqui uocatio, quibus utitur Gal. nam ut uidebitis apud ipsum quandoq; usurpatur natura pro temperatura, quandoq; pro forma, quandoq; pro utriusq; aggregato, usurpatur etiam interdum hoc nomen substantiȩ pro temperatura, & temperatura pro substantia, nam Gal. ut passim admonet ipse non fuit admodum solicitus de nominibus, cùm tamen in artibus, & scientiis nominum æquiuocatio ut docet Auer. & abusio inutiles difficultates parere soleat: quòd autem de huiusmodi nominibus non fuerit solicitus legatis eundem Galenum.4. per genera 6. ubi admonet medicamenta, uel calida, uel frigida, uel humida, uel sicca denominari à prȩpollente in ipsis qualitate, siue facultate, siue substantia, siue temperie malis dicere; ex his itaq; patet à Galeno hȩc nomina promiscuè usurpari: quare neq; authoritas illa in lib. de mult. cap. 3. cogit nos ut ab hac sententia recedamus, ibi namq; docet Galenus aliam esse facultatem uenarum, aliam arteriarum, aliam neruorum: & substantiam generationi atq; interitui obnoxiam esse eamq; per totam seipsam alterari prò quattuor qualitatibus caliditate, frigiditate, humiditate, & siccicitate, & corporis cuiuslibet propriam substantiam tali esse temperie, & proinde substantiam facultatum quibus ea reguntur esse proprietatem temperamenti: quare manifestis verbis asserit Gal. facultatem corpus nostrum gubernantem nihil aliud esse quam proprietatem temperamenti, ac si nullam aliam formam, cui deberetur actio præter hanc unam proprietatem agnosceret, quod nullo modo dicendum est, quoniam nedum ueritati, uerùm etiam sibi met ipsi repugnaret Gal. ut constat ex iis quæ supradicta sunt, ueritati quidem quoniam non esset unica facultas communis, & tota in toto, & tota in qualibet parte: prætera quælibet facultas esset infita, quando quȩlibet pars corporis suam habeat propriam temperiem, & sic facultas animalis non permearet per neruos, uitalis per arterias, naturalis per uenas, quare medicè loquitur ibi Gal. & propterea impropriè non autem philosophicè, & propriè. neq; authoritas illa Gal. 1. de usu par. 9. & aliæ id genus, quibus uidetur uelle tẽperaturã esse formam substantialem cuiusq; particulæ ab hac sententia nos auocare debet, quoniam uerum est carnem ab aliis particulis, & sic, neruũ differre propter suam temperiem, sicut partes instrumentales inter se differunt per suam compositionem, ergo temperatura, & compositio sunt formȩ substantiales, & agentia principalia quis hac auderet affirmare? Neq; authoritas Gal. in lib. quod animi mores corporis temperaturas sequantur cap. 3. & 4. nos multum perturbare debet, quoniam ibi Galenus ab euidentibus sensui argumentatur tanquam medicus, & propterea cùm obseruasset temperaturas corporis nedum animæ functiones immutare, uerùm etiam eandem à corpore separare, existimauit medico satius esse vt dice-

ret mortalem animæ partem corporis eſſe temperaturã,& propterea laudauit Andronicum peripateticum qui opinionem hanc ſecutus eſt, in eoq; tantùm erraſſe dixit quòd exiſtimarit facultatem eſſe comitem temperaturæ cùm anima non unam ſed plures habeat facultates:quo loco non poſſum uidere quomodo quidam exiſtimarunt Ariſt. uoluiſſe Galeni teſtimonio temperaturam eſſe formam ſubſtantialem, quando Ariſt. ubi de anima loquitur non tantum argumentatur ab his,quæ ſenſui ſubiecta ſunt, ſed potiſſimum ab his,quæ rationi conſentanea uidentur: quod uerò Gal. in eo libello ſenſu non ratione nitatur licet uidere apud eundem in calce eiuſdẽ libelli, ubi Epilogo concludit ea quæ dicta ſunt inquit enim ſermo itaq; noſter cùm his quæ ſenſui ſubiecta ſunt congruit; tota itaq; doctrina illa cùm ex probabilibus progrediatur, à ſchola philoſophorum nõ debet nos auocare, neq; ob id exiſtimare debemus Galenum dum ſe philoſophum profitetur opinionem hanc tueri.

Differentiæ morbi propriæ,& eſſentiales. Cap. XVII.

PRopoſita morbi eſſentia,nunc ex illius diuiſione differentiæ ſunt nobis inueſtigandæ,ut ſpecies morborum conſtituantur,ex quarum cognitione facile ſit ipſorum morborum remedia per indicationes indagare.Sed animaduertendum eſt has differentias duum eſſe generum aliæ namq; ſunt propriæ,& principales: aliæ communes; propriæ ſunt illæ,quæ conſtituunt determinatas ſpecies morborum, & quæ ita uni ſpeciei conueniunt,ut alteri conuenire nullo modo poſſint: communes uerò quæ pluribus ſpeciebus conueniunt.

Et quoniam eſſentia morbi ad ſolam formam pertinet, & propterea ad ſolam conſtitutionem præter naturam ſi medice loquamur,quæ conſtitutio præter naturam ſpectatur,uel in partibus ſimilaribus, uel inſtrumentalibus uel in utriſq;,propterea differentiæ proprię ac determinatæ ſumuntur à cõſtitutione præter naturam tum partium ſimilarium tum diſſimilarium, tum utriuſq;. Conſtitutio itaq; partium ſimilarium à naturali ſtatu recedit uel merito permiſtionis ſubſtantiarum elementorum, uel quattuor qualitatum: ſi merito permiſtionis ſubſtantiarum elementorum oritur morbus, qui dicitur à proprietate,qui nunquam eſt adſcititius, cùm habeat originẽ à principio generationis, ſed natiuus dicitur; at ſi recedit à naturali ſtatu merito quattuor qualitatum inter ſe agentium, & patientium id contingit uel merito actiuarum, uel paſſiuarum qualitatum, ſi ratione actiuarum id fit,uel vitio caliditatis, vel frigiditatis, vnde intemperies calida, intemperies frigida; ſin paſſiuarum,uel uitio humiditatis,uel ſiccitatis, vnde intemperies humida,intemperies ſicca: & quia qualitates actiuæ cum paſſiuis ſe compatiuntur immò ſemper actiuæ cum paſſiuis ſunt coniunctæ,hinc fit,ut quandoq; partis ſimilaris conſtitutio recedat à naturali ſtatu, & ſecundum qualitates actiuas,& paſſiuas,& tunc morbus dicitur compoſitus, alioquin ſimplex appellatur. Cùm itaq; fuerit compoſitus;fieri poteſt, ut ſit complicatus,uel non complicatus, complicatum appellant cùm utraq; qualitas nempe

nempe actiua, & passiua, uel duo genera morborum eandem partem obsideant; non complicatum uerò dicunt cum una pars uno genere morbi, altera altero corripitur: quamuis Gal. 7. meth. 12. non seruet hanc exquisitam nominum distinctionem.

Quòd si constitutio hæc præter naturam spectatur in partibus dissimilaribus, cùm huiusmodi partes constent ex optima positione, & quantitate partium similarium, & totum corpus, ex optima positione, & quantitate membrorum, & partium dissimilarium, hinc fit, vt constitutio possit recedere à naturali statu, & secundum situm, & quantitatem partium constituẽtium: si recedunt secundum situm, uel positionem oritur morbus in situ, si secundum quantitatem, hęc uel est continua, uel discreta, si discreta spectatur, & fuerit uitiata, fit morbus in numero, vel ex defectu, vel ex vberantia, ex uberantia quidem, vel rei naturalis, vt sexti digiti, tertij testiculi, vel alterius huiusmo partis; vel est rei toto genere præter naturam vt verrucę, & calli; defectus verò, est solius rei naturalis, quæ vel ab ortu deest, ut cùm quis mancus nascitur, uel postea detrahitur, ut manus amputatio, idq; siue partim, siue omnino desit. Ex quo facile apparet neq; calculum, neq; lumbricos, neq; grumum esse morbum in numero, cum non sint partes ipsius compositi excedentes: & si quandoq; Gal. hæc inter morbos enumerat, id facit non quia existimet calculum, & quæ sunt huius generis esse morbos, sed quia morbi, qui ab his oriuntur non sunt ex usu, cum ab his nulla sumatur utilis indicatio. At si quantitatem continuam partium considerabimus hæc duplex esse potest, uel indifferens, vel determinata, quantitas cõtinua indifferens dicitur, quæ tam partes internas quam externas simul et eodem tempore peruadit, & occupat, ueluti, est magnitudo aucta, uel imminuta, ita enim augentur, uel imminuuntur partes internæ quemadmodum externę. Determinata uerò dicitur quando ita obsidet partes internas, ut non externas, uel econtra, & hinc oritur ille morbus, qui dicitur mala conformatio, quæ siue obsideat partes externas siue internas, uitium est uel in superficie, uel in figura, si in superficie, uel leuiori, uel asperiori si uitium fuerit in figura, & partes externas obsideat, id multiplex esse potest, prout uariæ sunt figurę, caput namq; figuram uitiosam obtinere potest, quę si fuerit eius generis, ut actiones capitis lędantur, morbus dicitur, alioquin symptoma nominabimus: simitas quoque nasi si narium meatus ita obstruat, ut illius actio, uel usus lędatur, morbus erit in figura: huius generis sunt gibbositates, ad hæc referuntur uaci, ualgi, uari, & quæcunque sunt huius generis, quorum actio ob figuræ uitium lædatur: hoc autem dico propterea quod fieri potest, ut figura deprauetur, actio tamen non propter figuræ uitium, sed ob aliquem morbum lędatur, ad quem uitium figuræ sequatur, ut symptoma, quemadmodum in luxationibus contingere solet. quod si partium internarum figuram spectemus, uitium erit in cauitatibus, quas & meatus, & uias, & ductus appellabis, & hoc uel ad multitudinem, uel ad magnitudinem pertinebit, utcunq; sit uitium hoc, uel erit in excessu, uel in defectu; excedit meatuum multitudo quando sunt plures quàm deceat siue natiui, siue aduentitij fuerint, quod tamen rarò ad-

modum

modum contingit, nam etsi Gal. 2. de temp. 6. in quadrupedum dissectionibus unicum porum feleum plerunq; obseruauit, in quibusdam uerò geminum esse; in corporibus tamen humanis id non apparet, at sępius uitiũ hoc in defectu contingit, siquidem uirgines duas memini me vidisse quarũ alteri os uuluæ non erat perforatum, & per anum reddebat vrinam, alteri uerò, anus erat occlusus ita ut feces per uuluam excerneret.

Excedit autem meatuum magnitudo quando latius patent quam par sit, contra uerò deficit, quando iusto angustiores redduntur, si fit excessus uel ad orificium, uel ad tunicas pertinet, si ad orificium reclusio seu dilatatio, & anastomosis appellatur; sin ad tunicas, uel laxitas, & diapedesis, uel diuisio seu diæresis nominatur prout, uel à causa emolliente seu relaxante, uel incidente, seu abradente inducitur; pariter quoq; defectus, uel ad orificiũ, uel ad tunicas est referendus, & quocunq; modo fiat communi uocabulo angustia dicitur. curaui ego quendam cuius præputij foramen adeo erat angustum, ut uix vrinam redderet. Cæterum angustia hæc multiplex esse potest, prout à multiplici causa producitur, ut docet Gal. lib. de causis morb. cap. 7. nam si à re aliqua extrinsecus comprimente producitur, dicitur compressio. Constipatio uerò si fiat ob carnem adnatam, uel ob aliud germen præter naturam: uel propter durum, seu inflammatum tumorem, aut ob abscessum in corporibus instrumentorum, uel propter eundem tumorem interiorem cauitatem occupantem. Subsidentia si ab adstringentibus, & frigidis, aut calefaciẽtibus excitatur. Coalescentia si exulcerata fuerit interior cauitatis superficies, tunc enim particulæ coalescunt, in nonnullis enim ex coulceratione facta fuit digitorum, labrorum, & palpebrarum cohærentia ut refer Gal. 2. de off. med. 25.

Scio doctissimorum uirorum opinionem fuisse, nec non quorundam aliorum qui fortasse hosce uiros secuti sunt hosce morbos ad situm pertinere, quod tamen fieri non potest, quoniam in eodem genere statuenda est partium coniunctio in quo partium dissolutio, at in eo ponitur solutio continui seu contigui in quo continuum seu contiguum, at hæc ponuntur in quantitate, ergo & soluta unitas, & sic coniunctio discreti. Obstructio tandem appellatur si fiat à lentis, & crassis humoribus, uel ob callos aliquos uel grumos, & lapides cauitates occludentes.

Quòd si cõsideratur constitutio præter naturam ut est communis utrisq; partibus tum similaribus, tum dissimilaribus fit morbus in soluta unitate, qui uarias sortitur appellationes pro discrimine tum causarum efficientiũ, tum locorum, nam si solutio fiat in parte similari, hæc uel erit carnosa uel ossea, si carnosa fuerit, & producatur à materia mordaci, acri, & adurente dicitur ulcus, sin ab incidente dicitur uulnus, si à re graui, & dura dicitur cõtusio, sin à repellente dicitur tensio: quod si pars, quæ afficitur ossea fuerit, & in ea fiat solutio continui, cùm hęc fieri possit, & à materia mordaci, & corrodente, & à materia frangente, si fiat à re corrodente ac putrefaciente teredo, & caries nominabitur, sin à re frangente dicitur fractura, de cuius differentiis ac speciebus ubi de fracturis loquemur, longè lateq; disputabimus.

Verùm

Verùm si solutio fiat in parte instrumentali cùm aliter fieri non possit, nisi partes, quæ uirtute facultatis formatricis unitæ sunt, & coniunctæ, à se mutuo separentur, seiungantur, & ui quadam auellantur: hinc factum est ut speciem hanc solutionis auulsionem Latini, Græci ἀποσπάσμα nominarēt, ueluti contingit cùm cutis à membrana, & membranę à musculis, & musculus à musculo in abscessibus diuelluntur, ac separantur, quare cùm partium diuersarum coalitus dissoluitur dicitur ἀποσπάσμα; non autem cùm pars aliqua ita fuerit ab altera separata, ut omnino ab ipsa parte instrumentali sit auulsa, & detruncata, quoniam tunc nō erit proprie auulsio, sed morbus in numero deficiente, & magnitudine imminuta.

Neq; ob eam causam si frustum aliquod membranosum tussiendo reijciatur apospasma debet appellari, quia dixerit Gal. in arte med. cap. 90. Continuitatis solutionis curationem scopum habentem vnionem in partibus instrumētalibus impossibilem esse, quoniam propositio illa Galeni non est eo modo intelligenda, quo intellexit Martinus Acaκia, & Thomas à Veige, quos secuti sunt & alij uiri grauissimi, etenim cùm isti non intelligerent quomodo curatio apospasmatis, quæ solutio est continui, in partibus instrumentalibus impossibilis esset, existimarunt aut apospasma fieri, cùm fit separatio instrumenti à corpore; aut propositionem illam Galeni non esse uniuersalem, sed de illo genere apospasmatis solùm uerificari, quod fit cū pars aliqua omnino separatur à corpore, quod genus affectus quomodo apospasma sit nominandum non video, si apospasma illud esse velimus, quod fit ubi partes diuersorum generum unitæ à se mutuo seiunguntur, ac separantur, non autem ex toto præscinduntur, & à corpore subiecto detruncantur; quoniam etsi tunc adsit soluta unitas, affectus tamen ille non dicitur apospasma, sed uel uulnus, uel ulcus.

Quare nos existimamus propositionem illam Galeni esse uniuersalem, & ueram, quoniā cùm ibi Galenus solutæ unitatis indicationes curatiuas proponat, nisi admonuisset solutam unitatem in partibus instrumentalibus curari non posse, cùm nihil de indicationibus, quæ capiuntur à soluta unitate partium instrumentalium fuisset locutus, cuipiam diminutus uideri potuisset, ne itaq; hoc crimine damnaretur admonere uoluit apospasmata nunquam per unionem sanari posse, quemadmodum neq; solutio unitatis partium similarium perpetuò per unionem curari potest: non reddit autem rationem Galenus tum breuitatis gratia, tum quia id notissimum esse existimabat, quoniam eadem est ratio de partibus similaribus, quæ solutæ uniri non possunt, atq; de instrumentalibus, siquidem in utrisq; semper est referenda in calidi ingeniti imbecillitatem, in similaribus uerò interdum etiam in morbum in numero, quemadmodum longiori oratione in præludijs nostris anatomicis cap. 17. declarauimus, ad quem locum lectorem reijcio: quòd autem hoc uerum sit, illi soli, qui artem secandi exercuerunt, cognoscere possunt, cùm longa experientia docti obseruarint partes omnes similares nec non instrumentales inter se beneficio partium seminalium necti, & copulari: siquidem uidemus cutim partibus subiectis interdum coalescere interdum adhærescere, non ita tamen ut partibus subiectis uinculis

qui-

quibuſdam non alligetur, cùm ipſa quidem ex omnibus partibus ſubiectis propagines paucas, tenues, raras, ægre cõſpicuas inſtar araneæ cuiuſdam filorum recipiat, ut nobis quoq; teſtatum reliquit Gal. 9. de uſup. 15. & quod dictum eſt de cute, idem quoq; in reliquis omnibus partibus tum ſimilaribus, tum inſtrumentalibus obſeruare licet: omnes namq; quibuſdam tenuibus membranoſis ueluti ligamentis colligantur, ut interdum pars quędam ſimplex, duplex, ac triplex eſſe uideatur quemadmodum in ſeparatione membranæ carnoſæ à ſubiectis partibus ununſquiſq; obſeruare poteſt.

Cùm itaq; in apoſpaſmate tenuiſſimæ illæ membranæ ac fibroſa illa ligamenta diſrumpantur, & abſumantur, neq; poſſint amplius regenerari ob eam cauſam quam ſupra diximus, & fuſius in pręludijs dictum eſt, hinc factum eſt, ut dixerit Galenus ſolutionem continui in partibus inſtrumentalibus per unionem ſanari non poſſe, & quamuis in abſceſſibus partes diuulſæ ac ſeiunctæ interdum agglutinari uideantur, agglutinatio tamen illa vera vnio, ſiue contactus nominari non poteſt, cùm partes, & vincula illa diſrupta vt diximus, & abſumpta regenerari neq; vniri poſſint, ſed partes auulſæ inter ſe non aliter ac oſſa fracta obducto callo iunguntur.

Sed quod hoſce viros doctiſſimos adduxit vt crederent Galenum ſermonem habere de parte à corpore omnino ſeparata, fuit, ut arbitror, nedum obſeruationis anatomicæ imperitia, uerùm etiam authoritas Galeni in lib. de conſtitutione artis med. cap. 6. male intellecta, & in latinum peius conuerſa, quoniam ubi legitur ſi pars aliqua ſimilaris tota præciſa fuerit, uertendum eſt, ſi diuiſa fuerit, vt periti Græcarum literarum optime norunt. utitur namq; Gal. uerbo διαιρέσειν quod eſt Latinis diuidere, diducere, ſeu diſtrahere non autẽ ὑποτέμνειν, ſeu προτέμσειν uel ἀποκόπτειν quod eſt præcidere, ſed translatores cùm nullum agnoſcunt diſcrimen inter diuidere, & præcidere, idem uerbum nunc præcidere, nunc diuidere tranſtulerunt vt ibidem apud Galenum obſeruari poteſt; non enim eſt neceſſe ut quod ex toto diuiditur, idem illud à parte ſubiecta omnino præcidatur.

At dum ſoluitur unitas alicuius partis ueluti nerui, uel muſculi, uel uenæ, uel arteriæ id bifariam contingit: nam uel ex toto reſcinditur, uel non ex toto; ſi non ex toto morbus erit per ſe partis ſimilaris, ex accidenti autẽ totius membri: quòd ſi fuerit ex toto diuiſa morbus dicitur communis tum partis ſimilaris, tum diſſimilaris, ſimilaris quidẽ per ſe; diſſimilaris uerò interdum per ſe; interdum per accidens; per ſe quidem ueluti cum uinculũ ex toto diſſecatur; quoniam partes, quæ uirtute ligamenti prius erant unitæ, non amplius cohærent; quo fit etiam vt nulla fiat ſolutio continui in parte inſtrumentali per ſe in qua ligamenta non diſecentur ex toto, quando & fibroſa illa corpuſcula, & quaſi filamenta, quibus, & membrana cùm muſculis, & organa communia tum inter ſe tum partibus proximis alligantur non ineptè uincula ſeu ligamenta nominari poſſint, per accidens uerò partem diſſimilarem morbo in ſoluta vnitate laborare cũ Galeno dicimus quãdo uel muſculus uel alia pars huiuſmodi ex toto diſſecatur; quoniam, & ſi muſculus per ſe conſideratus ſit pars diſſimilaris comparatus tamen cum inſtru

mento

mento magis compofito,& ut pars illius confideratus fimilaris pars quodã-modo nominari poteft, cuius diuifio per accidens dicitur morbus, uel manus,uel pedis,fi vt pars horum inftrumentorum confideretur,quoniam,etfi mufculus ex toto diuidatur,non fequitur tamen vt partes totius inftrumen ti non cohæreant; quare ni fecetur ligamentum numquam erit morbus per fe partis inftrumentalis, & fic audiendus eft Gal. in lib. de conft.art.6. Nec perturbare nos debet quod Gal.in lib.de diff.morb.cap. 11.dicat diuulfionē totius arteriæ morbum effe in foluta unitate per fe nedum partis fimilaris verùm etiam disfimilaris,quoniam per diuulfionem duo nobis fignificat, & diuifionem ipfius arterię cuius caufa dicitur foluta unitas partis fimilaris per fe;& eiufdem feparationem a partibus contiguis per difruptionem corpufculorum illorum tenuiffimorum ; ui cuius dicitur morbus per fe partis inftrumentalis,& propterea fubdebat Gal.fi arteria,uel pars illa fimilaris nō ex toto diuulfa fuerit, fed parte aliqua tantum, quemadmodum fi folum fuerit diuifa,non autem à partibus proximis abiuncta, tunc morbus erit partis fimilaris per fe, per accidens uerò totius inftrumenti ; uide quid dicant alij. & hæc de differentiis, quæ quid agendum genericum præfcribūt, quę quidem indicatio quamuis utilis exiftat, cùm tamen nō fit artificiofa, hinc factum eft, ut aliæ differentię fuerint excogitatę , quæ quamuis communes fint omnibus morbis, tamen cum indicent quid agendum non aliunde de fumi debent quam ab effentia morbi; fola enim eft illa, quæ docet remediorum inuentionem : fcio quid dicant alii,qui dum a confequentibus effentiam huiufmodi differentias hauriunt, fuammet doctrinam inconftantem reddunt.

Differentiæ morborum communes. Cap. XVIII.

QVare illud unum eft animaduertendum, ficut differentiæ proprię ac determinatæ defumuntur à conftitutione determinata, fic differentię communes, à quibus capiuntnr indicationes curatiuæ, quæ utiles, & artificiofæ dicuntur, capiuntur à conftitutione præter naturam in genere, quæ non magis pertinet ad partes fimilares quam disfimilares.

Si conftitutionem itaq; hoc modo fpectemus cum fit quid pręter naturam,hanc propulfare debemus, & quoniam duobus modis propulfari poteft,hinc fit vt duo genera morborum oriantur; alterum quidem cum ad propellendum morbum foli caufæ occurrimus, non autem morbo, & hoc genus morbi dicitur logicum fiue ratione contemplabilem, ueluti eft obftructio; alterum verò eft, cum nedum caufæ uerum etiam morbo occurrimus,& dicitur morbus ex ufu ueluti eft febris.

Huius autem morbi uis eft æftimanda merito cuius dicimus morbum effe uel uehementem,uel debilem,& hoc eft nobis diligentiffimè animaduertendum,nam fiquid eft,quod medicum à uulgaribus,hominibus,& idiotis diftinguat,hoc unum eft, huius namq; ope ac beneficio tantum remedia curatoria morbo cuiq; maximè accommodata fummo artificio inueftigamus, ut docuit Gal.4.meth.6. quare ut id facilius confequamur fciendum

eft

eſt utrunq; bifariam conſiderari, uel ſimpliciter, uel ſecundum quid. Morbus vehemens ſimpliciter eſt ille, qui talis eſt ſecundum propriam morbi eſſentiam; ſecundum quid verò qui talis eſt non ſecundum propriam morbi eſſentiam; ſed merito partis afflictæ, quemadmodum nobis teſtatum reliquit Galen. 7. meth. 12. & 4. meth. 6. idem dicendum eſt de morbo debili, cum eadem ſit oppoſitorum doctrina; de quibus fuſius in methodo diſputabimus.

Sed hoc ſcire eſt nimis genericum, & commune, & propterea non admodum vtile, quare vt morbi vehementia diſtinctè cognoſcatur, ſciendum eſt cum Galeno octauo. meth. vltimo & undecimo meth. tertio eſſentiam morborum triplicem eſſe genericam nempe, ſubalternam & ſpecialiſſimam, generica quidem eſt veluti febris, ſubalterna, vt febris ardens; ſpecialiſſima, vt febris ardens in corpore ſenili, temperaturæ frigidæ, & humidæ, in regione frigida, tempore hyemali, & ſtatu cœli humido: hæ ſunt eſſentiæ morbi, quæ ſub ſcientiam cadere poſſunt, de indiuiduali namque eſſentia, cum ſit infinita non eſt ſcientia, ſed de his fuſius in methodo medendi. Morbus itaque vehemens, vel grauis ſimpliciter dicitur merito eſſentiæ genericæ, ſubalternæ, & ſpecialiſſimæ, ſi merito eſſentiæ genericæ dicatur uehemens, hanc morbi grauitatem, & vehementiam Gal. appellat uehementiam ratione dignitatis. xj. meth. 3. 8. meth ultimo & 7. meth. 12. quæ dignitas uel uitæ, uel ſanitatis reſpectu eſt iudicanda; nam ſicut ea, quæ uitam magis cuſtodiunt, uel ſanitatem tuentur ſunt digniora, ſic in genere morborum, qui magis uitam perturbant, & ſanitatem labefactant dignitate ſunt grauiores: quòd ſi morbus grauis dicitur merito eſſentiæ ſubalternæ, & ſpecialiſſimæ, talis dicitur ratione magnitudinis ex Gal. 11. meth. 3. & 8. meth. ul. quæ magnitudo ex Galen. 11. meth. 3. duplex eſt, uel ratione propriæ ſubſtantiæ & eſſentię ſubalternæ conuenit; uel declinationis à naturali habitu, & eſſentiæ ſpecialiſſimę propria eſt: tot itaq; modis morbus dicitur uehemens, & grauis ſimpliciter, nec non debilis ſimpliciter.

Vehemens uerò ſecundum quid dicitur ratione partis afflictæ, ut ſupradictum eſt, cuius partis dignitas, & pręſtantia ex utilitate metimur ex Galen. 6. de uſup. cap. 7. quæ utilitas triplex eſt genere, aut enim refertur ad uitam ipſam, aut ad uitam commodiorem, aut ad utriuſque conſeruationem, ac tutelam: quæ ad uitam ipſam conferunt abſque dubio digniores, & principes iudicantur à medicis; reliqua uerò duo genera magis minuſve digna prout principes cum his facilius difficiliuſve compatiuntur, at quæ ſint partes illę quæ ad uitam ipſam; quę ad uitam commodiorem, & quæ ad utriuſque conſeruationem pertinent non eſt difficile iudicare, qua de re in præludijs noſtris ſatis ſuperque locuti fuimus ἐυδὲ πάντα περὶ πάντων. & hęc de differentijs à quibus utiles, & artificioſæ ſumuntur indicationes, reliquę uerò quæ plures eſſe ſolent, cum ad inuentionem remediorum nihil conferant, niſi ea ratione qua morborum uehementiam & grauitatem, uel eorundem debilitatem pręſcribunt, mirum non eſt ſi ab eſſentia morbi non capiuntur.

Quare

Quare se constitutionem preter naturam consideramus, vt remedijs, siue materiebus remediorum propter aliquam prauam qualitatem magis, vel minus repugnat, dicimus morbum esse, vel boni, vel mali moris, qui vel principalis, vel non principalis dicitur, principalis quidem vocatur, si per se, & propria ratione non per aliud praua quadam qualitate vehemens est, veluti exempli gratia dicimus pleuritidem esse mali moris, quæ pungentem lateris dolorem insignem habet, febrem acutam, tussim & spirandi difficultatem: non principalis verò, si non per se, neque propria ratione, sed per aliud qualitatem illam prauam adeptus fuerit, cuiusmodi esset febris tertiana, quæ suapte natura non est maligna, sed ob aliquam inflammationem, quam adnexam haberet, malignitatem contraxit.

Quòd si tandem constitutionem spectemus, vt refertur ad corpus humanum, triplex oritur consideratio, vno quidem modo consideratur corpus, ut morbo subijcitur: altero modo, ut illius actio lęditur: tertio vt habet analogiam, seu proportionem cùm morbo; si consideratur, ut morbo subijcitur tunc dicimus morbum, uel totum corpus occupare, uel partem; si totum corpus obsidet dicitur communis veluti febris; sin partem, uel ita obsidet & occupat unam partem, ut alteram occupare non possit, & dicitur morbus appropriatus, ueluti est Epilepsia, peripenumonia, pleuritis, & quę sunt huius generis; vel ita obsidet unam partem; vt alias quamplures indifferenter, & sine ullo discrimine affligere possit, & dicitur morbus communis per indifferentiam.

Quòd si consideratur, vt illius actio læditur, morbus dicitur, vel per se, vel ex accidenti illius partis, quam inuadit: per se quidem morbus dicitur illius partis cuius actio læditur, ex accidenti uerò cùm pars aliqua morbo corripitur, & actio alterius partis læditur, ut si ex obstructione uenæ iecinoris sanguificatio lædatur, morbus per se iecinoris diceretur, ex accidenti verò ipsius uenæ; eadem ratione si propter angustiam asperæ arteriæ respiratio lęderetur, morbus per se thoracis, ex accidenti uerò asperæ arteriæ nominabitur, nisi fortè, & usus asperę arteriæ læderetur, & sic de singulis.

Tertio loco si consideratur analogia, seu proportio inter corpus, & morbum, dicitur morbus, uel proportionatus, uel non proportionatus, proportionatus, ut febris ardens in iuuene calidioris temperamenti, non proportionatus in sene frigidæ temperaturæ.

Rursus quia constitutio hæc præter naturam à causa morbida producitur, hinc fit, vt à causa quoque differentiæ capiantur. Causa itaque consideratur, ut agit in corpus humanum, quoniam nisi actu ageret, uerè causa morbida non diceretur, & quoniam actio tempore metitur, hinc fit, ut si actio diuturna sit, morbus diuturnus: sin breuis, breuis quoque dicatur.

Et quoniam aliquando accidit, vt quod agit sit causa tantùm, interdum vt sit morbus, hinc fit, vt morbi dicantur, vel primigenij, & incipientes, vel secundarij, & posteriores, & sic non incipientes, hoc morbo-

rum genus Græci δευτεροπάθειαν, uel ὑστεροπάθειαν, illud πρωτοπάθειαν nominarunt; primigenij, ſeu incipientes morbi dicuntur ſi à cauſa tantum, quę non ſit morbus producitur, vt inflammatio, quæ à ſola cauſa, vel interna, vel externa originem habet, ſecundarij verò, ſeu non incipientes ſi ab alio morbo tanquam a cauſa producerentur, vt febris hectica ſi ex putrida generaretur.

Quòd ſi conſideremus cauſam, quæ ita eſt cauſa, vt non ſit morbus, huius duo ſunt genera, alias internas, & antecedentes, alias externas, vel primitiuas nominarunt: ſi cauſas internas ſpectemus duplex oritur conſideratio, vel illarum ſubſtantia conſideratur, vel initium, ſi ſubſtantia conſideratur, vel eſt vapor, vel fons, & fomes vaporis, ac veluti minera, quodcunque ſit, vel eſt ſimplex; vel permixtum, unde morbus dicitur, uel legitimus, & exquiſitus, vel nothus & ſpurius; nam morbus legitimus dicitur ille, qui fit a pura, & ſimplici materia, nothus verò qui à permixta.

At ſi uitium cauſæ morboſæ hoc eſt materiæ ſpeculemur, quot erunt prædicata, ſeu attributa materiæ, tot modis ab optimo, & naturali ſtatu recedere poterit, ex quibus nonnulla ad id quod uolumus eſſent maximè accommodata. materiæ itaque attribui poteſt, vt ſit corpus non mathematicum, ſed naturale, quia producitur à natura humano corpori inimicum, & infenſum, quare cum materiæ attribuatur, vt ſit corpus mixtum ex neceſſitate quoque ſequitur, vt compoſita ex materia, & forma, & iam adepta ſit, quæ corpori mixto accidere ſolent, cuiuſmodi eſt quantitas, & qualitas, tum alteratiua, tum motiua, & ſi corpori humano debet eſſe infenſa, neceſſe eſt, vt agat in ipſum: quare ſi materiam ſpectemus merito formæ, uel à naturali ſtatu recedit, uel priſtinam formam ſeruat: ſi recedit neceſſariò putreſcit, & corrumpitur, unde morbus contagioſus dicitur; ſin minus non erit contagioſus quandiu enim materia priſtinam formam ſeruat tandiu morbus contagioſus eſſe non poteſt.

At ſi eandem ſpectemus merito quantitatis, pro quantitate materiæ peccantis morbus erit magnus, uel paruus, quòd ſi illius qualitatem alteratricem ſpeculemur morbus erit, uel calidus, uel frigidus, uel humidus, uel ſiccus, quamuis etiam huiuſmodi morbi abſque materia eſſe poſſint: ſin motiuam, uel motus erit continuus, uel interpollatus, ſi continuus quemadmodum in febribus in quibus materia mouetur in uenis tantum, tunc morbus dicitur continuus, & ſic febris continua; at ſi illius motus fuerit interpollatus quemadmodum in febribus tertianis in quibus materia mouetur à uenis ad extra uenas tunc morbus interpollatus uocabitur, & ſic febris erit interpollata, ſeu intermittens: & quia omnis motus, uel eſt ordinatus, uel inordinatus, hinc morbi etiam uel ordinati, uel inordinati dicuntur.

Cęterum ſi materiam conſideramus, ut eſt infenſa, & humano corpori inimica, & propterea, ut agit, cum in qualibet actione ſpectetur tempus, & locus, merito temporis, uel dicimus materiam ipſam corpori humano

mano infitam effe congenitam, & à primordio generationis compara-tam, cuius caufa morbus natiuus dicitur, & hereditarius, uel aduenti-tiam, quæ corpus iam genitum inuafit, & huius caufa morbus eft adfiti-tius; uel confideramus fpatium temporis quo agit, & huius caufa dici-tur, uel longus, uel breuis, ut fuprà diximus: at merito loci materia uel agit, & morbum inducit in eo loco in quo generatur, uel non pro-ducit morbum, ubi generatur: fi morbum inducit ubi generatur, mor-bus ille dicitur proprius, feu per effentiam: fin minus per confenfum, hunc Græci συμπάθειαν, illum ἰδιοπάθειαν nominarunt, at qui nam fint illi morbi qui proprij, & per effentiam dicuntur fatis conftat, qui uerò per confenfum, non ita omnibus compertum eft. Quare fcien-dum eft morbos per confenfum tribus modis fieri poffe, uno modo cum pars aliquid, ut diximus, præter naturam aliunde illapfum exci-pit, ueluti cum a uentriculo, aut humores tenues, aut corrupti uapo-res in caput fublati nunc mentis actiones interturbant; nunc menin-gam diftentione, uel ex feu dolorem excitant, nunc oculis fimulatas fictasque imagines obijciunt, atque repræfentant. Altero modo cum facultas opifex, uel potius uehiculum facultatis in partem illabi & in-fluere prohibetur, ueluti cum fpinæ medulla inflammata, & conden-fata crurum refolutio incidit, omnisque illorum motus, fenfusque perit; & obftructis neruis opticis actio uidendi concidit. Tertius per confenfum affectus eft, cum materia ad agendum neceffaria eò conflue-re prohibetur, ut obftructis pulmonibus, aut refolutis coftarum mufcu-lis, aut perforato thorace, quia non fatis fpiritus cum efflatu ad laryn-gem compellitur, uox quæ illius eft actio, aut fupprimitur, aut etiam perit.

Quinetiam morbus per confenfum dicitur, cum ex magna uenarum, quę ad iecur funt, obftructione alimenti penuria corpus languefcit, tandemq; atrophia contabefcit.

Ex hoc loco illud obiter eft animaduertendum, quomodocunque, feu naturalis, feu animalis pars confenfu laboret, nifi in ea contracta fuerit conftitutio præter naturam, affici quidem, & pati dicitur, quandoqui-dem illius actio, uel omnino perit, uel quodammodo impeditur, ægrota-re tamen non ex neceffitate neque proprie dicitur, neque ipfa illius affe-ctio morbus eft, cum in illa parte non fit conftitutio præter naturam, nec illi remedia adhibeantur, nec fi adhiberentur magnopere iuuarent: quare ficut parti morbus ineft, neceffario illius actio læditur; non è contra: non enim fi partis actio læditur ftatim fequitur illam morbo teneri, poteft ta-men fieri, ut tractu & fpatio quodam temporis conftitutio quædam pręter naturam inducatur.

Poftremò fi actio confideretur, ut eft, uel impetuofa, uel remiffa, uel pe-riculofa, uel fine periculo, tunc alię morborum differentię infurgunt, quo-niam fi materia abfque impetu agit in corpus humanum etiamfi morbus fit breuis, non eft tamen acutus: at fi cum impetu agat, uel agit cum pe-riculo, uel citra periculum: fi abfque periculo mouetur fit morbus, qui ac-

cedit ad naturam acuti, vt est febris tertiana intermittens exquisita; sin cum periculo tunc morbus verè acutus dicitur, vt est febris ardens. Sed aliàs de his fusius.

At si causas externas contemplemur ab his quoque capiuntur differentiæ, nam vel similes, vel dissimiles dicuntur: dissimiles dico quando plures ægrotant ob varias, & dispares causas, & huiusmodi morbi vocantur sporadici, seu sparsi; quòd si causę fuerint similes, quemadmodum cum plures ob eandem causam ęgrotant, tunc morbus communis dicitur, qui quidem subdiuiditur: nam illę causę, vel seruant eundem tenorem, vel non eundem seruant: seruant quidem, quando determinato, ac statuto anni tempore in eodem statu, ac regione huiusmodi causæ homines exercent, vnde morbus nuncupatur communis, seu endimius, seu patrius; quod si eundem tenorem non seruant morbus dicitur Epidemicus. At si affligit citra periculum Epidemicus simpliciter nominatur: sin cum periculo dicitur morbus Epidemicus pestilens, cuiusmodi sunt febres pestilentes. Et hæc de differentijs omnium morborum, à quibus vt diximus nulla sumitur indicatio nisi quatenus ad grauitatem, seu intensionem, vel remissionem morbi referuntur: quas si quis meliori, & magis artificiosa methodo inuenire potuit, huic quoque maiores gratiæ erunt habendæ.

De causis morborum. Cap. XIX.

PRoposita morbi definitione, propositis illius differentijs, cõsentaneum est, vt de illarum causis sermonem instituamus; cum nullius rei perfecta cognitio haberi possit, cuius origo ignoretur.

Cum itaque causæ omnes morborum sint nobis peruestigandæ, quæ ad illorum cognitionem, curationẽq; sunt necessarię; propterea definitio causæ prius est proponenda, vt ex illius diuisione facilior sit aditus ad differentias perquirendas.

Causam itaque morbosam dicimus illã, quæ morbi est causa: colligi potest hæc definitio ex Aristotele 7. metaph. t.c. 1. Hic autem effectus cum sit accidens, & præter naturam, triplici genere causarum perficitur, efficiente nempe: materiali: & formali: etenim vt producatur morbus causa efficiens est summe necessaria, vt verò existat, materia in qua: vt sit, forma; rursus vt conseruetur causa efficiens maximè desideratur dummodo sit in fieri, forma verò si fuerit in facto esse, nam causa ipsius omnibus est forma 2. de anima. t. 37. Effectus itaq; cùm sit præter naturam, omnes huiusmodi causæ locum habent præter finem, cùm finis in rebus præter naturam habeat rationem mali non boni, scio quid dicant alij, vos iudicabitis.

Effectus autem cuius causa quæritur est constitutio præter naturam, seu dispositio, cuius materia subiecta, quę est causa illius existentię est corpus humanum, in quo effectus ille insidet, & inhæret, quemadmodum in

vere hominis, aut equi effigies forma est ipsius, sic species effectus in materia subiecta impressa inductaq; illius forma dicitur: Causa verò efficiens est id cuius causa effectus inhæret materiæ, quæ causa est omnium certè pręstantissima atque princeps, quæ corpus immutat, deq; optimo, ac pristino statu deturbat ac deicit.

Differentiæ causarum. Cap. XX.

HVius itaque vires, ac differentias scrutari consilium est, cuius munus est, vt producat effectum;& propterea vt agat, quoniam verò agere nō potest, nisi sit in rerum natura, ideò causa efficiens dupliciter cōsiderari potest, vno modo, vt existit; altero modo, vt agit.

Si consideratur, vt existit, vel refertur ad effectum, vel absolutè consideratur (scio hanc non esse exquisitam loquendi formam, sed ad inuestigandas causarum differentias hoc medicis debemus facilioris doctrinæ gratia concedere) si causa itaq, consideratur vt refertur ad effectum, dicimus causam, vel effectui proximam & propterea immediatam, & continentem esse, vel remotam.

Causa proxima immediata, & continens effectus est illa, inter quam & morbum tanquam effectum nullum cadit medium, quemadmodum sanguis dicitur causa cōtinens carnis, quoniam μὴ διὰ μέσης ἄλλης μεταβολῆς hoc est non per aliud medium in carnem transmutatur, non enim datur alia causa continens præter hanc, quæ ab Auicenna coniuncta nominatur, si morbus capiatur, eo modo quo definiuit Gal. at si capiatur pro impotentia ad agendum, causę continentis ratio erit quoque, vt diximus γίνεσθαι τι πρὸς αὐτοῦ καὶ παύεσθαι συν αὐτῷ quod est fieri aliquid ab ipsa, & cum ipsa cessare, id verò nihil aliud erit, vt supra diximus quàm constitutio præter naturam.

Quòd si absolutè considerantur causæ, vel erunt euidentes; & externæ quæ & προκαταρκτικαὶ hoc est prægresfsæ, & primitiuæ dicuntur, vel interiores, & occultæ quæ προηγουμέναι hoc est antecedentes vocantur. Causę externæ & euidentes aliæ sunt necessariæ, quæ necessariò nobis ferendæ sunt, & sine quibus viuere non licet; aliæ non necessariæ, quas declinare possumus. In necessarijs sunt aer in quo versamur, cibus, & potus, motus & quies, somnus & vigilia, inanitio & repletio, hoc est quæ excernuntur & subsistunt, ac retinentur, & animi perturbationes, quę dicuntur res non naturales si absolutè considerantur, quod si considerantur, vt agunt in corpus humanum, fiunt vt ab initio diximus, vel res naturales, & causæ salubres, vel præter naturam & causæ insalubres nominantur: si sanitatem tuentur, vel restituunt res naturales, & causæ salubres dicuntur, quæ interdum fiunt materiæ remedij, interdum alimenti; sin corpus à naturali, & optimo statu deijciunt dicuntur res præter naturam, & causæ insalubres vocantur.

Causæ verò non necessariò occurrentes sunt illæ, quæ ad causas necessa-

riò occurrentes referri possunt, vt æstuaria, balneæ siccæ, vnctiones, Emplastra, vestes, tegumenta, florum deniq; ac aromatum odor, omnisq; fumus, & vapor, quæ ad aerem referri possunt. Eodem modo ad cibum & potũ medicamenta erunt referenda. Ad inanitionem sanguinis, è naribus eruptio, aut eiusdem omnis euacuatio. Ad motuum genus, clamores, & vociferationes, eodem dolores diri, & immanes cruciatus & externi motus pertinẽt, vt nauigatio, vectio, gestatio, equitatio & quicunque sunt huius generis motus. His finitima est frictio sicca, deinde attritus, contusiones, casus, uulnera, ferarum morsus & quæcunque fortuitò in nos irruunt, nobisq; quasi fato impendunt, quorum periculis corpus varie iactatur: quæ causæ si & ipsæ sanitatem conseruant, vel restituunt, salubres dicuntur, & fiunt materiæ remedij; sin lædunt dicuntur insalubres.

At omnes istæ causæ, siue necessariò, siue non necessariò occurentes ex quatuor fontibus hauriuntur, ex assumendis, adhibendis, euacuandis, & faciendis. assumuntur aer, cibus, & potus ex rebus necessariò occurrentibus, ex necessariò uerò non occurrentibus assumuntur omnia, quæ ad aerem, cibum, & potum pertinent, hisq; finitima sunt ut diximus.

Quæ uerò adhibentur omnia præter aerem sunt non necessariò occurrẽtia, veluti sunt omnes aquę medicatę, omnia genera lutorum, emplastra, vnctiones, cerata, vestes, tegumenta, & quæ sunt huius generis.

Inter euacuanda ex necessariò occurrentibus proponitur inanitio, cui opponitur repletio, ex non necessariò occurentibus omnia quæ ad inanitionẽ referuntur.

Inter facienda, quæ necessariò occurrunt, proponuntur somnus, & uigilia, quę corpori, & animæ sunt communia, motus, & quies, quæ solius corporis propria dicuntur, postremò animi accidentia, quę solius animi sunt, quæ verò non necessariò occurrunt, & fiunt sicut clamores, & vociferationes, & quæ ad motum pertinent: ab his defluunt gignunturq; causæ interiores, de quibus secundo loco erat dicendum.

Cùm itaq; interiores, siue occultæ, siue antecedentes προηγουμέναι græcis bifariam considerari possint, vno modo secundum propriam substantiam, alio modo secundum ortum; si ortum spectemus aliæ insitæ nobis erunt & congenitæ, quas ab ipso iam ortu accepimus; aliæ aduentitię, quæ in nos iam in lucem editos inuadunt. Insitæ dicuntur illæ, quæ ex parentum semine, aut ex materno sanguine profectę sunt, quę si pręter naturam sunt nobis morbos accersunt, nam quale parentum, & pręsertim patris semen obtigerit, tales euadunt similares sanguineæ spermaticæq; partes, vnde nephritici, Epileptici, & alij ualetudinarij filios uitiosa constitutione gignunt, ut parentibus liberi succedant non minus morborum quàm bonorum hęredes.

Quòd si causarum substantiam spectemus, uel est continens, uel contentum, si continens erit ueluti os putridum, sextus digitus, pterygium in oculo, germen, polypus in naso, & quę sunt huiusmodi, sunt .n. causę morbi in numero: at si fuerit contentum, omnes humores esse possunt tam alimentales quàm excrementitij, & quodcunque sit, uel erit uapor, uel fons & funes uaporis.

Postre-

Poſtremò ſi conſiderantur cauſę,ut agunt, uel per ſe, uel per accidens opus efficiunt. per ſe quidem agere dicuntur, cum proprijs inſitisq; uiribus proximè nulliuſq; interuentu id prę́ſtant, ut aqua frigida corpori affuſa per ſe, & propriè nullius interuentu refrigerat: at huiuſmodi cauſa dicitur principalis, & perfecta. Per accidens uerò agere dicuntur, cum interuentu alterius id ipſum agunt, ut aqua frigida corpori affuſa per accidens calefacere dicitur, dum contracta denſataque cute natiuum calorem foras erumpentem repellit, qui dein collectus & coarctatus, multoq; pabulo auctus ui maiore in corporis ſumma remigrat recurritq;, quemadmodum, & ſcamonium, uel rhabarbarum per ſe calefacit, & calidam feruentemq; bilem euacuando ex accidenti refrigerat:

Hæc autem duo genera cauſarum interdum priuatiua, interdum poſitiua dici poſſunt; priuatiuæ cauſę dicuntur illę, quę ſui abſentia effectum ſibi diſſimilem, & contrarium inducunt, ut calor natiuus dicitur cauſa priuatiua frigiditatis partium extimarum corporis, dum intro recurrens exteriora calore deſtituta frigeſcunt. Cauſa uerò poſitiua dicitur illa, quę ſui prę́ſentia effectum ſibi ſimilem progignit, ut aqua frigida dicitur cauſa poſitiua frigiditatis partium extimarum corporis, quoniam ſui prę́ſentia corpus ipſum frigefacit.

Prę́ter has cauſas duo ſunt alia genera cauſarum quorum alterum dicitur cauſa adiuuans, alterum cauſa ſine qua non: Cauſa adiuuans eſt illa, quę ſola quidem nihil efficit, ſed ad efficiendum plurimum confert, hęc Gręcis συναιτία, & quaſi concauſa dici poteſt. Cauſa uerò ſine qua non eſt illa, quę nullam planè naturam efficiendi obtinet, neq; quicquam in opus confert, ſine tamen illa nihil effici poteſt, ut in purgationibus, quę arte comparantur, cauſa prę́cipua, & per ſe eſt medicamentum proprietate ualens, adiutrix cauſa eſt illius temperamentum calidum omnibus purgantibus conceſſum, quod & illorum uim corroborat, & auget, in hoc etiam genere ſunt aromata, quę purgantibus commiſcentur, ut illorum uim exacuant, & ueneficam qualitatem retundant, ut nardus, gingiber eiuſque generis plurima. Cauſa ſine qua nihil efficeretur eſt natiuus calor, ſine quo uis medicamenti ſopita in actum haudquaquam erumperet. Et in morborum procreatione dum frigida cę́li conſtitutio prorritat deſtillationem in articulos, prę́cipua cauſa perfecta, & per ſe, ac poſitiua eſt frigida cę́li conditio, & ſuperuacuorum copia; adiutrix cauſa eſt humorum tenuitas, Cauſa ſine qua non efficeretur eſt articulorum imbecillitas, & uiarum per quas humor fluxurus laxitas.

Hę ſunt omnes cauſę in genere, quę ad generationem morborum conducunt, ex quibus ſolę interiores prę́ſidia prę́ſeruatoria prę́ſcribere ſolent ſiue agant, ſiue facultatem agendi habeant, ut docuit Galen. in lib. de conſtit. artis. 15.

De Differentiis symptomatum. Cap. XXI.

TErtium genus superest eorum, quę sunt pręter naturam symptomatum nempe atque signorum, quę ut ortu ita & tractatione morbis,& causis succedunt:alia tamen est ratio signi, alia symptomatis. nam omne symptoma signum est,non tamen omne signum symptoma uocari potest.

Consideratur autem symptoma tripliciter uno modo latius, & communiter, alio modo pressius, ac propriè, tertio modo proprijssimè, ut docuit Galenus primo de diff.symp. capit.primo. & 2.meth. 3. si primo modo capiatur nihil erit pręter naturam quod symptoma nominari non possit,siue sit morbus, siue causa, siue affectio aliqua: si secundo modo symptoma erit affectus pręter naturam ubiuis consistens, per affectum tamen non intelligimus constitutionem pręter naturam, quę sit in facto esse, & independens, & cuius causa corporis functio ita manifestè lędatur, vt necessaria sit opera medici: & hac ratione morbus, & morbi causa distinguitur à symptomate,cum morbus per se, causa per accidens corporis actionem lędat, & morbus in aliqua corporis parte solum hoc est in continentibus resideat, &_ imprimatur; causa uerò in contentis, & continentibus, symptomata denique tum in utrisque tum in functionibus ipsis residere possit: quare hac nominis ratione quicquid uel in corporis substantia, uel in contentis, uel in functionibus pręter naturam existit, si nondum functiones manifestè lędit, vt opera medici sit necessaria, symptoma iudicabitur. magis tamen propriè accidens Gręcis συμβέβικος nominabitur ex Galen. primo meth. 8. & 9. cum sanis adhuc nobis contingat:

Ex his tamen quędam sunt magis, quadam minus familiaria, & propria, familiaria quidem accidentia sunt ueluti corporis nigrities ex solis ardore contracta, urinę, aliorumue excrementorum color,& odor pręter naturam citra morbum grauis, & huiusmodi alia: minus familiaria, quę coincidentia Gręcis συμπίπτοντα commodè nominari possunt leiuiusculi sunt partium affectus adeoq; tenues, ut nondum functionibus manifestè incommodent,neque morbo acceptum referre possint.

Si tertio modo capiatur symptoma nihil aliud erit quàm res quędam pręter naturam rem aliam pręter naturalem consequens, quę ubiuis consistit, & adeo insignis, & uehemens est, ut cogat artificem ad illius causam submouendam. declaro, dictum fuit rem esse pręter naturam rem aliam præter naturalem consequens ʒ ut & formam, & causam efficientem exprimeremus, qua ratione symptoma distinguitur à causa: secundo loco diximus ʒ ubi uis consistens ʒ ut rem subiectam, cui accidens hoc inhæret significaremus, quæ triplex est, ut supra diximus nempe actio, continens, & contentum; quo subiecto differt à morbo, & à causa, cum morbus in solis continentibus, causa uerò in continentibus & contentis tantum: symptoma in omnibus consistat, Postremo addita fuit uehementia

mentia ſymptomatis ʒ ⁊ vt hoc genus ſymptomatis diſtingueretur tum ab accidentibus familiaribus tum ab incidentibus, quorum vis non ea eſt, ⁊ vt illorum cauſa curationem ad ſe trahat.

Cùm itaq; propria forma ſymptomatis ſit aliquid quod ſit præter naturã conſequi, & hoc ſit triplex cauſa, morbus, & ſymptoma, hinc fit vt ſymptoma tripliciter dici poſſit, uno quidem modo ſymptoma cauſæ, ſecundo modo ſymptoma morbi, tertio ſymptoma ſymptomatis.

Symptoma cauſæ nihil aliud erit quam actio læſa, quæ ſit fruſtrata facultate ob errorem externum, ⁊ vt ſi concoctio ventriculi læderetur ob materiã pituitoſam à capite in uentriculum de lapſam quæ tamen in capite generaretur non ob aliquem morbum ſed ob errorem tantum externum ob copioſum. ſ. alimentum, quod à iecinore in caput attolleretur, neq; ibi generaretur ob aliquem iecinoris morbum, ſed propter copioſum chilum rudẽ, & imperfectum, qui in uentriculo non concoqueretur non quia labefactata eſſet facultas ob aliquem morbum uentriculi, ſed ob errorem externum; ineptam. ſ. ac importunam viuendi rationem: hæc itaq; praua concoctio dicitur ſymptoma cauſæ tantum tum quia nullum morbum nec mediatè nec immediatè conſequitur, tum etiam quia adeò uehemens eſt, vt cogat medicum ad inuenienda præſidia, quibus cauſa efficiens hoc eſt materia illa pituitoſa calfiat attenuetur, detergatur, & euacuetur, ne aliqua uentriculi intemperies, & alia ſęua ſymptomata excitentur. & hæc fuit doctrina Galeni 6. de ſymp. cauſis primo.

At ſymptoma morbi erit illud, quod morbum proxime ſequitur, & citra alterius affectus interuentũ, veluti eſt actio læſa, chilificatio namq; ſi lædatur ob intemperiem aliquam dicitur ſymptoma morbi.

Poſtremo ſymptoma ſymptomatis dicitur illud, quod aliud ſymptoma ſequitur, vt ſi ſupprimerentur menſes ob craſſitiem ſanguinis, qui produceretur ab actione læſa iecinoris ſiue lædatur uitio uirtutis, ſiue ob errorem externum, ſuppreſio eſt ſymptoma quod ſequitur aliud ſymptoma nempe ſanguinis craſſitiem, & hoc aliud nempe uitiatam ſanguificationem, ſi ob illius cauſam craſſior reddatur.

Quod cum ita ſit, ſequitur ⁊ vt inter ſymptomata aliud habeat rationem primi; aliud ſecundi; vt ſecundum ſit illud, quod ſequitur primum; ſed animaduertendum eſt ſymptoma primum duum eſſe generum, quorum alterum ita eſt primum, ut cum tale ſit ſecundum dici non poſſit, ueluti eſt illud genus actionis, quod proxime ſequitur morbum, vel cauſam morboſam, & inſalubrem, hoc dico, quoniam fieri poteſt, ut quandoq; actio læſa ſequatur aliud ſymptoma, vt de ſuppreſſione dictum eſt ob ſanguinis craſſitiem.

Aliud uerò ſymptoma eſt ita primum, vt cum tale ſit etiam ſecundum dici poſſit, veluti eſt qualitas mutata, quę partis ſubſtantiæ inhęret, & ſimplex affectus nominatur, quæ quidem qualitas ſi comparatur ad actionem uitiatam, cuius eſt affectus, ſymptoma ſecundum nominari poteſt: quod ſi conſideratur ut eſt obiectum ipſorum ſenſuum exteriorum ſymptoma primum appellari poteſt; ſed non abſolutè quemadmodum actio læſa, quare

ut

vt hæc duo ſymptomata inter ſe diſtinguantur, alterum dici poterit ſymptoma primum ratione operis,ueluti eſt actio lęſa,quę ſemper eſt cauſa alicuius operis, ſiue ſit exiens mutatum,ſiue qualitas mutata; alterum ratione ſimilitudinis veluti eſt qualitas mutata in ſubſtantia partis infixa,& impreſſa,quæ dicitur ſymptoma primum ratione ſimilitudinis, quoniam ad eius ſimilitudinem reliquæ omnes differentiæ ſenſibiles, quæ in continentibus non inhærent, ſed in contentis dicuntur ſymptomata non prima ſed ſecunda, quia illorum eſſentia eſt tantum in fieri; cum eſſentia qualitatis mutatæ,quæ ſubiectæ parti inhæret,ſit in facto eſſe,& permanens ut clarius inferius dicetur.

Ex quibus habemus actionem uitiatam eſſe ſymptoma primum ratione operis,& abſolutè primum, qualitatem uerò mutatam in ſubſtantia partis impreſſam eſſe ſymptoma ſecundum,quod refertur in morbum,vel manifeſtè,uel non manifeſtè,& interuenientibus quibuſdam ſymptomatibus; quo loco cauendum eſt, ne uos decipiant uerba Galeni 3. de ſymp. cauſis.6.quę malè translata ſunt ab ipſis translatoribus; nam verba Galeni ſunt hæc ἕπεται δὲ πάντως νοσήμασιν ἢ αὐτοῖς ἄντικρυς ἢ διὰ μέσων ἑτέρων συμπτωμάτων.hoc eſt quę excernuntur morbos ſequuntur, uel manifeſtè,uel per alia ſymptomata media hoc eſt immanifeſtè. at iſti ad pauca reſpicientes ita conuertunt exeuntia ſequuntur morbos uel citra alterius affectus interuentum, uel interuenientibus quibuſdam mediis ſymptomatibus, quæ translatio reddit Gal. inconſtantem, & falſam doctrinā redolet, cum ſtatuat dari quædam exeuntia, quæ proxime referuntur in morbos,quod falſum eſt,& ipſimet Galeno repugnat eodem lib. cap. 2. ubi aperte docet tria eſſe genera ſymptomatum,actio læſa,qualitas mutata, & quę ambo hæc conſequuntur, quæ ſunt exeuntia mutata,& reliquę omnes ſenſibiles differentię, quæ in excrementis reſident. Quare & ſecundum rei ueritatem,& Galeni doctrinam dicēdum eſt exiens mutatum ſemper eſſe ſymptoma ſecundum, quod refertur in morbum per mediam actionem; ſed quandoq; ita manifeſte refertur in morbum,vt in actionem referri minime uideatur, ueluti cùm aperto aliquo uaſe ſanguis effluit, quandoq; uerò ita per alia ſymptomata refertur in morbum,vt obſcure neq;ita manifeſte in eum referri videatur, veluti cum ſanguis prorrumpit,& effluit non aperto aut fracto aliquo uaſe; ſed per diapedeſim ob retentricis facultatis infirmitatem, quæ tamen contingat ob intemperiem humidiorem. quare etſi referatur in morbum non ita tamen manifeſtè, quemadmodum dum uas aliquod vel vulneratur, vel rumpitur, vel corroditur.

Poſtremò ſunt reliquæ omnes ſenſibiles differentiæ, quæ non in ſubſtantia partis reſident, ſed exeuntibus inhærent,& propterea ſunt in fieri, & dicuntur ſymptomata ſecunda ratione ſimilitudinis,quia ſimilia ſunt qualitatibus mutatis,quę in partis ſubſtantia infixæ manent; nam ſicut illæ dicuntur ſenſibiles differentiæ,ita & quæ in exeuntibus ipſis ueluti ſunt ſonitus, ſtrepitus,& id genus alię quæ in ſuis exemplis illuſtrabuntur, ut tota hæc doctrina facilior euadat,quę depromitur ex 3.de ſymp. cauſis 2. ultimo, & penultimo.

Pri

Primum itaq; quod ad actionem uitiatam pertinet, ut exempla distincta proponantur, illius differentiæ sunt proponendæ, & primum statuendum est actiones omnes esse, uel animæ, uel naturæ, ut per actiones naturę uitales quoq; intelligamus: si animæ functiones contemplemur, uel ad cognitionē pertinent, vel ad motum, si ad cognitionem, vel principes sunt, & abstrusę, uel non principes, & manifestę: principes, & recunditæ sunt trium generū imaginatio, seu phantasia, intelligentia siue ratiocinatio, & memoria, quæ omnes bifariam uitiantur, aut enim non fiunt; aut malè fiunt; si malè aut diminutè, aut deprauatè: ut in imaginatione si illius actio ueluti sopita maneat, & paralytica, caros idest sopor aut catalipsis nominatur; quod si fuerit deprauata delirium uocatur; postremò si motus illius fuerit deficiens & infirmus fit ueternus, & lethargus.

At in cogitandi functione, dementia est quasi resolutio quædam: stultitia siue fatuitas imperfectus ac deficiens motus. Delirium deniq; motus ueluti aberrans, & deprauatus. nam delirium quandoq; utranq; facultatem quandoq; alteram tantum obturbare uidetur. In memoria deniq; eadem symptomata contingere possunt tum in ijs qui morbo laborant, tum in ijs, quorum iam morbi sunt finiti, sunt.n. nonnulli, qui neq; nominis sui recordantur, quidam alii, quibus memoria est imminuta, alij deniq; quibus est deprauata, quod ob errorem tantum externum contingere uidetur, & hæc de actionibus principibus.

Quòd si actiones non fuerint principes, erunt actiones quinq; sensuum exteriorum; nam si uitio penitus auferatur dicitur cæcitas, sin imminuatur dicitur hebetudo, quòd si deprauatur dicitur hallucinatio. His in auditu respondent surditas, grauis auditus, & tinnitus. Ex quarum imitatione non erit difficile cuilibet alias differentias in cæteris sensibus inuenire, quæ etsi nomine peculiari careant nihil refert.

Quòd si actio motiua lędatur, & motus auferatur dicitur paralysis, sin torpet, & hebescit stupor nominari potest, cùm sit dispositio inter resolutionē & integram ualetudinem media, ut nobis testatum reliquit Gal. 2. de loc. aff. 3. quæ dispositio ad sensum quoq; tactus pertinere potest vt eodem lib. cap. 2. scribit Gal. quòd si deprauatur fit tremor, & alia id genus symptomata & hæc de actionibus animæ.

Quò uerò ad actiones naturæ, hæ bifariam considerari possunt, uno quidem modo ut per eas conseruatur indiuiduum; altero modo ut conseruatur species. si spectemus actionem, quæ ad propagationem pertinet, dicitur procreatio seu conceptio læsa, quæ si auferatur dicitur sterilitas, si deprauatur dicitur monstri procreatio, quòd si imminuatur fit rara conceptio.

At si actio naturalis ad indiuiduum pertineat, hæc actio conseruat indiuiduum, vel proxime, & immediate, vel interuentu alterius; si proximè est cordis actio nempe calidi innati cordis cum spiritu uitali, & sanguine arterioso procreatio, quæ omnia pulsu conseruantur; omitto actionem quę ad irascibilem facultatem pertinet, quæ cum ad meliorem uitam pertineat morali potius quàm medico contemplanda uidetur, hæc si à mediocritate, & naturali statu recedit, uel ad excessum, vel defectum vergit, si excessu

ſu peccat deprauata fit actio,& fortitudo in iram degenerat; ſin defectu in puſillanimitatem illabitur,quæ actio interdum diminuta, interdum ablata dici nominarive poteſt prout uel omnino,uel aliquantiſper à mediocritate recedit.

Quòd ſi actio naturalis interuentu alterius conſeruat indiuiduum, vel eſt præcipua, uel præcipuę, & principi diſeruiens, ſi fuerit princeps hæc duplex eſt; nam uel huius ope indiuiduum conſeruatur in eodem ſtatu,& dicitur nutritio,vel ita conſeruatur vt augeatur,& dicitur auctio, poſtremò ſi fuerit principi deſeruiens hæc quadruplex eſt nempe attractio, retentio, alteratio,& repulſio,quę omnes actiones totidem uitia,quot aliæ ſuſtinent, ac patiuntur; nam uel auferuntur, uel imminuuntur, vel deprauantur: & hoc loco notandum eſt actionem tunc temporis deprauari, uel quoties id quod generatur in alienam qualitatem permutatur, quæ non ſit ſecundum naturam,ut cruditas generatur dum alteratio in uentriculo deprauatur: uel deprauari dicimus, quoties facultas agit ultra naturę præſcriptum,ueluti ſi menſes ſupprimerentur eò quod robuſta exiſtente facultate expultrice ſanguis menſtruus ad alias corporis partes propelleretur,unde interdum contingit ut ſanguis per nares excernatur.Sed de his actionibus qui doctrinam magis exquiſitam deſiderat, legat prҽludia noſtra anatomica ubi de facultatibus locuti fuimus.

Sequuntur qualitates mutatę uel corporis noſtri ſimplices affectus, quos διαθέσεις uocauit Gal. & hoc notetis quoniam per hanc uocem uoluit intelligere differentias illas ſenſibiles tantum, quę in ſubſtantia partis impreſſę ſunt,& propterea vt unuſquiſq; uidere poteſt Gal.3.illo de ſymp. cauſis ab huiuſmodi affectibus excludit qualitates illas ſenſibiles, quæ ad auditum pertinent:horum itaq; affectuum quattuor ſunt differentiæ, cum alii ad uiſum alii ad olfactum,alii ad guſtum alii ad tactum pertineant.Aſpectabiles itaq; differentiæ ſunt,quæ tum ad totum, tum ad partem pertinent; ad totum ueluti fœdi colores,quos morbi inflixerunt,qualis flauus in ictero,pallidus in leucophlegmatia ,niger in Elephantiaſi; ad partem ueluti eſt color niger uel liuidus,uel alterius coloris in aliqua parte ob aliquem morbũ contractum,cui etiam accedunt magnitudines,& figuræ, quæ ſunt obiecta communia. Odoratus differentię ſunt veluti teterrimi, & graues odores, quos axillæ,nares,os,aures, aut corpus vniuerſum ob morbum aliquem expirat.Differentiæ guſtus ſunt ſapores qui ad palatum,& linguam pertinent, cuiuſmodi ſunt oris amaror à bile flaua,ſapor acidus à melancholia, aut ſalſus à pituita ſalſa. Tactus deniq; differentiæ ſunt cutis ſcabra, arida, & rugoſa. Hæc omnia ſymptomata prima dicuntur ratione ſimilitudinis, ſecunda tamen ſi conferantur cum actione læſa,cuius ſunt partus.

Ad hæc utraq; dicebat Gal.3. illo de ſymp. cauſis ſequuntur excrementorum immodicę tum excretiones tum ſuppreſsiones, & ſtrepitus, qui in animante ipſo excitantur,& huiuſmodi aliæ differentię ſenſibiles, quæ in ſubſtantia partis non ſunt impreſſę.

Quo ad excrementa hæc duũ ſunt generum ut ſupra diximus,alia manifeſtè referuntur in morbos,alia obſcurè,& per media ſymptomata, utrunq; genus

genus aut ſubſtantiæ, aut quantitatis, aut qualitatis vitium contraxit.

Subſtantiæ vitium appellamus, cum quod excernitur aut retinetur toto genere præter naturam eſt, vt calculus, ut arenula, vt lumbricus; aut cum non id quod excernitur aut retinetur; ſed ipſa illius excretio præter naturam exiſtit, vt eruptio ſanguinis è naribus, ex auribus, ex ore ſeu ſputo, ſeu vomitione, è veſica vel aluo profluens, & quæcunque citra naturæ præſcriptum errumpunt.

In exctementis qualitatis vitia inſunt, cum aut eorum color à naturæ modo recedit, vt ſi vrinarum, deiectionum, menſium, ſputorum, aut vomitionum niger eſt color, liuidus, aut viridis, aut ſi etiam graueolentia fecit, aut ſapor amarus, acidus, ſalſusve ſubeſt; aut lentor vel acrimonia, & craſſities, vel tenuitas, aliave qualitas præter naturam tum his, tum cæteris quæ manant è corpore ineſſe deprehenditur.

Quantitatis vitium eſt, cum iuſtus naturæ modus in his minimè tenetur; ſed ea vel abundantius, vel parcius profluunt: hæc excrementorum vitia in ſymptomatis connumerari debent, ſi præſertim ex morbo originem traxerint, ſin minus non propriè inter ſymptomata numerari debent.

Poſtremo loco ſunt differentiæ illæ ſenſibiles, quæ ad auditũ pertinent, quas diximus appellari ſymptomata ſecũda ratione ſimilitudinis, quæ differunt ab affectibus ipſius corporis, quod hi permaneant, illæ verò in fieri (vt ita loquar) ſuam habent exiſtentiam, veluti ſunt aurium tinnitus, pulmonum, fauciumque ſtertores, dentium ſtridores; ventriculi atque coli inteſtini rugitus, inteſtinorumque omnium crepitus, & aliæ id genus differentiæ ſenſibiles, quas ſupra in excrementis exiſtentiam habere diximus.

De Signis. Cap. XXII.

HActenus de morbis, cauſis, & ſymptomatibus dictum eſt. Nunc verò de ſignis eſt dicendum, cùm morbi in intimo corporis receſſu ita conditi ſint, vt ſolis ſignis intelligantur, quo fit, vt tanta ſit ſignorum neceſſitas, vt his ſublatis medicinæ fundamenta corruant. Sed vt rem faciliùs aſſequamur. Sciendum eſt ſignum nihil aliud eſſe quàm affectionem quandam corporis ſenſibus manifeſtam, quæ affectum præter naturam ſenſibus latentem, & occultum comitatur. quod autem occultum eſt, aut præſens eſt, aut futurum; ſi præſens eſt illius ſigna diagnoſtica, & demonſtratiua dicuntur; nam præſentia cognoſcere ad partem potiùs diagnoſticam quàm prognoſticam pertinet, vt docet Gal. primo prog. primo, quòd ſi non fuerit præſens id quod occultum eſt, ſed futurum ſit, ſigna prognoſtica ſunt dicenda. His nonnulli addunt ſigna commemoratiua, quibus præterita corporis conſtitutio mente repetitur.

At quo ad diagnoſtica ſiue demonſtratiua pertinet alia dicuntur inſeparabilia, quæ propria, & pathognomica dicuntur, alia ſeparabilia. Inſeparabilia ſunt illa quibus poſitis neceſſariò ponitur affectus, neq; ab eo ſeiũgi poſſunt, ſtatim enim cum morbo inuadũt, pariterq; deliteſcunt, unde, & cõcomitantia, & ſimul apparentia uocantur, ut in pleuritide febris acuta, dolor

punctorius lateris, tuſſis, inſpirandi difficultas, & pulſus ſerratus. Separabilia uerò accidentia dicuntur quæ aliàs cum morbo inuadunt, aliàs ſuperuenire ſolēt, aliàs neq; omnino ad ſunt, ut in pleuritide dolor ad iugulum, uel ad ilia pertingens, & in latus ægrum quàm in ſanum decubitus facilior, eodem modo capitis dolor, qui febri non eſt aſſiduus comes, quamuis interdum contingere ſoleat.

Prognoſtica tandem ſunt illa, quæ non continuo, ut morbus inuadit, ſed aliquanto poſt tempore ſe produnt, hincq; mox apparentia, & ſuperuenientia nuncupari ſolent, & hæc de ſignis in genere.

FINIS.

MI-

MICHAELIS GAVASSETII NOVELLARIENSIS.

De Indicationibus, ſeu de Methodo medendi. Lib. I.

Propoſitio. Cap. I.

QVONIAM non ſat eſt medico dogmatico ad morbos debellandos morborum naturam, & cauſas ex ipſis ſignis perfectè cognouiſſe; ſed neceſſe eſt, vt his cognitis omne ſtudiũ, & operam conferat ad inuenienda præſidia vnicuique morbo, & cauſæ maximè accommodata, idq; non experientia, & obſeruatione, non hiſtoria, neque analogiſmo tantum, quemadmodũ Empirici, neque ex ijs, quæ ſenſui manifeſta ſunt, vt Methodici; ſed etiam ex rei natura quemadmodum dogmatici facere conſueuerunt, vt docuit Gal. 3. Meth. 1. ob id de indicationibus doctrinam medici excogitarunt.

Quòd ſi quandoque contingit vt vis, & natura morborum percipi non poſſit, tunc ad experientiam ad analogiſmum confugiendum erit: quare de indicationibus, de experientia, & analogiſmo nobis agendum eſt, vt ex hac præuia cognitione vnuſquiſque ſcopos facillimè, & exactè inuenire poſſit: is enim ex Gal. 3. Meth. 1. verè morborum curator eſt dicendus, qui facultatem habet illa inueniendi, ex quibus perfici poteſt, quod à prima indicatione ſuggeritur, quibus verbis nobis ſignificare voluit nõ ſolum remediorum inuentionem, uerum etiam rectam materiarum adminiſtrationem ad artem medendi abſoluendam tamen neceſſariam eſſe, de qua ſuo loco dicetur, ne vllum artis curatricis principium intactum relinquatur.

Indica-

Indicationis tum etymologia, tum natura. Cap. II.

ET quoniam omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio debet à difinitione exordiri, vt vnuſquiſque intelligat, id de quo diſputatur, propterea quid ſit indicatio à nobis definietur, qua definitione explicata, patebit quoque diſcrimen inter Empyricos, Methodicos, & Dogmaticos; ſed antequàm illius naturam explicemus priùs notandum eſt ἔνδειξιν quæ nobis indicationem ſignificat, non ob aliam cauſam à medicis vſurpari, niſi quia indicatio maximam habet ſimilitudinẽ cum delationibus, ſeu accuſationibus quæ ἐνδείξεις propriè nominantur, etenim indicatio dicitur cum perſpecta natura indicantis, ſtatim deferimus, & veluti accuſamus id quod eſt vtile, vt exempli gratia cum primùm cognouimus febrem eſſe intemperiem calidam, & humidam, ſtatim accuſamus, ſeu deferimus remedium frigidum, & humidum, vnde Gal. ad hanc ſubitam auxilij delationẽ, ac veluti repræſentationem reſpiciens ἔμφασιν nominauit hoc eſt demonſtrationem ſpecularem, quod genus cum ad naturam indicationis declarandam plurimum conferre videatur, ob id ſtatuimus indicationem curatiuam hoc modo definiri poſſe. vt Indicatio ſit ἔμφασις τοῦ ὠφελοῦντος ἅμα
„ τῇ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἐνδείκνυντος ἐμφάσει ἄνευ τηρήσεως ἢ λογισμοῦ ὥστε ὑγείαν
„ ἐκπορίζεσθαι τοῖς νενοσηκόσι σώμασι. hoc eſt indicatio eſt repræſentatio ſeu cõ-
„ prehenſio rei vtilis ſimul cum comprehenſione, ſeu repræſentatione indi-
„ cantis ſine obſeruatione, vel ratiocinio, vt ſanitas corporibus ægrotantibus
„ reparetur. Hæc eſt vt arbitror vera, & perfecta indicationis curatiuæ deſcriptio, quæ tota ex definitionibus à Galeno traditis mutuatur. ſi quidem
„ Gal. 2. Meth. 7. dicebat Indicationem Emphaſim eſſe τῆς ἀκολουθίας perſpecta
„ rei natura. quibus verbis nihil aliud ſignificare voluit quàm indicationem expreſſionem eſſe ſiue repræſentationem eius quod ſequitur ideſt vtilis, quando ἐμφαίνειν à quo ἔμφασις deducta eſt, ſit ſpeciem edere, & ſpeculari quadam ratione oſtendere, quæ definitio inſeruit tum parti curatiuæ, tum parti de tuend. valet. atque totam indicationis naturam complectitur, cum ab hac definitione neque recta ſeiungatur adminiſtratio, cum & ipſa quodammodo capiatur à rei natura non autem ab his, quæ rei naturam neceſſariò conſequuntur, vt mox dicetur. At in libro de optima ſecta cap. x1. duas propoſuit definitiones, quarum altera curatrici tantum, altera vtrique conuenire videtur, quæ curatrici tantum inſeruit ſic habet.
„ Ἔστι ἔνδειξις ἡ συμπροσπίπτουσα κατάληψις τοῦ ὠφελοῦντος ἅμα τῇ τοῦ. βλάπτοντος
„ καταλήψει ἄνευ τηρήσεως ἢ λογισμοῦ. hoc eſt indicatio eſt comprehenſio iuuan-
„ tis adueniens ſimul cum comprehenſione nocentis ſine obſeruatione, vel ratiocinio. quæ definitio ſic audienda eſt, vt indicatio ſit comprehenſio rei vtilis, quæ ſimul aduenit cum comprehenſione rei nocentis, ſine obſeruatione, vel ratiocinio. dicat Argenterius quicquid uelit, hæc eſt germana huiuſce definitionis expoſitio, quæ locum habet ſolum ut diximus in arte curatrice, non tamen abſoluta, & ex omni parte perfecta eſt huiuſmodi definitio, quoniam non comprehendit indicans uitale, quod locum habet in

arte curatrice; vt suo loco dicetur; quod autem non amplectatur indicans vitale, patet ex hoc, quoniam indicans vitale non est quid præter naturam; sed secundum naturam; at quæ sunt secundum naturam non nocent, indicans itaque vitale non amplectitur.

Altera & postrema definitio, quæ proponitur Galeno sic habet ἔνδειξις ἐστιν ὅταν καταλαμβανομένοις πράγμασι συμπροσπίπτῃ τὸ συμφέρον ἄνευ ἀποδείξεως, καὶ παρατηρήσεως. Hoc est indicatio dicitur, quãdo perceptis rebus percipiendis & quod confert percipitur sine demonstratione & obseruatione, quæ definitio communis est utique parti medicæ facultatis: siquidem Gal. nihil aliud uoluit insinuare quàm indicationem tunc appellari, quando ex cognitione indicantis siue sit quid naturale, siue præter naturam comprehenditur quoque id quod confert, sine ostensione ac obseruatione.

Constat itaque definitionem, quam nos proposuimus totã ex definitionibus propositis desumptam fuisse, ab illisque hoc uno differre quòd illæ, uel nimis sunt communes, vel totam indicationis naturam non complent, quemadmodum ex his, quæ dicta sunt vnusquisque suopte ingenio intelligere poterit.

Hæc subticere nolui, ne quis existimaret nos aliam doctrinam à Galeni doctrina protulisse, in hoc enim vno tantum elaboramus, vt quæ à Galeno obscurè dicuntur, à nobis lucidiora reddantur. At quoniam hæc definitio totam de indicationibus doctrinam virtute complectitur, ob id singulæ illius partes sunt nobis explicandæ.

Diximus itaque indicationem esse Emphasim hoc est specularem ostensionem, seu comprehẽsionem eius quod cõfert, perpulchra & honesta quadam similitudine à speculo deducta, quæ totam indicationis naturam exprimit, & ob oculos proponit. Etenim sicut sensus videndi præsente speculo in eo rerum spectra, & simulacra percipit, ita quoque intellectus, simulatq; indicans tanquàm speculum apprehenderit, statim in eo tanquàm in speculo indicatum quoque comprehendit, idque virtute duorum principiorũ, quæ in arte medica ita nota esse debent intellectui, ut in iis approbandis nulla sit opus obseruatione, nullo ratiocinio, horum autem principiorum alterum sic habet. Quæcunque sunt secundum naturam sui conseruationẽ indicant; quæ verò præter naturam sui ablationem: Alterum verò est similia similibus conseruari, & contraria contrariis expugnari, vt Gal. placuit 3. Meth. 3. Cùm itaque huiusmodi principia sint adeò nota, vt qui hæc negaret à schola medicorum esset reiiciẽdus, ob eam rem diximus simul & semel indicans, & indicatum nos apprehendere absque obseruatione, & ratiocinio: nam etsi indicatio sit Enthymema ui cuius demonstratur id, quod est utile, uis tamen syllogistica adeò est manifesta, & veluti tentata, vt Enthymema ad formam syllogisticam non sit referendum: neque obseruatione id quod infertur sit confirmandum: nõ iniuria itaque dictum fuit à Galeno vtile indicari ab indicante absque obseruatione, & ratiocinio.

Indicatum non vno modo considerari. Cap. III.

HOc loco est aliud quoque animaduertendum, quod maxima conside-ratione dignum esse videtur, nempè indicatum dupliciter considerari posse, vno modo vt est auxilium propriè dictum; alio modo vt est simulacrum, & imago illius auxilii; auxilium propriè dictum nihil aliud est cum Galeno xI. Meth. I. quàm materia iuuantis vbi informata, & suis conditionibus, tanquàm lineamẽtis ita fuerit exornata, vt prodesse ualeat; tunc autem suis conditionibus exornata fuerit, cum in ea quantitate, eo tempore, loco, & modo administrabitur, ut profit. Tria itaque in hac re obseruari posse uideo, quę ad iuuantia pertinent, quorum primum est auxilium ea ratione considerari qua simulacrum & imago est auxilii propriè dicti; alterum est auxilium ipsum propriè dictum sic appellatum, quoniam actu prodest: tertium est materia ipsius auxilii propriè dicti, quæ ab auxiliis differt, eo quia cum vnum sit auxiliũ illius auxilii materiæ plures esse possunt, etenim sicut imago Cæsaris cum vna sit, illius materiæ in quibus imprimi potest plures esse possunt, ueluti aurum, argentum, metallaque omnia, ligna & id genus alia, sic missio sanguinis cum sit auxilium sanguinis peccãtis, huius materiæ, quibus sanguis detrahi potest, plures esse possunt, quando & sectione venæ, & cucurbitulis scarificatis, scarificationibus, & hirudinibus tanquàm materiis ad misionem sanguinis accommodatis sanguinem euacuare solemus. Hæc itaque tria plurimum inter se differunt quemadmodũ ratio ipsa dictare videtur, quam ueritatem cognouit Gal. in libr. de Const. artis 14. vbi instrumenta ad ossa luxata reponẽda remediorum materias appellauit, quemadmodum etiam omnia cibaria, & potiones ac demum quæcunque corpori admota vim habent corporis constitutionem immutandi; de quibus materiis inquit Gal. se locutum esse in lib. de simp. med. fac. nec non libro de compositione medicament. idem quoque agnouisse uidetur 9. Meth. 7. & 14. & clariùs 14. Meth. vlt. 1. de alim. fac. 1. 5. de tuen. 10. 3. in 3. de uulg. morb. 76. in lib. de marcore 6. & passim in libris simp. med. nec nõ de comp. med. per genera, quibus in locis nobis significare videtur auxilia ad materias auxiliorum se habere ueluti simulacrum & figuram ad illius simulacri, & figuræ subiectum: & ueluti signum ad id quod signari potest; hinc etiam aliud colligitur auxilia sub Methodo medendi contineri; materias verò à Methodo medendi esse segregandas, & ad artem aliam pertinere, vtpotè ad medicamentariam, vel alimentariam.

Indicatio itaque & repręsentatio, & delatio, & accusatio, & ostẽsio, & apprehensio, & perceptio, & cognitio nominari potest: at repræsentatio delatio, accusatio, & ostensio si ipsa per se, & absolutè consideratur; apprehẽsio verò perceptio & cognitio, si ad medicum referatur; per finẽ autem potiùs quàm per formam definiuit Gal. indicationem, quoniam illius ostẽsio erat adeò manifesta, ut nullã vim syllogisticã sapere videatur, quare cũ esset species enthymematis nõ dixit tamẽ indicationẽ esse enthymema, nequis existimet totã uim illationis à forma syllogistica depẽdere, qđ ut clariùs significaret, dicit indicationẽ esse repræsentationẽ, siue cõprehẽsionẽ absq; rõcinio.

Appre-

Apprehensio multiplex. Cap. IIII.

HAec autem apprehensio multiplex esse potest, siquidem apprehendit Empyricus; apprehendit Methodicus; apprehendit Empyricus ex obseruatione, historia, & analogismo, siue transitu ad simile, de nominibus nõ sit altercatio. apprehendit Methodicus ex indicatione; apprehendit Dogmaticus pariter ex indicatione. apprehendit Empyricus id quod est vtile ex obseruatione, seu experientia (idem.n.est) quoniam ea memoria tenet, quæ plerunque eodem modo operari visa sunt absque agentium causarũ cognitione, vt in dentium stupore comprehendit portulacã vtilem fore, quoniam ex frequenti vsu ipsius, quàmuis causa continẽs stupor inquã nihil demonstret indicetue, iã fuit probata. & Empyricus cognouit eã habere facultatẽ. Comprehendit quoque Empyricus quod confert analogismo, siue transitu ad simile, quando similitudine uel affectus, vel auxiliorum, uel locorũ nulla perspecta causa, nulla facta obseruatione auxilijs utitur: ex similitudine quidẽ affectus, vt si quis à serpente hemorrheo vocato demorsus fuerit inde sanguis largiùs effluat causam ignorans, quare id patiatur neque obseruatione instructus huic subuenire auxilijs, quæ sãguinis fluxũ cohibere solẽt, idq; ob similitudinem affectus; eodẽ modo si videbit vertiginosum in terrã procidere, sanguineq; ob ictum effuso morbo liberari, id notanda in altero vertiginoso ex similitudine tũ affectus, tũ auxilij uenam secabit, & fortasse cum summo patientis discrimine, si patientis corpus cachochimum potiùs quàm plethorium fuerit. Ex similitudine quoque loci cõprehendit id quod est utile, ut si quis tumorem passus sit in genu, atque ex applicatione aquæ salsæ, vel thermarum fuerit liberatus, id notando, si videbit alterũ tumorem in cubito patientem eodem utetur remedio, & fortè non sine patientis detrimento, quãdo tumores non semper ab eadem causa enascantur. Ex similitudine quoque auxiliorum transitum facit Empyricus cum mespilum pro cotoneo torminosis adhibet. Postremò vtile comprehendit ex historia quãdo ex alterius narratione cõprehendit in tali affectu tale remediũ maximè collaturũ, quãdo historia sit rerũ sæpiùs circa eadẽ comprobatarũ narratio.

At comprehẽdit Methodicus quod est vtile per indicationem; sed ex iis quæ sensui nota sunt, vt si internæ cuti paxillus inhærens dolorem moueat, inquit Methodicus paxillum, utpotè sensui subiectũ indicare id quod est utile nempè sui ablationem, non animaduertens paxillum, vt paxillus est, & proprerea sensui subiectus nihil indicare; sed indicare sui ablationem, ut est causa doloris; at causa ut causa non est sensui subiecta, sed intellectui, ut memoriæ proditum est à Galeno in lib. de opt. secta ad Trasib. 8.

Dogmaticus tandẽ apprehendit & ipse, id quod est utile ex indicatione, verum nõ ex iis, quæ sensui nota sunt, sed ex iis, quæ sensibus occulta intellectui manifesta dicuntur, nã si paxillus carni inhærens, vel cuti internę dolorem excitarit, ex paxillo & ipse inuenit quod est utile, nõ ea tamen ratione ut notus est sensui, neq; ut paxillus est, sed ut est causa doloris; causa verò ut causa nõ est sẽsui nota; sed ex casibus deprehẽditur. Dogmaticus itaq; ex rei natura perspecta absq; obseruatione, & analogismo, nec non absq; expressa

demonſtratione quid ſit agendum intelligit, nulla cogitationis ope indiget; ſed cum primum cognita fuerit affectus natura, tunc primum & ſtatim ſeſe offert quid agendum genericum.

Ex quibus ſatis conſtat quantum differunt inter ſe Empyrici, Methodici, & Dogmatici; non tamen ob id concludendum eſt dogmaticos nequaquàm vti poſſe nec debere obſeruatione, ſiue experientia, nunquàm analogiſmo, nunquàm hiſtoria, nunquàm ratiocinio, quoniam his omnibus vti poteſt inſtrumentis; immò interdum non ſolùm poteſt, ſed debet huius vel illius habitu indutus.

Experientia quidem & hiſtoria uti debet, vbi non ſolum affectus natura ignoratur, verùm etiã multò magis dum remedij facultas latet: analogiſmo verò vti poteſt vbi ſit tranſitus à ſimili accidente ad ſimile accidens, dummodo eiuſmodi accidens cauſam inſequatur; nam accidentia quæ locum, facultates, ægrotantem inſectantur, curationem immutare non ſolent: quare dogmaticus in Emproſtotonicis, Opiſtotonicis, & tetanis vtitur remedijs ijſdem, eandem curationem ſectatur, dummodo hæc ſymptomata eandem cauſam inſequantur. At Empyricus variata ſyndrome, ſeu concurſu ex defectu, vel exceſſu, ſeu affluxu vnius accidentis, neglecta cauſa curationem cum patientis periculo immutabit, quippe qui in opiſtotonicis, & Emproſtotonicis, cum accidentia, quæ ægrotantem inſequuntur, non ſint ſimilia, quàmuis cauſa ſit eadem, curationem variabit.

At rationalis ſiue Dogmaticus vtilia ſymptomata ab inutilibus diſtinguẽs nonnunquàm ſimili apparente concurſu, modo cauſa ſit diuerſa, differenti vtetur curatione, plerunque verò diuerſa apparente concurſu eodem ipſe modo curabit: curatio nãque admonet remedia cauſis illis, quæ vim habent generandi huiuſmodi ſymptomata, eſſe adhibenda. Quare Dogmaticus in inueniendis remedijs ſimilitudinem accidentium ſpectabit, quæ eandem cauſam inſequuntur; in adminiſtrãdis verò materiebus, & locum & facultatem æſtimare debebit, vt ſuo loco dicemus. locus enim & facultas nõ variant remedia, ſed cauſa ſola, vt habetur apud Gal. in lib. de opt. ſecta. 19. quæ ſententia quomodo ſit intelligenda commodiori loco declarabitur.

Comprehenſio Dogmatica quotuplex. Cap. V.

PRopoſita multiplici cõprehenſione, qua facilè fuit vnicuiq; cognoſcere diſcrimen inter Empyricos, Methodicos, & Dogmaticos, ſupereſt vt uideamus nunquid comprehenſio Dogmatica ſit una, & ſimplex, an pluribus modis dicatur. hoc autem ut cognoſcamus confugiamus ad Gal. 6. Meth. 1. 3. Meth. 1. & 5. ſimp. med. 2. vbi admonet primas in omni arte indicationes omnibus hominibus ſuapte natura notas eſſe, quare ſi hę ſatis eſſent ad ſpifices conſtituendos nihil prohiberet, quin & naues ipſi ędificaremus, & domos conſtrueremus; & nautæ ipſi & fabri murarij optimè, & ex arte mederentur, citharam perſonarent, & rhetoricarentur.

Verum non ita ſe res habet, nec qui uulneratam partẽ vniendam nouit, is medicus eſt, ſed qui quibus id auxilijs perficiat, intelligit, & quo pacto his

his utatur nouit, is meritò morborum curator nominabitur, qui si sola experientia nitatur Empyricus, sin rationem adhibebit Dogmaticus,& rationalis uocabitur.

Ex primis itaque indicationibus nemo artifex est dicẽdus, primæ itaque indicationes non sunt artificiosæ: ergo neque primæ, & genericæ comprehensiones, cùm indicatio sit comprehensio. Comprehensionum itaque alias artificiosas, subalternas, specificas & appropriatas; alias artificio carere,& genericas esse statuamus.

Quæ carent artificio,& genericæ dicuntur, sunt illæ,quæ omnibus notæ sunt virtute illorum principiorum. Contraria contrarijs curantur, & similia similibus conseruantur, quas comprehensiones dicebat Gal. 3. Meth. 1. non esse magnam partem artis, ut Thessalei Methodici arbitrabantur; sed minimam & solum initium, ac ueluti carcer, unde medendi ratio promouetur, aut certè non propria, sed quæ plebi sit quoque communis.

Artificiosæ verò,quæ subalternæ, specificæ & appropriatæ dicuntur sunt illæ, quæ non communes & notæ cuique vulgarium existunt; sed quæ summo medici artificio, ac ratione quadam & Methodo inuestigantur, ut exemp. g. Dion morbo laborat ergo contrarijs remedijs est agendum cum sit quid præter naturã; at morbus hic est intemperies calida, & sicca exempli gratia febris,ergo frigidis, & humidis est occurrendum; hæ iuuantium comprehensiones nimis genericę sunt, & ob id artificio carent; nam quis est ille,qui nesciat morbum esse pellendum; sanitatem esse tuendã, intemperiem calidam, & siccam frigidis,& humidis esse corrigendam? hæc mulieribus,& barbitonsoribus quoque nota sunt; at nõ est satis calido affectui admouisse frigida, nisi id debita fiat mensura, quoniam si intra modum id fiat, metus est ne quidpiam relinquatur; sin modum excedas ne cõtrarium morbi genus inducas, ob id ab indicatione non artificiosa ad artificiosam est progrediendum: & considerandum est quantum morbus à naturali statu recessit; nam quod plurimum recesit id uehementibus eget contrarijs, quod uerò nõ multum leuioribus reuocatur. quare si statuamus corpus patientis per duos gradus caliditatis à naturali habitu recessisse duos indicabit gradus frigiditatis, & huiusmodi indicatio artificiosa uocabitur; nam cognoscere quantum quis à naturali statu recessit non est cuiusque uiri,sed eius,qui corporis constitutionem aprime ac scientificè nouit. Concludendum est itaque comprehẽsiones genericas artificio carere, artificiosas uerò subalternas esse,& pręsertim specificas,nisi uelimus & genericas artificiosas esse & in arte contineri ea ratione,qua uię sunt & principia ad specificas, & appropriatas perquirendas.Quod uerò dentur indicationes generalissimę, subalternæ & specificæ, ac appropriatæ docuit Gal.9. Meth. ult. Rursus ex his quædam utiles siue ex usu esse dicuntur, quædam uerò inutiles nominãtur; utiles omnes illæ dicuntur quarum materiam licet reperire, ut ex.g.intemperiei calidæ cõprehendimus frigidum esse opportunũ, cuius materia est ol.ex.g.rosaceum,uel decoctum cicoreæ, uel endiuiæ, & aliarũ id genus materierum. Inutiles uerò & logicas illas nuncupamus quarum materiam non est reperire ut ex.g.obstructio indicat aperiens, cuius indicati materia

nulla reperitur, magnitudo aucta sui diminutionem indicat, & sic de alijs quarum nulla est materia, inter quæ numerantur omnes genericæ comprehensiones, seu indicationes, & hæc de comprehensione dicta sint.

Vtile in arte medica quid. Cap. VI.

QVod sequebatur erat τὸ συμφέρον idest utile, seu postulatum, seu auxilium, seu indicatum, siue scopus, siue intentio, & in parte curatiua remedium, hæc omnia synonima sunt apud Galenum, consueuit tamen indicans primum scopum, indicatum secundum scopũ appellare. Cauendum est itaque ne vanitas nominum difficultatem aliquam pariat, pensitãdi sunt sensus non verba, si quidem id quod indicatur, si vt est animi conceptus consideratur, scopus, intentio, & postulatum nominari potest; quòd si effectum illius spectemus iuuans, auxilium, & vtile nuncupari debet, indicatum verò si ad indicans referatur.

Hoc autem vtile quod in arte consideratur, cum sit animi conceptus, & simulacrũ eius rei cuius est cõceptus, & hoc intelligere nihil aliud sit quàm rei formã suscepisse, quam intelligimus, ob id non est, vt quis quærat nunquid sermo sit de eo quod propriè auxilium, seu iuuans, & vtile dicitur, an potiùs de illius conceptu, ac simulacro, quando quæ vni conueniunt, & alteri conuenire sit necesse.

Cæterum hoc vtile cum sit auxilium illud, cuius causa sanitas deperdita recuperatur, si pertinet ad ea quæ sunt præter naturã expugnanda remediũ appellatur, sin ad ea, quæ sunt secundum naturam conseruanda, quia vitam custodit, ac tuetur, victus salubris nominatur, vt in lib. de sectis primo scribit Gal. quod itaq; confert erit vna ex illis causis, quæ conseruando id quod est secundum naturam, & quod est præter naturam propulsando sanitatem efficiunt, quæ pro varijs notionibus, & vltimæ, & primæ dici possunt, ut voluit Gal. x1. Meth. 1. ad quem breuitatis gratia lectorem reijcio.

Cum itaque indicatio sit comprehensio iuuantis non communis, & uulgaris tantum, sed potissimum artificiosa, ob id auxilia, & iuuantia illa non omnibus nota esse debent, nec possunt; sed illis tantum, quibus natura tum humani corporis, tum affectus præter naturam perspecta fuerit, in quibus cognoscendis quanta sit difficultas optimè norunt illi, qui artem medicam profitentur, quando sæpè fit, ut uiri in hac arte celeberrimi de natura morborum consulentes in inuestigandis causis, in exploranda patientis natura, in inueniendis remedijs, in uarias, & inter se pugnãtes sententias abierint, quare & acri opus est iudicio, & doctrina minimè uulgari; in his enim cognoscendis demonstrationes adhiberi solent; sed cognita natura patientis perspecta morbi natura statim sese offert id, quod prodesse potest.

Verum quia comprehensio, & id quod comprehẽditur sunt eiusdem ordinis, ob id quot modis dicitur unum tot modis dicitur: & alterũ quod itaq; comprehenditur, seu indicatur, uel erit genericum, uel subalternũ, uel specificum, uel appropriatum, quod significare nobis uisus est Gal. 3. Meth. 3. & x1. Meth. 2. siquidẽ Gal. 3. illo Meth. 3. admonebat in qualibet arte proprium à communi esse secernendum, quoniam quanto magis quis discre-

uerit, limitaueritque, eo propiùs ad proprietatem accedet, quando ipſum proprium ad unguem, nec ſcribi omnino poteſt, nec dici, & propterea ſubdit omnes tum empyricos, qui in arte fuere diligentiſſimi, tum dogmaticos ferè omnes fateri nullam ſcribi poſſe curationem ad unguem exactam: quibus uerbis quid aliud ſignificare nobis uoluit Galenus, quàm ab indicatione generica ad ſpecificam, & propriam eſſe deſcendendum, & ſic ab indicante cõmuni, & generico, ad proprium, & ſpecificum eſſe progrediendũ; quod uerò facit, ut proprium indicatũ ad unguem, nec ſcribi, nec dici poſſit, nihil aliud eſt inquit Gal. quàm quantitas tum indicantis, tum indicati, quoniã hæc ad unguem, nec dici, nec ſcribi, neque omnino percipi poteſt, ſiquidem in ulceribus humor, & ſordes indicant remedium exſiccans, & detergens; hæc indicatio, hoc indicans, & indicatum ſunt communia, & generica nimis; quare ſtudendũ eſt, ut propiùs accedamus, & illorum quantitatem decernamus ac limitemus, atque dicamus humorem illum uel exiguum, uel copioſum eſſe, item ſordem uel exiguam, uel copioſam; nã prout hæc duo excrementa magis, uel minus copioſa fuerint, eo maior, uel minor erit illorum receſſus à naturali ſtatu, & remedium uel magis, uel minus exſiccans, magis uel minus detergens indicabunt: quæ indicatio erit ex.g. ſub alterna hoc eſt minus communis; quòd ſi vlterius progrediamur & obſeruemus ulcus hoc eſſe uel in parte ſicciori, uel humidiori quàm proximè fieri poterit ad remedium magis proprium, & particulare accedemus, nulla tamen ratione fieri poterit, ut ultimum ac præfinitum gradum attingamus, alioquin eſſemus Aeſculapij; hoc autem proprium & peculiare quod humana ratio conſequi poteſt, nihil aliud eſt, quàm remedium illud quod appropriatũ & particulare uocauit Gal. non tamen ita particulare, ut à natura ſpecifica recedat, quoniam particularia non cadunt ſub ſcientiam.

Ex his patet nullam eſſe difficultatem illam, quam proponunt nonnulli uiri grauiſſimi authoritate Galeni ducti XI. Meth. 2. ubi ſuadet Gal. ut, cùm inuenti fuerint generales, & uniuerſales indicationum modi, fiat tranſitus ad differentias præſidiorum, quæ propria & particularia ſunt, ſic enim uertenda ſunt illa uerba ἰδικῶν καὶ κατὰ μέρος non autem ſpecifica & particularia, quemadmodum in impreſſis codicibus habetur, quoniam particulæ illius ἰδικῶν principium abſque diphthongo legitur, quam lectionẽ ac translationem cõfirmant ea, quæ ſcribit Gal. 3. illo Meth. 3. Cùm itaque uidiſsent iſti Galenum perſuadere ut fiat tranſitus à communibus ad ſpecifica, & particularia, dubitarunt nunquid Gal. uoluerit particularia ſub ſcientiã cadere poſſe, quæ difficultas nulla fuiſſet, ſi uerba illa & legiſſent, & interpretati eſſent eo modo quo legere atque interpretari debuiſſent. ſiquidem Gal. nihil aliud uerbis illis ſignificare uoluit, quàm ut fiat tranſitus à præſidijs cõmunibus ad præſidia non ſingularia, ſed minus communia, & affectui curando quantum fieri poteſt appropriata. ſi hoc modo dicamus nõ erit profectò neceſſe, vt pro ſalute Galeni confugiamus ad expoſitionem illam nimis ſubtilem & uiolentam, qua dicunt Galenum proponere remedia non modo generica, & ſpecifica uerum etiam particularia, non ita tamen intelligendum eſſe Gal. ut uelit particularia ſub ſcientia cadere poſſe, ſed ut ſuadeat

deat præſidia generica, & ſpecifica particularibus eſſe applicabilia: quam expoſitionem nituntur probare authoritate Gal.xi.Meth.2.ubi habet hæc uerba, indicatio quæ ab affectu ſumitur in tot numero particulares indicationes eſt deducta,& hæ particulares indicationes materias inueniũt,quoniam nõ priùs materiæ ſunt inueniendæ, quàm indicatum maximè appropriatum, & particulare fuerit inuentum; quæ authoritas tantum abeſt ut illorum expoſitioni faueat,ut ſententiam noſtram potiùs comprobare uideatur, qua de re iudicabunt uiri in politioribus literis uerſati.

De neceſsitate rectæ adminiſtrationis materierum. Cap. VII.

CVm itaque ad inuenienda, quæ prodeſſe poſſunt multum ſtudij, & laboris adhiberi ſoleat, uidendum eſt,utrum medico ſit ſatis quid agendum inueniſſe,an præter huiuſce inuentionẽ uſus quoque materierum deſideretur,& ſi vſus deſideratur nunquid ab eodem præſcribatur quid agendum,à quo & rectus materierum uſus.his enim cognitis aditus patebit facilior tum ad multas difficultates tollendas, tum ad ea explicanda quæ totam indicationum doctrinam abſoluunt, & complent.

Vt autem his duobus quæſitis ſatisfaciamus, illud unum ſtatuendum eſt artem curatricem unam eſſe ex illis, quarum finis non eſt actio ſed opus; uerùm ſicut reliqui omnes artifices effectiui antequàm ad agendũ deſcendant priùs animo finem ſeu opus conficiendum concipiunt, ſic artifex curator antequàm id quod eſt præter naturam expugnando, & id quod eſt ſecundam naturam conſeruando ſanitatem inducat, illud mente & animo concipere debet; domificator enim non domum quamlibet in genere cõſtruendam ſibi proponit; ſed domum hanc uel illam, huius uel illius longitudinis, latitudinis & altitudinis, & ſub hac uel illa forma, & in hoc uel illo loco & propterea etiam hoc uel illo tempore, cuius etiam exemplar & formulam quandoque ſibi conſtruit, vt hac formula ſibi propoſita non liceat artifici ab ea ne latum quidem unguem recedere,dummodo in formula & idea illa concipienda modũ adhibuerit, ne aut longior, latior, altiorue quàm par ſit conſtruatur domus, quam ſibi ædificandam propoſuerit, aut quando non licet,aut in eo loco ubi commodè ædificari non poſſit.penſitatis itaque omnibus & quæ ſuadent, & quæ diſuadẽt ab idea illa ſeu formula non eſt recedendum; idem quoque curatori medico contingere dicendum eſt,is enim non quemlibet morbum in genere ſibi proponit curandũ; ſed hunc uel illum cuius magnitudinem,& receſſum à naturali ſtatu conſiderare debet, totamque illius imaginem & formam concipere, & ſic illius ſimulacrum & ideam ob oculos proponere proprijs ac determinatis lineamentis deſcriptam,ac definitam, quæ lineamenta magnitudine, ſeu uehementia,loco,& tempore comprehenduntur iuſto modo ac debita menſura præfinita. Verùm ſicut domificator concepta ſeu propoſita ſibi formula domus, ſtatim etiam ac ſimul comprehendit quid agendum ſit; ſic medicus propoſita ſibi formula, & idea eius quod eſt præter naturam,uel ſecundum naturam ſtatim ſeſe offert id quod eſt utile, illudque animo concipit, ut nõ ſit dubitandum quin indicans, indicatũ, & indicatio ſint animi conceptus.

At

At quis est ille, qui putat domificatori concepta, seu proposita sibi formula domus, & quod est vtile nihil preterea quidpiam sibi esse agendum? nemo certè vnquam hoc existimabit; quando finis artis effectiuæ non sit cognitio, sed opus, quod absq; materia consequi non licet, quare concepta formula domus & eius quod est agendum, superest, vt artifex ad materiam huic formulæ domus accommodatam confugiat & sibi paret cementum, lapides, ferrum, ac ligna in ea quantitate, tùm cõtinua, tùm discreta quam idea, seu formula domus construendæ demonstrabit, atq; eodem tempore his omnibus vtatur, & in eo loco prout ab illa forma fuit definitum, in hisq; omnibus obseruandis quemadmodum, & in idea modus tanquam regula obseruabitur, qui modus, & regula tunc temporis apparet & oritur quando inter se indicantia, & inhibentia comparantur, nisi.n.cõsiderentur ea, quę vim habent prohibendi sæpe fieri potest, vt qui domos construunt, quod iam constructum est, demoliri, & cum maximo dispendio commutare cogantur: modus itaq; semper in omnibus rebus est adhibendus; quod verò dictum est de arte fabricandi, id totum arti curatrici potest accommodari. Etenim cum medicus iam animo conceperit simulacrum, & ideam eius, quod est præter naturam, vel secundum naturam, & per consequens eius quod est utile, iam paratus sibi erit aditus ad materias inueniendas, quæ vt conceptui respondeant, in eadem quantitate sunt administrandæ, quam conceptus, seu simulacrum illud demonstrabit, nec non eodem tempore, atq; in eodem loco, atq; in his omnibus definiendis idem modus, ac eadem regula quæ fuit obseruata in describenda formula illa, obseruabitur: hac.n. prætermissa sæpius euenit, vt aut in quantitate, aut in tempore, aut in loco error committatur.

Ex his itaque satis constat opinor ad curatorem pertinere non modo inuentionem eius quod est agendum, verumetiam rectam auxiliorum demonstrationem.

Hoc idem probari potest ex Gal. in lib. de const. artis 40. & 9. simp. 1. vbi admonet vsum, seu rectam administrationem ad materias pertinere, quod si sic est, & absq; materijs finem assequi non possit curator, ex necessitate sequitur, vt præter quid agendum, vsus quoque, seu recta administratio desideretur.

Idem quoq, confirmari potest ex eodem Galeno in lib. de curat. per phlebotomiam cap. 1. & 1. ad Glau. 1. & passim in libris methodi præsertim verò. 9. meth. 14. & 3. in primum. de vulg. morb. 29. vbi dicebat victum nõ esse temere administrandum, nam plures occidit praua viuendi ratio quam gladius, & ob eandem causam 1. de ratione uict. 12. dicebat illum non esse medicum, qui nouit ptissanam, & hoc, vel illud genus edulij, sed qui nouit quo modo rectè administrari debet. Ex quibus patet, quàm sit necessaria hæc recta materierum administratio, quæ tota tribus illis circunstantijs, & conditionibus absoluitur. tunc enim rectè auxiliorum materias administrasse putabimus quando in ea quantitate, eo tempore, & loco ita fuerint administratæ, vt finis, seu indicans appropriatum demonstrauit: nam illud cum quibus, quod nonnulli inter indicata numerare solent nihil aliud significat quàm materias ipsas, quarum cogni-

tio nō ad methodum curatiuam;ſed ad doctrinam, vt diximus ſimplicium, & medicamentorum compoſitionem pertinere videtur, quo verò ad modū, quē inter ſcopos enumerarunt,ab alijs ſcopis non eſſe ſeiungendum arbitramur,vt ſuo loco demonſtrabitur.Quòd ſi qua alia videntur eſſe indicata præter hæc propoſita,nobis rectum vſum deſcribentia, ſciendum eſt,aut ad methodum medendi non pertinere:aut adhęc tria eſſe referenda.

Quòd ſi quiſpiam quærat cur tres ſint tantum ſcopi,nec plures, nec pauciores rectum vſum materierum nobis deſcribentes; is uelim intelligat ob eam cauſam tres tantum dinumerari,quoniam quod à medico adminiſtratur ea ratione adminiſtratur,vt proſit,vt verò prodeſſe poſſit,inter agens, & paſſum proportio eſſe debet, quoniam in maiori quanto maior eſt virtus, quantitas itaq; vt locum habeat eſt neceſſe,rurſus quod agit non quocunq; tempore adminiſtratum prodeſſe poteſt, opportunum itaq; tempus expectari debet; & quoniam omnis actio fit per contactum , ideò quo propinquiora fuerint agens,& paſſum eo citius,& facilius ſuccedit actio,quare locus quoque neceſſario eſt obſeruandus:in adminiſtrandis itaq; materijs hi ſcopi ſunt medico obſeruandi.

Nec obſtat quod Hipp.in lib.de off.med.6. & in tractatu de morbis lib. 1.cum ea proponeret in quibus ſe exercet ars chirurgica, multo plura enumerarit,cum dixerit in chirurgica exercitatione hæc omnia eſſe conſiderāda nēpe ægrotans,agens,miniſtri,inſtrumenta,lumen,vbi, quomodo,quot, quomodo,quando,corpus,commoda,tempus, modus, & locus. Conſilium namq; Hipp.eo in loco fuit non modo rectam materierum adminiſtrationē proponere,ſed omnia recenſere,à quibus,& per quæ,cum quibus,& in quibus ars chirurgica ſe exercet,ſi quidem à quibus ſunt, & medicus, & miniſtri,per quæ ſunt inſtrumenta,cum quibus lumen & locus, in quibus, & totum corpus eius qui curatur, & pars affecta. quorum omnium deinde rectā adminiſtrationem complectitur his uerbis vbi,quomodo,quando, corpus, commoda,tempus,modus, & locus.quibus verbis bis proponit locum, bis tempus,ter modum,& ſemel quantum. Interſerit autem corpus,& commoda; corpus quidem, vt fortaſſe ſignificaret nedum ægrotantem, uerumetiā partem affectam, vt ſupradiximus eſſe conſiderandam; Commoda vero cū inſtrumentis intelligere poterat,verum ab illis ſeiunxit,fortaſſe,ut ſignificaret inſtrumenta non tantum eſſe neceſſaria,ſed oportere, vt & inſtrumenta ſint præparata,& miniſtri idonei.

Sed quod plurimi refert videndum eſt cur bis locum,& tempus, ter modum,ſemel quantum propoſuerit, bis locum propoſuit,primum quidem,vt docuit locum idoneum ægrotanti,agenti,& miniſtris eſſe ſtatuendum,deinde,ut doceret cognoſcendum eſſe locum,cui inſtrumenta ſint adhibenda; bis tempus propoſuit primum,vt ſignificaret chirurgis conſiderandum eſſe,quemadmodum affectio proceſſerit,quæ in curationem venit,quoniam neq; membra extendenda, neq, articuli ſunt reponendi, cum luxatio tertiū,aut quartum diem pertranſierit, niſi præcedente opportuna præparatione,deinde ſpectauit operariam curationem, quoniā ſunt nonnullæ affectiones quib.quàm citiſſimè manus admoueri debent,nonnullæ uerò ſunt pro-

ducendæ,

ducēdę, pręterea sunt aliæ, quæ manū uelocem, quædā quę tardā operationē desiderāt, vt suffusiones in quib. opus est, posteaquā fuerunt deductæ, aliquā diu eo loci interpūctoriam acū detinere, ubi manere eas cōpressas firmiter volumus. ter modum proposuit, primum quidem post aduerbium vbi, vt significaret modum qui ad situm, & collocationem tum ægrotātis, tum artificis, tum instrumentorum pertinet: secundo loco proposuit modum post relatiuum quot, ut significaret se loqui de modo qui ad vsū pertinet, quoniam non modo cognoscere debemus quot sint illa, quæ ad manuariā operationem sunt necessaria, verùm etiam quomodo ijs uti oporteat; tertio loco modum proposuit, ut significaret chirurgo cognoscendum esse modum, quo morbus fuerit excitatus, ut quomodo fractio, aut articuli luxatio facta fuerit, quomodo uulnus, & id genus alia; postremo loco semel quantum proposuit, & quantum discretum non autem cōtinuum, ut significaret chirurgo cognoscendum esse quot sint illa instrumenta, quæ ad chirurgiam sunt necessaria, nec non quoties manuaria operatio sit iteranda: quibus sic declaratis satis constat totam instrumentorum, seu materierum chirurgicarum administrationem ijsdem scopis absolui & contineri.

Constat itaque ut alteri quæsito satisfaciamus duplex indicatū esse, quorum alterum quid agendum, alterū dexter usus materierum nuncupatur; at dicet quis si duo indicata ergo duo indicantia, uel unum duobus modis consideratum, quoniam unum ab uno tantum indicatur ut mox demonstrabimus, non enim unum indicans uno modo consideratū, & quid agendum & rectam materierum administrationem indicare uidetur; Huic difficultati sic satisfieri posse arbitror, si dicamus uerum quidē esse unum indicans uno modo consideratum unum indicare, non tamen inconueniens esse vt quod indicat quid agēdum indicet quoque rectū materierum vsum; sed quid agendum per se, ex accidenti verò hoc est uirtute indicati rectum vsum materierum: siquidem indicans ut appropriatum reddatur quemadmodum antea diximus necesse est, ut præter qualitatem, seu speciem ac naturam suam, in eo quoque magnitudinem, seu uehementiam illius cōtemplemur, quam uulgo quantitatem uocant, nec non quo tempore magis, uel minus uigeat, & quem locum obsideat, & quoniam indicans ad indicatum refertur propterea in indicato nedum hæc omnia sunt cōsideranda, uerùm etiam in his omnibus modus est adhibendus ne quid nimis: circunscripto namque indicante, & undequaque delineato ac ueluti appropriato tunc in eo imago ac ueluti simulacrum eius quod est utile cōspicitur, siquidem & id quo ad naturam indicantis, ad magnitudinem, ad tempus, locum & modum pertinet obseruatur, & sic indicans per se indicabit auxilium, seu quid agendum, & per accidens rectum materierum usum. non enim est dubitandum exemp. gratia humiditatem illam, quę uulneris agglutinationem prohibet, vt humiditas est, auxilium exsiccans magis, uel minus, & propterea maiorem, uel minorem huius, uel illius materiæ exsiccātis quantitatem non indicare; sed ea ratione indicare magis, uel minus exsiccans, & propterea maiorem, uel minorem quantitatem materiæ exsiccantis, qua uis illius humiditatis maior est uel minor, quod sæpius accidit pro maiori, uel

minori

minori copia humiditatis ex uulnere promanantis. Recessus itaque à naturali statu perpetuo spectabitur, hic enim & uim indicantis, & uehemētiam indicati, & quantitatem materiæ administrandæ demonstrabit: rursus humiditas illa, vt humiditas est non desiderat id quod est utile magis hoc quàm alio quouis tempore, sed ea ratione magis hoc quàm illo tempore indicat id quod est utile, qua hoc tempore magis quàm illo uulneris agglutinationem impedit, ac remoratur. & propterea etiam per accidens demonstrat magis hoc quàm illo tempore materiam exsiccantem esse administrādam: postremo neque humiditas illa pro natura sua docet auxilium huic vel illi loco esse admouendum; sed si ea ratione consideretur, ut iam impedit, & prohibet quominus labra uulneris hanc uel illam partem obsidentis coniungantur. tunc enim concipimus auxilium huic magis quàm illi loco esse admouendum, & per consequens etiam materiam illius auxilij in hoc potius quàm in illo loco esse administrandam. Et quoniam in quantitate, tempore, & loco indicantis contemplando ut quantitas, tempus & locus in auxilio, & per consequens in materia auxilij administranda cognoscantur, sæpè fieri potest, ut committatur error nisi modus adhibeatur, hinc fit, vt perspectis ijs, quæ circunstantias, seu conditiones illas aut remittere, aut immutare, aut omnino prohibere possunt, modus & ratio adhibeatur. sed quid est, quod facit ut non omnes hosce conceptus inter se rectè distinguant, & auxilium à materia auxilij non separent, neque intelligere possint qua ratione, quantum, quando & vbi prius animo concipiantur, quàm in materijs exerceantur? Ego certè non ob aliam causam id contingere arbitror, nisi quòd isti viri cum sint admodum sensati conceptus à rebus ipsis distinguere nequeunt, & cum indicatum, & indicati materia adeò inter se adnectantur, tantamque affinitatem habeant, vt uix intellectus alterum ab altero seiungere possit, sæpè fit, vt id quod est proprium materiæ auxilijs, & quod est proprium auxiliorum materijs attribuant. neque animo concipere possunt quomodo quantitas, tempus, & locus à materijs abstrahantur, & prius animo concipiantur, quàm in materijs administrandis exequantur; cum tamen ad materias ipsas administrandas nunquàm medicus descendere debeat, nisi priùs animo cōceperit in qua quantitate quo tempore etiā loco sint administrandæ, quæ cum sint auxilij materiæ, in auxilio hæc omnia priùs debent esse conspicua, & cum indicatum sit indicantis indicatum eadē omnia in indicante fuerunt puris obseruanda, ut ex. g. in febri tertiana scio peccare bilem, & quantum coniectura consequi possum ad libram; scio remedium cholagogum conuenire, quod uim habeat quantitatem hāc bilis euacuandi, ubi hæc mihi nota sunt, considero locum in quo residet bilis, & quoniam dum bilis recedit à naturali statu semper sui euacuationem indicat ob id modus est adhibendus, & considerandum est nunquid adsit aliquid quod prohibeat huiusmodi indicationem, sed in aliud tempus magis opportunum reiiciatur, quibus omnibus perspectis, & iam indicante circunscripto, & appropriato reddito indicatum quoque appropriatum cōprehenditur, atque tunc oritur principium perquirendæ materiæ ad hoc peragendum accōmodatæ, vt docuit Galenus XI. illo Meth. 2. Confugio ad

doctri-

doctrinam simp.med.inuenio rhab.scamonium, cassiam,tamarindos, & alia id genus bilem euacuare, id quod magis accommodatum est secerno, huius dosim maiorem, minorem, mediocrem experientia docuit, rationem parandi medicamenti doctrina medicamentaria tradidit:vtrum verò in maiori, vel minori, vel mediocri dosi hæ materię cholagogæ sint exhibendæ præscribit nobis materia illa biliosa remedium appropriatum indicando, & sic per remedium appropriatum nedum quantitas materiæ admi nistrandæ verum etiam tempus & locus dignoscitur, si quidem si materia illa biliosa sui quantitate multum recessit à naturali statu,tunc auxilium cho lagogum quod valde euacuat indicatur,quare ad maiorem dosim confugere licet nisi adsit aliquid quod prohibeat, quòd si non ita sui quantitate pręmit,&vrget,minor dosis,vel mediocris erit eligenda:id quod etiam inferius latius demonstrabitur,vbi aliorum opiniones confutabimus, atq; difficultates,quæ doctrinam hanc perturbant, enodabimus. in his libenter commoror atque eadem iterum,ac sæpius repeto,quoniam propter huiusce veritatis ignorantiam multi viri in arte medica celeberrimi extra modum absona,& absurda protulerunt. Et hæc de indicati natura summatim, ac breuiter dicta sint;nunc superest,ut de indicante loquamur,ex cuius cognitione exquisitam indicati doctrinam consequemur, quando hæc diuo sint ex genere illorum,quæ sub eandem rarionem cadunt.

Indicans therapeuticum quid. Cap. VIII.

INdicans itaq; therapeuticum sit nobis agens quoddam in corpore humano permanens,vtile repręsentans gratia sanitatis reparandæ.quod verò hæc indicantis descriptio totam illius naturam ob oculos proponat, omnesq; difficultates, quæ in hac doctrina contingere possunt diluat,ex illius explicatione facile patebit.

Primo itaque loco diximus indicans therapeuticum,de hoc.n. agitur, id esse { quod agit in corpore } ut hoc genere complecteremur nedum ea quę sunt pręter naturam, uerum etiam ea,quæ sunt secundum naturam, quoniam hæc omnia in arte therapeutica considerantur,non enim consideramus tantum causas,morbos,& symptomata,uerum etiam uirtutem,quę me dium in spiritibus, solidis, & carnoso genere posita est, uerumetiam in reli quis omnibus,quæ secundum naturam esse dicuntur. statuimus itaque indi cans agere atque { in corpore humano } potius quam in corpus ut uirtutem complectemur,nam & si causa,morbus, & symptomata in corpus humanũ agunt,uirtus tamen quæ alimentis sustentatur non in corpus,sed agit in cor pore aduersus alimenta, quę superare, & in substantiam nutriendi transmutare debet.

At quæ à nobis dicuntur ne gratis, & absque ratione dicta esse uideantur,optimum fore duxi si rationibus,& authoritatibus confirmarentur. Ex rationibus uerò, quibus comprobari potest indicãs therapeuticum necessario in corpore humano agere oportere,hæc una erit.

Illorum est actio,quorum sunt motus,& opera:sed indicantium sunt mo

tus,

tus, & opera ; Ergo illorum eſt actio ; maior eſt manifeſta ex defini-tione actionis, minor probatur ex eo quòd indicantium motus, & opera ſunt, uel cuſtodienda, uel impedienda, & perturbanda, etenim ſi fuerint ſecundum naturam ſunt cuſtodienda, cuiuſmodi ſunt motus, & opera uirtutis, ſin præter naturam impedienda, perturbanda, ac penitus debellanda, cuiuſmodi ſunt motus, & opera tum cauſarum, tum morborum, effectui tribuo, id quod eſt proprium cauſæ, facilioris doctrinæ gratia; Ex his itaque concludendum eſt indicantia ſi quid indicare debent agere oportere.

Altera ratio quę à fine artis therapeuticæ deduci poteſt ſic habet: Sanitas deperdita reuocari non poteſt, niſi ea, quæ ſunt ſecundum naturam cuſtodiātur, expugnenturq; contraria, quorum neutrum fieri poteſt, niſi ea prius medico perſpecta fuerint, hæc autem ex illorum actione cognoſcuntur; ſiquidē uirtus ſit ne robuſta an debilis, an medio modo ſeſe habeat, quid eſt, quod hæc nobis ſignificare poſſit, cum ab actione diſceſſeris? uirtus itaque ſi cuſtodiri debet, & illud indicare, quod eſt utile, ut agat, eſt neceſſe; idem quoque de ijs, quæ ſunt præter naturam dicendum eſt, etenim quo pacto medicus cognouerit ea eſſe expugnanda, ni prius intelligat humano corpori aduerſari? at quomodo hæc humanę naturę inimica, & aduerſaria nouerit, niſi actionem illorum obſeruabit? quandoquidem actio eſt ueluti ſignū magnitudinis, uel facilitatis, ac benignitatis indicantis; præterea qua ratione medicus intelliget in qua quantitate, quo tempore, & loco materiæ ſint adminiſtrandæ, ni prius ad indicantium actionem confugiat? quæ ut plurimum receſſum à naturali ſtatu deſcribit, etenim prout maior, vel minor fuerit receſſus, ſic doſis materiæ adminiſtrandæ maior, vel minor erit eligenda, & hoc tempore potius quam illo, & in hoc loco potius quàm in alio adminiſtrabitur, prout hoc tempore potius quàm alio, & in hoc loco potius quàm in alio vim ſuam demonſtrabit, in quibus tamen modus ſemper eſt adhibendus. nullum igitur datur indicans, quod abſq; actione quippiam indicare poſſit.

Hoc idem confirmatur authoritate Galeni 4. meth. 3. cum dicat Galen. ſuperuacuum eſſe cauſam eorum quærere, quæ vlcus, vel Eryſipelas, vel inflammationem excitarint, niſi iam etiam faciant, quoniam quæ non agunt, idem eſt ac ſi non eſſent, at quæ non ſunt inquit Galen. ſubmoueri non poſſunt, ab eo itaque quod non agit nulla ſumitur indicatio.

Neque eſt quod quiſpiat dicat id tantummodo verum eſſe de cauſa externa, de qua ibi Galen. quando & idem de cauſis externis confirmare videatur ſub finem eiuſdem capitis, dum admonet duo eſſe cauſarum genera, quæ vlus excitare poſſunt, externum alterum nempe decubitus in aliquam corporis partem; alterum internum, ut ſucci vitioſi ad cutim à natura detruſi, ibi namque ſubdit ab harum cauſarum altera manifeſtum eſſe nullam ad curationem fieri indicationem, quoniam cauſa illa externa iam fuit ſubata, nec amplius agit, cum æger in partem illam non amplius decumbat, ab altera verò nempe interna, ſi adhuc remanet

atque

atque vlcus foueat, ac renouet, proculdubio indicationem esse desumendam; at si succi ipsi, qui vlcus excitarunt nō aderunt, nihil omnino præscribere docet, quoniam absurdum est inquit ab eo, quod non est, aut nullius rei indigeat curationem indicari, cum ab eo tantum, quod præsens est, capiatur indicatio. Quare ex his constat eam fuisse Galeni sententiam, vt ab ijs, quæ non agunt, nulla sumatur indicatio, siue sint interna, siue externa. plures alias Galeni authoritates sciens lubensque prætereo, ne in re nota, & peruulgata multus ineptusque videat, non fuerunt tamen hæc silentio prætereunda propter multas difficultates, quæ absque hoc fundamento nullo modo explicari potuissent, siquidem virtute huiusce conditionis quæcunque non agunt in corpore, à natura indicantis excludantur, cuiusmodi est consuetudo, ætas, vitæ institutum, sexus, regio, cœli status, anni tempus, & id genus alia quàm plurima, de quibus suo loco copiosiùs disputabitur; vbi demonstrabimus doctrinam hanc Galeni doctrinæ minimè repugnare, non enim sumus ex genere illorum, qui ex quauis leui occasione viros doctissimos eosdemque celeberrimos accusare solent, quinimo ingenuis studijs, artibusque instructi, liberaliterque educati semper esse existimaui sententias Clarissimorum virorum, si quid in illis aut inconstans & varium, aut alienum, aut repugnans appareat, ad optimum & rectum, si fieri potest, sensum traducere: quod si fecisset Argenterius multo quidem maiori laude dignus iudicaretur, cui tamen plurimū certè debemus, postquàm vnicuique præbuit occasionem occultæ, & ab ipsa rei natura inuolutæ veritatis indagandæ.

Additum fuit § permanens § neque id absque ratione, sed ut à natura indicantis excluderentur ea, quæ quàmuis agant non tamen permanent, cuiusmodi est ensis dum vulnerat, fera dum mordet, lapis dum contundit, & id genus alia tum interna, tum externa, quæ post actionem non permanent; hanc permanentiam nobis significauit Gal.4.Meth.3.ubi dum de causis externis loqueretur dicebat, à nullo eorum, quæ adhuc non permanent indicationem vtilem sumi posse, quod enim non permanet, nec adest nihil expetit, aut postulat, quare nec indicans esse potest.

Sequebatur altera particula, qua dicebamus indicans therapeuticum § vtile repræsentare § qua particula distinguitur indicans nedum ab indicato, & materia indicati; verùm etiam ab ijs indicantibus quæ vtile non indicant, cuiusmodi est tumor morbosus, angustia, omnisque angustiæ differentiæ, & quæcunque quorum indicatorum materias nōn licet reperire; nam etsi tumor morbosus sui diminutionem indicet, quia tamen non licet huius remedij materias reperire, hinc fit ut indicans quidem dicatur, quod tamen vtile non indicat.

Postremò dictum fuit § gratia sanitatis restituendæ § vt indicans therapeuticum ab indicante conseruatiuo distingueretur.

Ex hac proposita indicantis definitione plura obseruare licet, quæ ad circunscribendam indicantis naturam pertinent; quorum primum est vt indicans sit § quid existens in corpore § quoniā si agere debet in corpore, vt in eo sit est necesse; alterū quidem § vt sit præsens § quomodo.n.quippiam agere

agere poteſt quod præſens non ſit,quo fit, vt a futuro nulla capiatur indicatio. Tertium ❴ut per ſe indicet❵ quoniam indicans de ſeipſo potius quàm de alio, & ſic pro natura ſua indicare debet; & cum unius rei unica ſit natura,hinc fit,ut unum quatenus unum ſemper indicet unum,& unum ab uno indicetur, quod unum ſi ſimplex fuerit, & quod indicabitur ſimplex erit, ſin compoſitum,& indicatum compoſitum. Quartum ❴ut permaneat❵ Poſtremo ❴ut notum ſit❵ niſi enim notum eſſet, quomodo indicaret, & notum intellectui eſſe debet, ut differat ab indicatione, quo utitur methodicus. quæ omnia propoſuit nobis Gal.in methodo med. primũ quidem,ut ſit in corpore ſignificauit nobis 4.illo meth.3. ubi prolixa ratione oſtendit cauſam externam nihil indicare, quo loco demonſtrat etiam neceſſarium eſſe, vt indicans permaneat,& propterea, vt preſens ſit,ut uerò per ſe,ac pro natura ſua indicet,manifeſtè docuit 1.meth.5. 3.meth.1.4. per genera 6.2.meth.7.& 4.per genera 4. vt uerò notum ſit ſcriptum reliquit 1.meth.5.2.meth.6.4.meth.4.nec non 13.meth.6. vbi admonet ab his quæ agunt à tota ſubſtantia indicationem non eſſe capiendam, ſed ab his quę agunt manifeſta qualitate,idque non ob aliam cauſam dixiſſe exiſtimare debemus,niſi quia natura illorum quæ agunt à tota ſubſtantia non eſt nobis manifeſta quemadmodum eorum quæ agunt manifeſta qualitate.

De differentiis indicantis. Cap. IX.

HIs explicatis ſupereſt, ut indicantis therapeutici differentias ex propoſita definitione hauriamus, in qua cum duplex ſit finis,internus alter nempe rei utilis inuentio,ſeu repręſentatio;alter externus deperditę ſanitatis reſtitutio, ab externo tanquam unica emergit differentia, quæ indicans curatorium dicitur, cum ſanitatem deperditam reſtituere nihil aliud ſit quàm ægrota corpora curare, & ab omni labe uindicare. quare omnia illa quæ in arte therapeutica nobis inſeruient ad inueniendum id quod eſt utile ad ſanitatem reparandam,indicantia curatoria abſq; iniuria poterunt nuncupari:quare nedum morbus,uerum etiam cauſa, & uirtus merito huius finis communis,& externi,indicantia curatoria uocabuntur:quòd ſi finem internum ſpectemus, qui nihil aliud eſt,quàm inuentio, ſiue repręſentatio rei utilis,uidendum eſt quot modis aliquid utile dici poſſit ad ſanitatem depreditam reparandam.

Duobus autem modis aliquid utile dici poſſe obſeruamus, uno quidem modo,cum illius ope, ac beneficio conſeruamus ea quę ſunt ſecundum naturam,aut robuſtiora reddimus,quod nihil aliud eſt quàm uitam conſeruare,& propterea quæcunq; conducunt ad ea inuenienda, quę uitam cuſtodiunt uitalia indicantia nominari poſſunt,niſi enim horum uirtute uita cuſtodiretur,quomodo ægrota corpora curari poſſent? quare uirtus in arte therapeutica locum habere debet,quemadmodum nobis tradidit Gal. 10. meth.ult.9.meth.13.& clarius in eodem lib.cap.7.ubi dicebat uirtutem in ægris interdum conſideratu neceſſariam eſſe, ut quę circa ægrotantem adminiſtrantur,omnia fermè eius vnius cauſa fiant. Altero quidem modo ali-

quid

quid vtile dicitur ad sanitatem restituendam, quoties virtute illius ea, quæ sunt præter naturam expugnamus; at quæ sunt præter naturam, vel actiones corporis suapte natura impediunt, ac perturbant, vel interuentu alterius id præstare solent, quorum morbum illum, causam hanc medici nominarunt: & quoniam ægrotantia corpora cum morbo liberantur curari propriè dicuntur, hinc fit ut morbus propriè indicans curatorium nominetur: vbi verò tollitur causa, ui cuius, vel fouetur, vel fit, vel augetur, vel iam fieri potest morbus, tunc corpus non propriè curari dicitur, sed ab imminente morbo præseruari: causa itaque indicans præseruatorium propriè nominabitur; etenim causa fouēs, & conseruans morbum, cuiusmodi sunt humores in tumoribus, & obstructionibus, quàmuis agere non videantur, quia morbi iam facti sint, nec ullum amplius incrementum suscipiant, nihilominus cum morbos illos conseruent, hinc fit ut agere uideantur, immò nisi agerent sublatis ipsis tumores, & obstructiones non tollerētur, hoc autem absurdum, ergo: at si causa fouens agere dicitur, vt nobis manifestè significauit Gal. 4. Meth. 3. multo magis efficiens propriè dicta agere dicenda est. quare si finem prox. spectemus, triplex erit indicans vitale, curatorium alterum, tertium præseruatorium. etsi quandoque videamus Galenum abuti nominibus vt loco præseruationis, curationis vocabulum vsurpet, ob id turbari non debemus, quoniam vt ipsemet Gal. testatur 1. de diff. feb. 4. ipsa nomina sæpius apud medicos cōfunduntur, qui hac sermonis subtilitate non indigent, quare nihil refert, siue totam medendi artem in duo diuidas in curationem scilicet, ac præcustodiam, siue ambo in vnum colligas curationemque nomines. ex quibus verbis uidetur Galenus in arte medendi curationem à præcustodia disiunxisse, quod clarius 12. Meth. 1. & 11. Meth. 2. significauit, vbi dixit curationem propriè in soluendo morbo esse intelligendam, & diariarum febrium, quemadmodum, & hecticarum veram & propriam curationem esse. Earum uerò quæ ex putrescētibus humoribus excitātur, præter vocatam curationē prophylacem quoque sibi adiunxisse, cuius officium est causam, quæ morbum facit, adimere, & subdit artem hāc curatricem nominari, ab eaq; quæ purè syncereque prophylactice dicitur in eo distinctam esse, quòd sub curatrice iam sensibiliter ex ipsa causa morbus est genitus, in prophylactice verò est futurus: cur uerò potius artē medendi curatricē quàm præseruatricē nominamus docuit Gal. 9. Meth. 10. ubi dicebat in opere de tuenda propositum esse, ac finem uitæ custodiam, in Methodo uerò medendi primum propositum respōdens ei quod in opere de tuen. proponitur, est morbi sublatio, quādo cuiusmodi est in illo sanitatis tuitio eiusmodi in hoc est morbi sublatio, quorū utriq; unum est cōmune ipsa. s. uitæ custodia: idē uisus est nobis insinuasse Gal. 1. in acutis 3. ubi dicebat curationē per se à medicis exerceri, prænotionē uerò ac dignotionē addamus nos, & præseruationem, propter curationē: quo fit ut nemo sinē artis dignotionē, uel prænotionē, uel præseruationē, sicut curationē asseuerauerit: & subdebat Gal. tu autē intellige in præsenti curationē morbi sublationē non esse eius qui adhuc fit, sed qui iā factus est. ex quibus uerbis luce clarius constat ex Galeni mente in arte medendi unum dari indicans

merito finis communis, & externi nempè curatorium, tria uerò merito finis appropriati, & interni, quorum unum curatorium; alterum uitale: tertium præseruatorium nominatur: & uirtutem esse indicans uitale, morbum curatorium, & causam præseruatorium.

Rursus ex eadem definitione colligitur indicantiū aliud esse utile; aliud inutile: rursus artificiosum aliud: aliud artificio carere, quemadmodum quoque de indicatione, seu comprehensione superius dictum est: etenim cum indicatio, indicans, & indicatum sint eiusdem ordinis quæ σύστοιχα, siue συγγενῆ græcis nobis cognata, & eiusdem generis dicuntur, fit ut quot sint differentiæ unius totidem sint & alterius, ut supra diximus: quare sicut omnia indicantia merito finis externi, & communis curatoria dicuntur, ita quoque indicata omnia, & indicationes omnes nominari debent; & quemadmodum merito finis interni, & appropriati, seu particularis ut ita dicam, alia dicuntur indicantia uitalia, alia præseruatiua, alia curatoria, ita quoque indicationes dici debent, & sic de alijs differentijs dicendum est; quæ omnes differentiæ illustrari possunt exemplo à febre putrida sumpto. Cùm hic morbus ab effectrice causa conseruetur, quare si occurrat quis febre putrida correptus, primo loco febris consideratur, ut quid præter naturam, à quo sumitur indicatio, ut submoueatur, & expugnetur, cuius indicati materia cum nulla sit, benè fit, vt indicatio inutilis dicatur, & multo minus artificiosa, cum nemo sit tam demens, qui cum uideat alterum febri laborare non dicat febrem, ut quid præter naturam esse propulsandam, hæc est illa indicatio, quæ dicitur generalis, prima, & carcer unde curatio promouetur & exorditur. Cùm itaque hæc indicatio sit inutilis, hinc fit ut ab ea nulla materia reperiri possit, quare vlterius est progrediendum, & in quonam posita sit natura febris curator considerare debet, qui cum cognouerit intemperiem esse calidam, & siccam totius humani corporis, statim perspectum habebit remedium frigidum, & humidum conuenire, quæ indicatio utilis quidem est, quando eius indicati reperiatur materia, cuiusmodi esse potest lactuca, endiuia, acetosa, cicorea, semina tum maiora, tum minora, & id genus alia, uerum etsi utilis quidem sit, in artificiosa tamen est dicenda, quoniam & fœminæ cognoscunt febricitantibus frigida, & humida esse porrigenda; ut uerò indicatio hæc artificiosa fiat, ad ea confugiendum est, quæ indicationem hanc appropriatam, & particularem reddere possunt; essent autem huiusmodi, si cognouerit curator quantus sit recessus à naturali statu, nunquid uno an duobus tribusue gradibus à temperatura naturali distet; at quomodo curator id intelligere poterit ni prius sibi nota fuerit temperatura naturalis, quæ aderat, quo tempore ægrotare cæpit? at quomodo hanc nouerit, ni ad ea confugiat, quæ docuit Gal. in lib. de temperamentis, nec non ad ætatem, anteactam uitam, quæ tota nimirum in uitæ exercitio, & uictus ratione posita est, ni sexum quoque perspectum habeat, in qua regione, in quo cœli statu uiuat, & in qua temporis conditione hac febri iactari cæpit? quæ omnia & alia id genus cum recessum à naturali statu præscripserint, & indicans appropriatum ac particulare reddiderint, ita ut curator coniectura

quadam

quadam intelligat intemperiem illam febrilem calidam, & ficcam à natiua temperie duobus ex. g. gradibus diftare, tunc ftatim remedium frigidum, & humidum vt dico fefe obtulerit, quæ indicatio rationalis, & artificiofa nominabitur, quoniam ratione, & arte quadam confequitur curator intemperiem hanc in tali gradu pofitam effe, quem gradum definitum ac fingularem fi medicus intelligere poffet, is non humanus fed diuinus potius effet exiftimandus. hæc autem indicatio, indicans, & indicatum fiue communem, & externum finem fpectemus, fiue proprium & internum, curatoria nominari debent; vti diximus.

Verùm quia febris putrida tanquàm caufam efficientem, humorum putredinem habet adnexam, hinc fit vt ipfa putredo fit arcenda, cuius indicati materia cum nulla exiftat, fequitur vt hæc indicatio non fit ex vfu, immò neque artificiofa, quare qui ex arte mederi uoluerit, & vtilia remedia inuenire, huic natura putredinis erit perquirenda, quæ cum fit ex Galeno 10. Meth. 8. mutatio totius putrefcentis corporis fubftantiæ ad corruptelam à calido externo, hinc duplex oritur indicatio quarum altera eft, vt quod iam computruit euacuetur, & eradicetur, quod reliquum eft ab externo calido ut calfactum moderatis motibus perfpiratu aeris refrigerante ad exactam fymmetriam deducatur: quæ indicatio, indicans & indicatum cū ratione, & arte fuerint inuenta, hinc fit, ut artificiofas dicatur, ex vfu verò, quoniam illius quod indicatur materia licet reperiri, neque ad ablationē alterius aufferuntur, quoniam pro fpecie humoris putrefcentis nunc fectione uenæ, interdum agarico, interdum rhabarbaro, quandoque fena, & polypodio, & alijs id genus fumma cum patientis utilitate vti folemus, & huiufmodi indicatio indicans, & indicatum præferuatiua nominari debēt.

Verùm quia interdū magnitudo febris eft adeò infignis, vt vires exoluātur, hinc fit vt in remedijs adminiftrandis uirtutis quoque ratio fit habenda, quare & à virtute in febre putrida capienda eft indicatio. quæ perpetuò fui cuftodiam defiderat, hæc autem inartificiofa prorfus exiftit, cum nemo fit tam iners, qui non intelligat uirtutem quantum fieri poteft effe cuftodiendam, non inutilis tamen eft dicenda, quoniam illius indicati materiā licet reperire, cum alimento, feu uictu falubri virtus femper cuftodiatur; verùm vt hæc indicatio artificiofa reddatur, ad naturam virtutis eft confugiendum, quæ cum in fpiritibus, folidis, & carnofo genere præcipuè pofita fit, hinc fit, vt ab his ratio cuftodiendi vires fit defumenda, quæ indicatio, indicans, & indicatum vitalia nominari poffunt; ab his itaque tribus fcopis ratio agendorum in febribus putridis defumitur: quemadmodum fcriptum nobis reliquit Gal. 10. Meth. 1. & 2. de quo indicante vitali locutus eft Altimarus vir fingulari doctrina præditus; Sebaftianus Paparella vir doctiffimus, atque de re medica optimè meritus; nec non Argenterius inter fcriptores noftri temporis elegans, & fubtilis: & Augerius Ferrerius medicus præclariffimus, & Galeni æmulus, ac imitator præftantiffimus, quare nō fatis mirari poffum quo pacto vir quidam doctiffimus in quodam opufculo de indicatione vitali tanquàm de re noua fcripferit, ni forte in hunc errorem inciderit propter quafdam lectiones publicas viri cuiufdam Excellen-

tiſſimi, in quibus cum obſeruaſſet virum hunc doctiſſimum & ipſum de indicatione vitali tanquàm de re noua, vel nouo docēdi genere copioſiſſimè diſputaſſe, illius authoritati ſubſcribens, & contradicendi deſiderio ductus ſcriptorum, & publicè profitentium leges contempſit: vtrum verò iuſtè, an iniuſtè publicum illum lectorem carpſerit ſuo loco uidebimus. ſed eò redeamus vnde defluxit oratio, & videamus nūquid ſymptoma, cum ſit quid præter naturam, inter indicantia ſit collocandum, cum omne, quod eſt præter naturam, ſui ablationem indicet, cuius rei veritatem ſi aſſequi volumus, & optamus, ad indicantis conditiones, ut confugiamus oportet, inter quas cum hæc una ſit, ut indicans permaneat, & per ſe, ac pro natura ſua indicet, facilè conſtabit ſymptoma quatenus ſymptoma indicare non poſſe, quia non permanet, quando uel aliud ſymptoma, uel cauſam, uel morbum, ſubſequatur, & his tamquàm vmbra corpus ſe comitem præbeat, neque pro natura ſua indicet, alioquin ea ratione, qua ſequitur, aliud indicaret. ſed hac de re fuſius vbi de indicatione, quæ ſumitur à cauſis, diſputabimus.

Tres itaque tantùm ſunt indicationes, tria indicantia, & tria indicata, ſi generatim, propriè, & per ſe cōſiderentur, quòd ſi ea ſpectemus quæ ad inuentionem auxiliorū pertinent, atque conducunt, ſiue per ſe, ſiue alterius interuentu conferant, non tria tantùm erunt indicantia, non tria indicata, & propterea neque tres indicationes, ſed quàmplurima erunt indicantia, plura indicata, & plures indicationes: & hoc eſt, quod voluit ſignificare Galenus 9. Meth. 7. vbi dicebat artis vtilitatem eſſe auxilia, quibus æger ſanatur, inuenire, non autem de nominibus contendere, & propterea nō prohibere quominus quiſque nominibus, quibus gaudet, vtatur, ſi tamen meminerit ea omnia ad curationem eſſe neceſſaria, quę ad inuentiones auxiliorū conducunt: quibus uerbis admonere uidetur ea omnia indicātia nominari poſſe, quæ aliquo modo ad inuentionē auxiliorum conducunt, ſiue propriè, ſiue impropriè, ſiue per ſe, ſiue per accidens, & aliorum interuentu dicantur, quare pręter morbum cauſam & uirtutem, quæ per ſe & propriè indicantia dicuntur, illa quoq; indicare uidētur, quæ prædicta ueluti notæ, ac ſigna demōſtrant, & eadem definiunt, ac circunſcribunt, & veluti ſpecifica, & appropriata reddunt, cuiuſmodi eſt naturalis temperies, quæ aderat eo tēpore, quo quis ægrotare cæpit, & ea quidē tum uniuerſi corporis, tum partis affectæ, illiusq; naturalis formatio, poſitio, facultas, dignitas, ac neceſſitas, & ſenſus acuitas, uel hebetudo; ad hæc uires ægrotātis, aer ambiēs, regio, cœli ſtatus, habitationis locus, & anni tempus; quibus accedit, ætas, ſexus, conſuetudo, vitæ genus, quod in profeſsione, arte, ſtudio & exercitio poſitum eſt: item breuitas, & lōgitudo morbi, morborumq; tempora, & eorundem particularis acceſsiones, quotidianæ naturæ functiones & ordinatæ; quibus addūt nonnulli medicamentorū facultates, naturæ proprietatē, & corporū cœleſtiū influxū, quę tria cū nō ſint ſigna, & notæ eorū, quę indicāt, illorūq; naturā nō definiāt, ob id ab illorū numero ſeiūximus, uerū quoniā partim ad inuentionē auxiliorū, & illorū adminiſtrationē plurimū cōferūt, partim ad pręſagiēdū idonea ſunt, ob id nō uidentur omnino à medicis prętermittēda; de quibus omnibus ſigillatim, & quātū ꝑpoſito noſtro facere

uidetur

videtur disputabimus, vbi prius demonstratum fuerit nunquid in qualibet ægritudine tria illa indicantia per se, & quæ illa designant & specifica nec non appropriata reddunt, contemplari debeant, & possint.

Et si plura sint speculanda vtrum omnia indicantia nominari debeant, an quædam coindicantia, seu consentientia, quædam permittentia; alia repugnantia, prohibentiave, siue diffidentia, & correpugnantia dici possint; immò quædam contraindicantia aliave ratione, seu contrario modo indicantia.

Et inter indicantia quæ digniora, quæve minus digna iudicari debeant, & indicantibus inter se comparatis vbi apparebit discordia lis ac dissidium, quæ dignitate sint præferenda, & ob eam causam quibus magis sit incumbendum.

Et vbi quàm plurimæ quæ ex dictis oriri solent difficultates fuerint sublatæ.

Atque tandem quàmplurima in Galeni doctrina inter se pugnantia fuerint conciliata, sine quibus tota hæc doctrina de indicationibus varia confusa, & inconstans uideretur.

Tria indicantia per se, & propriè dicta utrum in qualibet ægritudine locum habeant. Cap. X.

VT itaque quod primo loco propositum fuit prosequamur, illud in primis tanquàm axioma est nobis supponendum, partem illam medicæ facultatis, quæ curatrix dicitur subiectum habere corpus humanum ea ratione, qua morbo afficitur, eo inquam morbo cuius causa manifestè læditur operatio, quoniam si corpus curari debet, necesse est, vt morbo afficiatur, quo iacto fundamento nulli dubium morbum in arte curatiua, & in qualibet dispositione perpetuò habere locum, non tamen perpetuo ad inuentionem auxiliorum conferre, quando inter morbos quidam reperiantur, qui non sunt ex usu, sed logici tantum & ratione contemplabiles, quorum nulla reperitur materia, cuius modi sunt tumores, & angustiæ, cuius causa fortasse factum fuit, vt supra diximus, vt Gal. hos interdum vocarit morbos, interdum causas illos efficientes, quemadmodum cum lapidem, germen, ascarides, sextum digitum, & id genus alia morbos vocarit, id potius quod erat ex usu quàm rei veritatem secutus. morbus itaque cum in qualibet dispositione in hac arte locum habere debeat, eodem modo & virtus erit in qualibet dispositione contemplanda vt supra diximus, quàmuis interdum prætermitti omnino, ac silentio præteriri possit, quasi prorsus ex vtiliter cōsiderandis non sit, ut uoluit Gal. 9. Meth. 7. quare virtus & morbus perpetuò vt adsint in corpore ægrotante necesse est, quàmuis interdum huius vel illius vsus negligatur.

Causa verò non est necesse, vt semper adsit; sed vbi morbum introduxit, si adhuc in corpore manet, & ipsum conseruet, aut augeat, ad inuentionem auxiliorum plurimum confert: & quod de indicantibus per se dictum est, idem uelim intelligas de ijs quæ illa designant, & circunscribunt.

De Indicantibus, coindicantibus contraindicantibus, permittentibus, ac prohibentibus quid ſentiendum. Cap. XI.

CVm itaque cognouimus morbum,& virtutem, & quæ illa contrahunt in qualibet diſpoſitione Methodo medendi ſubiecta ſemper locũ habere, cauſam verò aliquando: tunc videndum erit, quæ propriè indicent, quæ coindicent, aut conſentiant; quæ permittant, quæ diſſideant, repugnent, ac prohibeant, quæ correpugnent, aut contraindicent, id quod ut unuſquiſque facilè intelligat, videamus quid Galenus ex mente nonnullorum intellexerit per coindicãtia, & alia quæcunque propoſita fauere; nam etſi antea ex mente Galeni diximus negligendam eſſe hãc à recentioribus obſeruatam circa hæc minutam loquendi curioſitatem, quam qui exercent exquiſitam diligentiam appellare conſueuerunt; nihilominus ne quis Galeno, aut alijs, qui huiuſmodi nominibus vtuntur uitio vertat, aut de improprietate loquendi damnet, ac ſi graue peccatum commiſerint, ob id nõ ab re fore exiſtimaui, ſi cum Galeno oſtenderẽ hæc nomina, ſine graui dedecore à medicis nõ adeò religioſis uſurpari poſſe, Quod ut probari poſſit, illud nobis ſtatuendum eſt, quod antea ex Galeni ſententia probauimus, omnia quæ ad auxiliorum inuentionem cõducunt quodammodo indicantia nominari poſſe, ex quibus alia per ſe, & propriè ad auxiliorum inuẽtionẽ conferunt; alia per accidens & interuentu alterius, cuiuſmodi ſunt omnia illa, quæ ducunt medicum in cognitionem affectus ſpecifici, & appropriati, quemadmodũ nobis ſignificaſſe uidetur Gal.9.Meth.7. & 4. Meth.3. qua ratione fit, vt multa indicare dicantur, quæ tamẽ reuera non indicant; id quod etſi Gal. intelligeret non recuſauit tamen ea omnia inter indicantia numerare, eo quia videbat illorum contemplationem ad auxiliorum inuentionem plurimum prodeſſe poſſe. Cùm itaque plura ſint, quæ indicare poſſunt, ſi quando acciderit, vt plura idem indicent, non ne conſentaneum erit, ut dicamus illa omnia ſimul indicare, & hoc modo coindicare? quod ſi quando indicantia illa inter ſe diſſideant, vt ſæpè fieri ſolet, non ne aliquãdo ita inter ſe pugnant, ac diſſident, vt alterum ita prohibeat, quod ab altero indicatur, ut cogat medicum ad id faciendum, quod à ſeipſo indicatur, hoc nonne prohibens commodè nominabitur? At non datur prohibens, quin & permittens inducatur, quòd ſi datur permittens, & prohibens, ergo & conſentiens, ac diſſentiens, & ſic correpugnans, & contraindicans.

Quoniam uerò indicantium naturam ſuperius declarauimus, ſupereſt, vt videamus qua ratione fit, ut quæ indicant, coindicantia nominari poſſint id quod aſſequi non erit difficile ſi dicamus ea omnia coindicantia vocari debere, quæ ſimul ad unius, & eiuſdem auxilij inuentionem conducunt, quod ſignificauit nobis Gal.13.Meth.16.vbi dicebat coindicantia verò virtutem, naturam, ætatem, anni tempus, regionem, conſuetudinem, & ſi qua ſunt id genus alia: quare conſtat nõ ea tantum coindicantia nominari debere, quæ indicans propriè dictum apta nata ſunt coarctare, ac definire, quemadmodum quidam exiſtimarunt, quoniam ſi hoc eſſet verum, cum uirtus unum ſit ex illis, quæ propriè indicant, inter coindicantia nõ enumeraretur; cum

tamen

tamen iure optimo numeretur à Galeno. ſiquidem ſi virtus ſecundum ſolida & carnosũ genus, tum quantitate, tum qualitate patiatur, ut in quibuſdam febribus ex liquatione contingere ſolet, tũc virtus alimoniam ſolidiorem, & frigidiorem deſiderabit, temperatura quoque ſi fuerit frigida, ætas ſenilis, tempus anni calidum, regio calida, & cibis frigidis uti conſueuit, tunc hæc omnia unà cum uirtute ad eiuſdem auxilii inuentionem plurimum cõferre poſſe uidebuntur, & ſic omnia hæc & alia id genus idem auxilium coindicabunt, virtus tamen ita coindicabit, ut per ſe idem indicare poſſit, quod de aliis nequaquàm eſt dicendũ, cum indicantia propriè nullo modo dici debeant.

Cæterùm hec eadem conſentientia, & in unam auxilii inuentionem cõſpirantia dici poſſunt, ad quæ interdum referuntur quoque illa, quæ per ſe indicantia dicuntur, ut exempli gratia, febris tertiana cum ſit intemperies calida, & ſicca totius corporis, à materia bilioſa producta, merito febris oritur indicatio refrigerandi, & humectandi, cauſa cõſentit, cum bilis ſit materia calida, & ſicca, puerilis ætas, feminilis ſexus, uſus frigidæ, atque id genus alia quoque conſentire uidentur, & ad idem auxilium inueniendum plurimum conferre; quare ne multiplicentur nomina ſine neceſsitate, aut ſine utilitate, non eſt, ut coindicantia à conſentientibus diſtinguamus, quàmuis non me lateat nonnullos eſſe, qui cõſentientia illa tantum appellant, quæ cum propriè & per ſe indicent, per accidens quoque illa dicuntur indicare, quæ ab altero indicantur, ut in propoſito exemplo de febre tertiana dictum eſt. Verùm cum haud à nominibus, ſed à rebus ſcientia comparetur, ob id nominibus neglectis ſcientiæ incumbemus, ne malos medicos imitari videamur, qui circa nomina totam ſuam conterunt vitam minimè de rebus ſoliciti.

Permittẽs uerò illud dicimus, quod ita diſſentit, vt ab altero grauiori, ac uehementiori indicãte uincatur, ut ex. g. ſiquis parum firmamenti ac uiriũ habens ex alto deciderit, cuius ictus cauſa ſanguis in corpore ad locũ læſum moueatur, ſanguis iam ſui motu peccãs ſui reuulſionem, uel deriuationem indicat, id quod cum tutò fieri non poſsit, niſi per eiuſdem ſanguinis euacuationem, quæ per uenæ ſectionem fieri debet, uirtus eſt conſulenda, at uirtus debilis diſſentit, quando ſui cuſtodiam deſiderat; uerùm cum non ſit adeò debilis, ut prohibeat ſanguinis miſſionem, & grauiſsimum ſit ſanguinis peccatum ita ut ad ſe trahat curationem, hinc fit ut uirtus dicatur permittere ſanguinis uacuationem, quid ſi hoc conſentire dicamus, quando hiſce duobus diſsidens, & prohibens opponantur?

Quare prohibens illud eſſe dicitur, quod diſſentit ab altero, & ipſi repugnat, ut oſtendat id, quod à ſeipſo indicatur, eſſe præferẽdum, ueluti ſi ſanguis peccaret copia, uirtute exiſtente admodũ debili; ſanguis ſui euacuationem deſideraret; at uirtus imbecillis ita diffidet, repugnat, ac prohibet, ut medicus coactus ſit ad replendum potius quàm euacuandum, hæc autem interdum contraindicantia nominantur.

At correpugnantia ea omnia eſſe dicuntur, quæ ſimul repugnant, diſsident, ac prohibent.

Quod uerò scribit Altimarus cap.24.de medēdis febribus cum ait, quæ prohibent,& impediunt id fieri, quod ab indicante suggeritur contraindicantia nullo modo nominari posset, quoniam hoc modo ægroti timiditas, pater,& dominus & alia id genus cum prohibeant id fieri,quod ab indicāte suggeritur contraindicantia nominari possent,ab hac sententia nos auocare nō debet,quoniā vir Clarifs. non animaduertit prohibens illud nō appellari quod simpliciter prohibet; sed quod ita prohibet, ut cogat medicū ad illud agendum,quod ab ipso indicatur, quod de patre,aut domino non est dicendum; semper enim uerba debent intelligi pro subiecta materia.

Non sum tamen nescius contraindicare interdum apud Galenum esse in usu pro eo quod est permittere, ut manifestè patet primo de ratione uictus 44. ubi animaduertit uirtutem interdum considerari tanquàm contraindicantem,nō autem prohibentem : quòd paulo inferius magis declarat, cum inquit si uerò uirtus ualida fuerit non reclamat, quòd si fuerit imbecilla uacuationem ipsam inhibet, quare cōtrario modo indicare, est idem quod indicare per accidens, non reclamare, seu permittere, idem significauit in lib.de curandi ratione per uenæ sectionē cap.13. ubi dicebat uirium robur cum magnitudine morbi phlebotomiam indicare, illā quidem ut indicās, hanc uerò tāquàm nō prohibēs,quod iuniores medici cōtraindicare uocāt.

Verum ne nos de nominibus cōtendere uideamur decreta Galeni secuti 1.Meth.5.rerum non autem nominū differentias contemplabimur,& quoniā ostendimus tria esse indicantia,neque plura,neque pauciora esse posse, & unicuique nomen accōmodatū imposuimus,ut unum curatorium,alterū uitale,tertium præseruatorium uocaremus; quod reliquū erit absoluemus, nec ullum nomen immutabimus, nec transferemus : quod præceptū Galenus seruare non potuit,quoniā sibi res erat cum Thessalo ac Themissone,& horum æmulis,nec non cum illis, qui se Methodicos appellabāt, cum quibus ne de nominibus contenderet,nō ueritus est,interdum illorum uti nominibus non ignatus quàm impropriè loqueretur.

Cum itaque tria tantum sint indicantia propriè dicta nempè causa,morbus,& uirtus,hæc eadem si conferentur inter se quandoque permittentia, quandoque prohibentia nominabimus, reliqua uerò quæcūque ad inuentionem auxiliorum conferre possunt notæ, ac signa indicantium cum Galeno dicentur,quemadmodum inferiùs demonstrabimus, & ex his quæ superius dicta sunt satis constare potest.

Inter illa tria indicantia, quod sit dignius, & cum dissideant cui magis attendendum. Cap. XII.

NVnc superest ut uideamus inter illa tria indicantia,quæ magis quę minus ualeant,cum in quolibet ægrotāte perpetuo uirtus,& morbus, interdum & causæ examinari debeāt. Virtutem dicebat Gal.9 Meth.13.cæteris paribus omnibus indicantibus esse præferendam, quoniam inter indicantia illud omnibus dignitate præferendum est, uirtute cuius illud consequimur,quod aptum natum est conseruare id quod in animantis corpore

primum

primum locum obtinet: At uires illud indicant, quod aptum natum est hoc unum conseruare, uires itaq; omnibus indicantibus dignitate sunt præferendę. Maior est manifesta, probatur minor, quoniam est prius in animantis corpore vita; sed uires illud indicant, quod uitam custodit, illud itaq; indicat, quod conseruat id quod in animantis corpore primum locum obtinet. Maior probatur, quoniam illud est prius in corpore sine quo sani esse non possumus. At sine uita sani esse nō possumus. Ergo uita ipsa nihil prius est in corpore animantis, quare iure optimo concludebat Gal. 9. meth. 13. ex his fieri, ut uirtus omnium prima sit custodienda.

A uirium indicatione proximam esse dicebat Gal. quæ ab affectib. quos curare proponimus, sumitur, & per affectus intelligit causam, & morbum, inter quæ causa est præferenda, quoniam nullus affectus perfectè sanari potest, manente ipsa, unde natus est, causa, quod significauit nobis Galen. 4. meth 4.

Cæteris itaq; paribus ordo dignitatis inter hæc indicantia is est, quē nunc proposuimus, ut scriptum reliquit Gal. nedum 9. meth. 13. uerum etiam 7. meth. 12.

Quòd si horum trium indicantium impar uirtus, & inęqualis fuerit, tūc non tantum numerus; sed cuiuslibet virtus est potissimum æstimanda, vt monuit Gal. 8. meth. ultimo quo loco acri opus est iudicio, & prudentia non vulgari, quoniam ordo, quem proposuimus non est perpetuo seruandus, vt primo uirtuti, deinde causæ postremò morbo consulendum sit: quoniam fieri potest, ut uirtus sit robusta, & morbus sit vehemens, vt coactus sit medicus, uirtute quasi neglecta uni morbo subuenire; interdum verò causa ita urgeat, vt huic uni sit incumbendum ea tamen lege, & conditione ut reliqua non omnino negligas, aut derelinquas, hanc ueritatem docuit Gal. 9. meth. 7. & 10. meth. 1. qua in re illud quoque animaduertendum est, si numerum spectemus, & magnitudo, seu uis, ac natura omnium sit par, & ęqualis illud erit agendum, quod a pluribus potius, quàm quod à paucioribus indicabitur, vt ex. g. cum in febre putrida tres primi scopi agē dorum indicationem prębeant nempè febris, illius causa mediata, virtus ipsa naturalis, si febris, & causa mediata idem auxilium indicabunt, nec uirtus sit admodum imbecillis, illud promptè fieri debet: quod si uis indicantium non fuerit par, & æqualis, ei quod magis urget, succurrendum est, ita tamen, vt reliqua si res ipsa desiderabit, non omnino negligas:

De indicantis grauitate, ac vehementia, & quotuplex esse dicatur. Cap. XIII.

AT quæ nam sint illa, quę magis, quæue minus sint æstimanda, & à quibus ægrotanti maius minusue discrimen impendere videatur non prius licet intelligas quàm cognoueris quotuplex sit vis, ac natura indicantium, quando iam antè definitum sit in quonam posita sit natura cuiuslibet indicantis.

Naturam hāc quadruplicem statuere debemus genericā, subalternā, specificam

cificam,& appropriatam,seu particularem, vt suprà quoque ex Galeni sen-tentia declarauimus: sed quoniam diximus naturam illam genericam ne-dum artificio carere,verumetiam inutilem esse,ob id à præsenti speculatio ne omnino est reijcienda; quare superest, vt vim, ac naturam, seu potestatē solum indicantis, tum subalterni, tum specifici, tum appropriati contem-plemur: quę uis, ac natura nūc magis, nunc minus grauis,& vehemens dici tur pro dignitate indicantis,pro ratione illius propriæ substantiæ, seu pro recessu à naturali statu;pro sui praua qualitate,nec non pro actionis,& par-tis præstantia, & pro læsione facultatis corpus nostrum gubernantis. Hæc quinque magnitudinis indicantium genera proposuit Gal. quæ omnia, vt vnusquisq; intelligat, is prius uelim animaduertat indicantia uel per se, vel per accidens,& alterius interuentu maiora, vel minora,seu uehemētio ra, uel remissiora nominari posse, per se quidē maiora,& grauiora sunt vir-tus debilis,febris,humores quouis modo peccātes,& affectus maligni, seu mali moris: & quodlibet aliud indicans,quod vel dignitate,vel propriâ spe cie,seu recessu à naturali statu,uel praua sui qualitate magnum, & vehemēs dici,nominarive potest: per aliud uerò indicans magnum dicitur, quod uel ex læsione actionis præstantis, uel præcipuę partis,uel facultatis corpus no-strum gubernantis magnitudinem illam comparauit,nihil enim refert,siue magnum,siue uehemens indicans esse dicatur, ut monuit Gal. 1. de cris.3. 3.de cris.4.& 1.aph.12.

Indicantis vehementia, seu magnitudo ex dignitate quid. Cap. XIIII.

CVm itaq; tot modis indicans magnum dici possit,uidendum est, quid voluerit Gal.per magnitudinem indicantis ex dignitate, seu faculta-te, quando Gal.in hac re parum firmus,& constans esse uideatur,siquidem 8.meth.9.aliud,aliud 3. de sanit.tuen.9.sentire uideatur,& aliud 13.meth. 3. octauo namque methodi uidetur uelle magnitudinem hanc ab essentia subalterna indicantis mutuari perpetuo debere; etenim cū Gal. ibi duplicē indicantis magnitudinē proposuerit,alteram ex dignitate, alterā ex proprjs substantijs, & utranq; exemplo à febre ducto illustrare uellet,sic ait,si febris iuncta fuerit cum ætate, temperamento,consuetudine,regione,anni tempo re,& cęli statu, quæ non frigidum & humidum vt febris,sed calefacientem, & exsiccantē uictum indicent,tunc pugna oritur inter indicantia: quo loco tum numerū, tum magnitudinem indicātium simul conferas, oportet,quo niam indicatio,quæ à febri sumitur inquit Gal.&si numero sit inferior;ma-gnitudine tamen,quæ ex dignitate,aut potestate, aut quocunque modo ap pellasse libet,spectatur, utiq; superior est, potissimum si longè à natura re-cesserit;quoniam tunc duplex magnitudo illi accedit, & quæ ex febris ge-nere prouenit,quæ omnibus communis est, & quæ propria suaq; ipsius est, ut per magnitudinē quę ex febris genere hoc est specie subalterna prouenit magnitudinem ex dignitate significet, cum altera magnitudinem ex pro-prijs substantijs exprimere uideatur. Idem tamen Galen.3.de sanit. tuen 9.

dum

dum proponit hanc eandem duplicem magnitudinē quæ oritur ex dignitate, non uidetur ex genere ſubalterno, ſed ex propria ſpecie depromere, cum inquit laſsitudinem, quæ phlegmonis ſenſum præſefert dignitate, & viribus, maiorē eſſe quàm excrementoſam; at laſsitudo, quæ ſenſum phlegmonis præſefert, & laſsitudo excremētoſa non ſunt genera ſubalterna, quæ proximè generi maximè communi, vtpotè motui immodico ſubijciantur, cùm genus ſubalternum ſit laſsitudo, cuius ſpecies ſunt laſsitudo illa, quæ ſenſum præbet phlegmonis, & ulceroſa, & quæcunque ſunt huius generis: non eſt itaque ut dicamus magnitudinem indicantis ex dignitate à ſolo genere ſubalterno mutuari debere, niſi fortaſſe uelimus per genus ſubalternum illud tantummodo eſſe audiendum, quod proximè generi ſubijcitur illi, à quo nulla ſumitur vtilis indicatio, quia tunc uerum eſt ex genere ſubalterno indicantis magnitudinem ex dignitate ducendam eſſe, non tamen uelim ut ex his quiſpiam hoc modo argumētetur ex genere utili ſubalterno metitur magnitudo indicantis ex dignitate, ergo quia indicans eſt genus ſubalternum utile, ideo uehemens eſt ex dignitate, quoniam non ob eam cauſam dignum dicitur quia ſit genus ſubalternnm utile; ſed accidit, vt cum indicans dignum ſit, ſit quoque genus ſubalternum utile; quare dignitas hæc aliunde uidetur petenda; atque ne latū quidem unguem à Galeni doctrina recedere uideamur, ſtatuimus nos dignitatem cuiuslibetq; indicantis in arte curatiua prodire, uel ex cuſtodia rerum ſecundum naturā, vel ex læſione cauſarum illarum, quæ à natura ad quamlibet operationem obeundam comparatæ ſunt. Quod ſignificauit nobis Gal. x1. Meth. 3. cùm diceret indicātium dignitatem, uel uitæ, uel ſanitatis reſpectu indicari debere, ut indicantia omnia, uel ſint uitalia, uel ſanatiua: ac uitalia cæteris digniora eſſe dicuntur, quia uita cæteris omnibus eſt præferenda; ſanatiua uerò hoc eſt curatoria, & præſeruatoria minus digna iudicari debent; quoniam ſanitas propter uitam expetenda: uita namque cuſtoditur ſanitatem tuendo, & morbos depellendo, ut ſcribit Gal. 9. Meth. 10. quare non immeritò dicebat 9. Meth. 13. uita ipſa nihil prius in animantis corpore, nec ſanum quempiam abſque uita eſſe poſſe, & propterea primam indicationem hoc eſt digniorem à uirtute mutuari oportere.

Cum itaque indicans uitale ſanatiuo ſit dignius, vt ſuperiùs quoque probauimus, & ſanatiua alia ſint curatoria, alia præſeruatoria, proculdubio curatoria, ut diximus, ſunt digniora quàm præſeruatoria, & ſic morbi quàm cauſæ: & ratio eſt hæc quoniam morbi lædunt partis cōſtitutionem hoc eſt inſtrumenta interna, quibus facultas utitur ad operandum: cauſa uerò exteriora; ſed ſicut conſtitutio partis meritò cuius operatio perficitur dignior eſt quàm exteriora, ita morbi quàm cauſæ; rurſus inter morbos digniores ſunt illi, qui nobiliorem conſtitutionis partem offendunt; minus digni, qui partem minus dignam. Verum cum conſtitutionis tres ſint partes, ſeu differentiæ nempè temperies. Vnitas, & compoſitio; & inter has nobilior ſit temperatura eò quia eſt cauſa præcipua cuiuſcunque operationis, ut in præludijs anat. diximus; deinde unitas cum ſit inſtrumentum ad operationem partium tum ſimilarium, tum diſſimilarium magis neceſſarium, quàm

compo-

compoſitio, quando hæc per ſe ad operationem vtriuſque partis conducat: compoſitio verò ad actiones partium ſimilariũ per accidens, ad inſtrumentalium verò per ſe tantum conferre videatur; ita quoque inter morbos intemperies dignitate primum locum obtinebit, ſecundum ſoluta unitas: tertium mala compoſitio, & inter morbos compoſitionis dignior erit ille, qui actionibus inſtrumentorum maius detrimentum, & incommodum afferre poterit, cum & illud inſtrumentum, cuius erit morbus, ſit ad actiones ipſas naturales obeuundas vtilius & nobilius, & hoc eſt quod uoluit Galenus 8. Meth. 9. vbi comparando febrem cum ætate, temperatura, conſuetudine, regione, anni tempore, cęli ſtatu, & alijs id genus dicebat febrem reliquis omnibus indicantibus eſſe dignitate, ſeu facultate præferendam, quia cum ſit intemperies calida, & ſicca, uim habet maiorem lædendi præcipuũ operationis inſtrumentum, quàm reliqua indicãtia, cum intemperies id per ſe, reliqua uerò per accidens præſtare dicantur, potiſſimum ſi adiunctam habeat magnitudinem quæ ſumitur ex proprijs ſubſtantijs. idem quoque dicendum eſt de laſsitudine, quæ ſenſum phlegmonis præfert, quoniam hoc genus laſsitudinis magis lædit temperiem naturalem, quàm laſsitudo ulceroſa, & propterea dignitate præferenda: veritatem hanc ſignificare videtur Gal. 7. Meth. 12. vbi exemplo ab affectu mixto ſumpto oſtendit quid ante quod, quid cum quo, & quid poſt quod ſanari poteſt: fingatur inquit Gal. in ventriculum ex cerebro defluere humorem frigidum, & illius cauſa in uentriculo intemperiem excitatam fuiſſe, & adhuc ſuccum iam illum uitioſum per totum corpus diffuſum ſimilarium partium inania occupaſſe, ſi quæratur ex his tribus complicatis quodnam ſit dignitate maius; reſpõdet Gal. dignitate maiorem eſſe intemperiem, propterea quod & ipſa temperies: quibus verbis quid aliud ſignificare uoluit quàm dignitatẽ affectus præter naturam metiendam eſſe ex læſione potioris inſtrumenti; quare ſi dignitatem affectus præter naturam ſpectemus dignitate maior erit intemperies; deinde ſoluta unitas, poſtea compoſitio præter naturam, poſtremo cauſa morboſa; ſiquidem ſymptoma non dicitur indicans niſi ea ratione, qua ſubit uim cauſæ.

Perſpecta indicantium dignitate ſtatim cognoſcitur quænam ſit magnitudo ex dignitate, cum unumquodque indicans meritò dignitatis, neque maius, neque minus dici poſſit, niſi facta cum altero indicãte comparatione, vt ex. g. febris meritò dignitatis, neque intenſior, neque remiſsior eſt dicenda, quoniam cum febris dicatur dignitate magna, quia eſt intemperies calida & ſicca, capiatur quælibet febris ſemper erit intemperies calida, & ſicca, quare meritò dignitatis febris hæc non erit maior quàm illa, neque eadem hoc tempore quàm alio.

Quòd ſi quiſpiam dicat non ne intenſior eſt febris tertiana quàm diaria, & ardens quàm tertiana? cui dubium. ſed hoc non accidit merito dignitatis, ſed virtute magnitudinis, quæ oritur ex propria ſpecie, de qua mox dicetur.

De magnitudine Indicantis ex propriis ſubſtantiis. Cap. XV.

HÆc autem cum ita ſe habeant,ad remedia validiora, vel remiſſiora indaganda hęc ſola magnitudo non erit ſpectanda,ſed neceſſariũ erit, vt confugiamus ad magnitudinem,quæ oritur ex proprijs ſubſtantijs, quã proponit Gal.8.illo meth.9.11.meth.3.3.de ſanit.tuen.9.& 7.meth.12.quãuis ſub diuerſis nominibus ac notionibus eam nobis ſignificarit.

Verum vt vnuſquiſq; intelligat quid uoluerit Gal. per magnitudinẽ ex proprijs ſubſtantijs,prius uidẽdum eſt quid per proprias ſubſtantias audiendũ ſit,& quoniam non poſſumus cognoſcere quid per proprias ſubſtantias intelligat,niſi prius cognoſcamus quid per ſubſtantias,ob id in memoriam illud reuocandum eſt,quod ſuprà diximus nẽpè indicantis naturam non unicam eſſe;ſẽd multiplicem, ſiquidem alia eſt generica, alia ſubalterna, alia ſpecifica non appropriata,alia ſpecifica,ſed appropriata,& particularis,hæ omnes dicuntur naturæ,ſeu eſſentiæ,ſeu ſubſtantiæ indicantis; quare conſtat quid per ſubſtantias audiendum ſit, id autem huiusmodi exemplo illuſtrari poteſt;Capiatur febris,hęc quadruplicem habet naturam, ſeu ſubſtantiam, quoniam ſi conſideratur,ut morbus eſt,naturam habet genericam, ſi ut intemperies calida & ſicca naturam habet genericam quidem, & communem, ſed ſubalternam, ſi ut eſt tertiana naturam habet ſpecificam non tamen appropriatam ni fortè tertianam conſtituamus genus ſubalternum cuius ſpecies ſint tertiana exquiſita, & notha, ſimplex, duplex intermittens,& continua, quoniam tunc plures naturas, ſeu ſubſtantias ſtatuere licebit: poſtremò ſi conſideretur,ut eſt in ſene frigidis aſſueto, cuius temperamentum ſit frigidum & ſiccum, in aere, regione, & cœli ſtatu frigidiori, tunc naturam, ſeu ſubſtantiam habebit ſpecificam quidem, ſed appropriatam, & particularem: quibus ſic propoſitis, & iactis fundamentis, prætermiſſa natura illa generica, & nimis communi tanquam inutili, tres illæ, quæ ſuperſunt ſic habent, ut una dicatur communis, & eſt illa, quæ dicitur ſubalterna, & utilis,in qua ſpectatur dignitas indicantis, reliquæ dicuntur propriæ ſubſtantiæ ad differentiam illius, quę dicitur communis, ſed utilis; quare magnitudo indicantis quæ in his poſtremis naturis, ſeu ſubſtantijs obſeruatur,dicitur magnitudo ex proprijs ſubſtantijs, ut notauit Galen.8.meth. vltimo. Ex his tamen interdum altera ab altera,uel ab alijs diſtinguitur, & quæ ſpecifica quidem dicitur, & appropriata eſt illa, quæ præbet receſſum a naturali ſtatu,reliquæ uerò nomine propriæ ſubſtantiæ vocantur a Gal.11.meth.3. interdum tamen has omnes expreſſit Galenus nomine propriæ eſſentiæ, ut 7. meth. 12. & 3. de tuen. valet.9.interdum uerò nomine proprię ſpeciei, ac ideæ, ut primo de criſ. 3. & 3.de criſ.4.ubi docet quomodo cuiuslibet indicantis propria ſpecies, & idea ſit deſcribenda.

His explicatis non eſt difficile iudicare quid uoluerit Galen. per magnitudinem ex propria ſubſtantia, & ex declinatione à naturali ſtatu. Hæc autem magnitudo eſt illa, quę in unoquoque indicante conſiderari debet,

ui

vi cuius indicans siue per se consideretur, siue cum alio compararetur interdum maius interdum minus nominari debet, & ob id remedium interdum validius, & magis generosum, interdum leuius, & debilius indicare solet.

Hæc itaque tria magnitudinis genera perpetuo in quolibet indicante sunt contemplanda, reliqua verò quæ supersunt sicut raro contingunt, ita quoque non in quolibet indicante spectari debent, ab his enim excluditur indicans vitale, quando neq; actionis, seu partis præstantis, & facultatis corpus nostrum gubernantis læsio, neq, praua qualitas affectus præter naturam ex læsione sola virtutis prodeat, alioquin sequeretur idem esse causa, & effectus, agens, & passum.

De Magnitudine Indicantis ex læsione uirtutis. Cap. VI.

CVm itaque reliqua tria magnitudinis genera in solis indicantibus sanatiuis reperiantur, quid per magnitudinẽ ex læsione partis, seu actionis præstantis, quid per magnitudinẽ ex læsione uirtutis intelligat Galenus ipsemet declarat 7.meth.12.exemplo satis accommodato, fingamus inquit à capite in uentriculum humorem præcipitari, & iam ob illius occasionem intemperiem fuisse contractam, addamus quoque succum, qui in tunicis ventris continetur sensum morsus facere, atque ex eo ipso animi defectum, & sudores quosdam cum syncoptica dissolutione succedere, chilificationẽq; perturbari, quis est ille, qui non uideat affectum, qui ad humorem pertinet, merito læsionis virtutis omnium maximum esse, nec non merito partis, seu actionis præstantis, cum ex uitio illius succi lædatur ventriculus, seu chilificatio, quæ actio adeò ad uitam tutandam est necessaria, vt propterea ventriculus instrumentum officiarium fuerit appellatum.

Magnitudo indicantis ex praua qualitate quid. Cap. XVII.

PRæter hæc magnitudinis genera diximus quoq; dari magnitudinem, quæ oritur ex praua qualitate, ui cuius affectus dicitur cacoethes, quã magnitudinem nonnulli magnitudinem ex resistentia nominarunt ducti fortasse authoritate Gal. 3. in primum de vulg. morb. 1. vbi dicebat morbũ cacoethem, illum appellari, qui cum rectè omnia fuerint administrata nihilo tamen fit mitior, cuius causa etiam factum est, ut ulcera illa cacoethe uocarit, quæ ad cicatricem ægrè ducuntur.

Verum si quis rem, ut decet, æstimabit, videbit Galenum non ob eã causam indicantia magna propter cacoethiam appellasse eo, quia ualde contumacia sint, & medicamentis maximè resistant, quoniam si hoc esset uerum sequeretur, vt, quæcunq; curatu sunt difficilia cacoethe quoq; dicerentur, sed hoc est contra Galeni doctrinam primo per genera 8. magna itaq; propter

pter cacoethiam indicantia ex resistentia non sunt metienda: quod verò hæc opinio Galeni doctrinæ aduersetur patet ex hoc, quoniam Galenus dum vlcera dysepulota ab his, quæ cacoethe sunt distingueret, dicebat cacoethe vlcera illa vocantur, quæ ex humorum confluxu, vel multo, vel acri oriuntur, ita tamen ut locus affectus iam prauam humorum dispositionem contraxerit, quòd si nondum contraxerit, illa non cacoethe, seu maligna & morosa; sed dysepulota idest uix ad cicatricem uenientia dicuntur. ex quibus satis constat resistentiam indicantis non efficere nobis magnitudinem ex cacoethia: sed potius esse signum, & proprietatem quandam huius magnitudinis, quæ tamen neq; uera est proprietas, quando solis malignis indicantibus non conueniat, multa enim sunt, quæ valdè resistũt, nec tamen meligna, aut morosa dicuntur: neque est quod quispiam dicat magnitudinem hanc solis morbis conuenire, qui causam coniunctam habent, ut quidam existimarunt ducti fortasse authoritate Galeni primo per genera. 8. ubi dicebat ulcera illa cacoethe uocari, quæ ex humorum conflu-xu, vel multo, vel acri oriuntur, quoniam si hoc esset uerum, sequeretur fieri non posse, vt affectus illi maligni dicerētur, qui causam adiunctam non haberent, cum tamen Gal. 4. per genera primo dicat vlcera cacoethe nominari, vel quia pars vlcerata ab humoribus prauis afficitur, uel quia boni qui fluunt humores ab ipsa parte mala qualitate affecta inficiuntur, & corrumpuntur, quare praua qualitas est causa, vt affectus cacoethes dicantur, non quia causam valdè lędentem adiunctam habeant: sequeretur & alterum incommodum, quoniam affectus cacoethes de solis indicātibus curatiuis diceretur, non autem de præseruatiuis, & sic malignitas non causis, sed solis morbis conueniret, quod tamen rationi repugnare uidetur, quoniam si morbi quidam maligni dicuntur, quia ob causas malignas naturā hanc consequuntur, nonne & ipsæ causæ malignæ dici debent, iuxta illud propter quod unumquodque tale. At probatum fuit superius ex Galeno ulcera quandoq; cacoethe uocari, quia pars vlcerata prauam dispositionem ab humoribus prauis contraxerit, ergo humores illi praui cacoethes iure nominari possunt, quando inter malignitatem, seu prauitatem, & morum malitiā apud medicos nullum sit discrimen.

Hęc autem magnitudo semper iuncta esse debet cum magnitudine, quæ ex propria specie innascitur, quamuis id raro contingat; non enim est necesse, vt si morbus sit magnus, vel ex dignitate, vel ex proprijs substantijs; vel ex læsione partis præstantis, vel facultatis statim sit malignus & cacoethes. quinque igitur statuenda sunt genera, magnitudinis indicantis inter se distincta. quorum vnum pertinet ad dignitatem, alterum ad proprias substantias, seu ad recessum a naturali statu, tertium ad læsionem facultatis corpus gubernantis, quartum ad præstantiam partis, quintum, & vltimum ad malum morem.

Du-

Dubitationes contra numerum quinarium magnitudinis indicantium, & illarum solutiones, Cap. XVIII.

VErum ne quis existimet nos gratis, ac temere hæc quinque magnitudinis genera protulisse, ob id contra opinionem hanc, & authoritatibus & rationibus argumentabimur, vt rei veritas magis elucescat.

Atque primo authoritate Gal. 4. meth. 6. & 7. meth. 12. probatur non quinque sed tria esse magnitudinis genera, si quidem in his locis dicebat Gal. magnitudinem affectus triplicem esse, vnam quæ ex læsæ actionis præstantia spectatur, alteram, quę ex propria affectus essentia; & tertiam præter has quæ ex facultate, quę læsum corpus gubernat, æstimatur: tria itaq; non quinque sunt magnitudinis genera.

Has authoritates acutissima quadam ratione ex fonte anatomico deprōpta doctissimi quidam viri confirmarunt; si quidem dixerunt omne quod est præter naturam ob eam causam vehemens appellari, quia vehementer agit in facultatem, hanc verò facultatem, vel resistere, vel cedere; quod si resistit tunc vehementer lædere dicunt id quod est præter naturam, vel absolutè, ac simpliciter, vel respectu actionis præstantis, si primo modo fieri vitium vehemens secundum essentiam hoc est secundum recessum à naturali statu; sin altero modo tunc fieri vitium vehemens propter dignitatem, quod genus subdiuidunt, quoniam in præstanti actione duo considerantur, vel præcipuum facultatis instrumentum, vel locus in quo fit actio; si primo modo capiatur dignitas, hanc ad intemperiem; sin secundo modo ad partem præstantem pertinere uolunt. Sin facultas cedit tertium genus oriri dicunt, quod uocat Gal. vehemens ratione facultatis læsum corpus gubernantis, & asserunt per facultatem Galenum intelligere nedum communē verumetiam determinatam: & sic probant tria tantum esse vehementia genera, quorum vnum dicitur uehemens ex dignitate; alterum ratione essentiæ, seu recessus à naturali statu; tertium propter facultatem læsum corpus gubernantem. Huic ternario numero pro uiribus contendunt ut omnes accommodent Galeni authoritates, in quibus loquitur de magnitudine affectus præter naturam; si quidem 1. de cris. 3. 4. meth. 6. & vbicunque Gal. proponit magnitudinem meritò cacoethiæ dicunt nobis significare magnitudinem propter facultatem læsum corpus gubernantem. Videntur quoq; discrimen agnoscere inter prauum, & malignum, necnon inter uehementiam malignitatis, & mali moris.

Quidam alij non tria, non quinq;, sed octo magnitudinis genera statuerunt, quoniam præter quinq; prædictas magnitudines, addiderunt quoq; aliud genus magnitudinis merito causæ coniunctæ; aliud ratione propriæ essentiæ, quam distinguunt à magnitudine ex recessu à naturali statu, postremum quod ex materia iuuanti æstimatur.

Vt verò posteriori opinioni prius satisfaciamus, breuiter dicendum est nos sermonem habere non de magnitudine morbi tantum, sed de magnitudine

tudine cuiuslibet indicantis, quemadmodum etiam Galenus locis superius citatis, & alibi locutus est; & propterea genus illud magnitudinis, quod sumitur à causa non est diuersum à magnitudine quæ sumitur à morbo; & alterum genus magnitudinis, quod ex propria essentia contingit non est genere diuersum ab eo quod oritur ex recessu à naturali statu; quod postremo capitur à materia remedii, quandoque refertur ad illud quod oritur ex recessu à naturali statu, quandoque ad genus illud magnitudinis, quod ex cacoethea proficiscitur: & quoniam res ipsa per se satis est manifesta ob id in his probandis non mihi uidetur tempus conterendum.

Ad aliam itaque opinionem me conuerto, quæ maiorem habet difficultatem, pro qua euertenda illud in primis cum Aristot. statuo tanquàm principium, & fundamentum omnium eorum, de quibus futura est disputatio de rebus dubiis, seu ambiguis, & æquiuocis nullam scientiam certam, ac definitam haberi posse, nisi prius omnis ambiguitas, & æquiuocatio detrahatur; atque id quod est æquiuocum in sua æquiuocata, & significata distinguatur; sed nomen hoc vehemens, siue magnnm, siue graue, siue potens (sunt enim multiuoca) est uox ambigua, ergo in sua significata est prius distinguenda quàm de illius natura disputetur. Quòd verò hæc uox uehemens sit æquiuoca ex eo apparet, quod nō est assignare causam, seu rationem communem, quæ per se omnibus uehementiæ significationibus conueniat. neque si dicas ob eam causam uehemens aliquid appellari; quia uehementer lædat facultatem; quoniam huiusmodi causa per se non prædicatur de eo quod est uehemens; quandoquidem si per se prædicaretur de uehementi, ergo per se prædicaretur de omnibus generibus, seu significatis ipsius uehementis, & sic uehemens ex dignitate merito partis præstantis (ut aiunt) diceretur uehemens, quia per se uehementer læderet; idem diceretur de eo quod est uehemens ratione facultatis; sed manifestum est hæc ob eam causam non dici uehementia quia per se; sed quia interuentu alterius lædant operationem: ergo dantur quædam genera uehementium de quibus per se ratio illa uehementis non prædicetur; quare sequitur ut uox illa uehemens, sit æquiuoca; uel ratio breuioribus terminis sic erigi potest. Ei quod est per se, & ei quod est per accidens non est reperiri unum genus commune uniuocum; sed inter indicantia alia per se, alia per accidens uehementia dicuntur; ergo non est assignare unum genus uniuocum, neque vnam rationem quæ per se de huiusmcdi genere prædicetur; Maior est Arist. Minor est manifesta: ergo uehemens nō est vox uniuoca, neque uehemens læsio est ratio formalis quæ per se de hoc genere prædicetur.

Cùm itaque hoc nomen uehemens sit genus æquiuocum, superest ut uideamus quot sint, ac esse debeant illius significata; atque ut rem paucis concludamus tot alicuius rei æquiuocæ significata, seu genera sunt statuenda, quot sunt illa, quæ cum nomine conueniant, diuersas tamen inter se definitiones secundum illud nomen habent; atque hoc ita est manifestum, vt non sit probandum; At uideamus

nunquid vehemens ex dignitate merito partis præſtantis, & vehemens ex dignitate merito inſtrumenti (ut aiunt) quemadmodum nomine conueniunt, ita etiam definitione ſecundum illud nomen conuenire valeant: patebit autem hoc ex eo, quoniam ſiquis interrogabit, quid eſt indicans uehemens ex dignitate merito partis preſtantis? reſpōdebimus eſſe illud, quod non dignitate ſui, ſed alterius vtpotè partis præſtantis vehementer lædit operationem; rurſus ſi quæratur quid eſt indicans uehemens ex dignitate merito inſtrumenti? licebit ne eandem afferre reſponſionem? Ego certè nō auderem hoc affirmare; ſed potius dicerem ſic reſponderi poſſe, ut ſit illud, quod ſola ſui dignitate dicitur uehementer lædere operationem; quare cū hæc duo genera eandem rationem non habeant, ut digna ſunt ſub uno genere communi uniuoco conuenire non poſſunt, & ſic vnum genus commune his utriſque non eſt ſtatuendum. Et fortaſſe hæc fuit cauſa propter quam Gal. alterum genus appellauit uehemens merito partis præſtantis; alterum uehemens ex dignitate, ut uitaret æquiuocationem non immemor caput ad effugiendam in rebus deceptionem eſſe, ſi definita locutione utare, vt ipſe monuit. 3. Meth. 10. quod uerò appellauit Gal. uehemēs ex dignitate, ſi cauſam proximam ſpectemus, dignitas illa potius deſumenda uidetur ab eſſentia indicantis quàm ab inſtrumento, vt ex. g. ſi quis quærat cur febris ſit morbus magnus ex dignitate, non ne reſpondebimus, quia eſt intemperies; at ſi cauſam primam, & indemonſtrabilem quæramus, reſpondebimus quia eſt vitium temperaturæ; etenim ſicut temperatura inter inſtrumenta facultatis eſt dignior; ſic uitium temperaturæ inter vitia aliorum inſtrumentorum dignius eſſe iudicabitur.

Hactenus itaque duo magnitudinis genera ſe obtulerunt, quorum alterum dicitur indicans vehemens merito partis præſtantis; alterum ex dignitate ratione eſſentiæ; Tertium genus quod vocarunt vehemens ratione eſſentiæ, nos uocauimus vehemens ratione propriæ eſſentiæ, ſiue receſſus à naturali ſtatu, plurimum namque differt eſſentia à propria eſſentia, atque ita differt, vt ſi duo inter ſe indicantia comparentur; alterum merito eſſentiæ altero uehementius erit, & hoc merito propriæ eſſentiæ ſuperabit illud, ut ex. g. ſi fuerit luxatio, uel fractura in crure cum intēperie calida, & quæ ratur quodnam ex his magis urgeat, non eſt dubium ad magnitudinem vtriuſque indicantis eſſe confugiendū; in utroque duo ex neceſſitate ſunt magnitudinis genera, quorum alterum ab eſſentia; alterum à propria eſſentia, ſeu à receſſu à naturali ſtatu deſumitur. Sit intemperies non admodum inſignis, ſed potius remiſſa fractura uerò inſignis; ſi eſſentiam intemperiei cum eſſentia fracturæ comparabis proculdubio intemperies dignitate uehementior erit quàm fractura, quando vitium temperaturæ ſit dignius uitio unitatis, quia temperatura eſt inſtrumentum facultatis nobilius, quàm unitas. At ſe comparabimus propriam eſſentiam intemperies cum propria eſſentia fracturæ; cum maior ſit receſſus à naturali ſtatu in fractura, quàm in intemperie ob id fractura non uirtute eſſentia, ſed uirtute propriæ eſſentiæ, & receſſus à naturali ſtatu uehementior erit quàm intemperies: uehementia itaque merito eſſentiæ & propriæ eſſentiæ, ſeu receſſus à naturali

ſtatu

ſtatu non poſſunt, nec debent ſub uno, & eodem genere contineri, alioquin idem ſecundum idem eſſet magis, & minus uehemens. hoc diſcrimen agnouit Gal.7. Meth. 12. quando dixit dari magnitudinem affectus, quæ oritur non ex eſſentia; ſed ex propria eſſentia, & 8. Meth.ult. ubi dicebat in febri duplicem eſſe magnitudinem, & quæ ex febris genere prouenit, & quæ propria ſuaque ipſius eſt. hactenus itaque tria ſeſe offerunt magnitudinis genere, ſeu ſignificata.

Quod verò dicunt vehemētiæ genus merito facultatis corpus gubernātis comprehendere quoque genus illud uehementię, quod appellamus nos cum Galeno uehemens merito cacoetheæ non uiderur undequaque rationi conſentaneum id quod ut ab vno quoque facilè intelligatur hoc unum tanquàm ueriſſimum eſt ſtatuendum Galenum genus illud uehementiæ propter facultatem cæteris uehementiæ generibus, addidiſſe tanquàm ab illis diſtinctum, & ita ſeparatum ut liceat obſeruare aliquod indicās, quod ſit uehemens ratione facultatis, nec tamen perpetuo ſequatur ad aliquod aliud uehementiæ genus; alioquin genus hoc uehementiæ propter facultatem ab alijs reipſa non diſtingueretur; & propter hanc cauſam non eſt credendum læſionem cuiuslibet facultatis genus hoc uehementiæ conſtituere, ſed facultatis communis tantum, cuius immineat periculum uitę; Hoc autem quod poſuimus à ſimili ſic probari poteſt. Sicut indicans uehemens merito partis pręſtantis ob eam cauſam dicitur uehemens, quia pars pręſtans per ſe lęditur, & uehemens ex dignitate, quia per ſe inſtrumentum dignius lęditur, ita quoque de reliquis eſt dicendum ergo uehemens ratione facultatis ita uocabitur, quia facultas per ſe patiatur. ſed in vlcere cacoethe in crure ex.g. exiſtente uirtus ſecundum propriam ſubſtantiam non patitur; ſed per accidens, ergo ulcus cacoethes non dicitur uehemens ratione facultatis, probatur minor, quoniam ſi ulcus ipſum non ſanatur id non accidit eo quia uirtus ſuapte natura ſit adeò debilis, uel per reſolutionem ſpirituum, uel contabeſcentiam partium, uel carnoſarum, uel ſolidarum, ut nō poſſit gubernare corpus, quoniam uidemus huiuſmodi patientes ſatis carnoſos, & boni habitus, & robuſtos quare etſi virtus per ſe, ſit ſatis robuſta, nihilominus per accidens debilis dicitur quia morbum, & qualitatem, ſeu diſpoſitionem illam ulceris prauam ſuperare non poteſt. Cùm itaque uirtus hęc non per ſe debilis, ſed per accidens dicatur ſine ſit, ut huiuſmodi vehementia ratione cacoetheæ à uehementia ratione facultatis, ſit ſeiungenda; quare non tria; ſed quinque magnitudinis genera, ſeu ſignificata erunt ſtatuenda.

Poſita itaque huius quinarii numeri neceſſitate, uidendum eſt quantum ueritati, & rationi conſona, ſit horum celeberrimorum uirorum diuiſio, ac diuiſionis ratio. Primum quidem ad id quod uolunt probādum, aſſumunt hanc, quam exiſtimant eſſe dignitatem. Omne quod eſt prçter naturam ob eam cauſam appellari uehemens, quia uehementer agit in facultatem; ſed iam probatum fuit ſuperius principium hoc ęquiuocum eſſe, & ob eā cauſam ad diuiſionem minus accommodatum, quando æquiuocata, ſeu ęquiuocorū ſignificata dinumeraatur potius quàm per diuiſionem inueniantur

ergo non uidetur principium accommodatum. Præterea non aptè dicimus quod est præter naturã agere in facultatẽ; cum facultas non sit principium patiendi, sed agendi, vt norunt philosophi, immò sequeretur idem agere in seipsum, cum detur aliquod uehemens merito facultatis, sed omittamus hæc.

Addunt deinde quod est præter naturã dum agit in facultatẽ inde necessariò fieri, vt facultas illa, uel resistat, uel cedat; hoc est ut uel affectũ superet, & vincat, vel ab eodem superetur; quid.n. aliud sibi velint verba illa resistere, & cedere non video, si resistit tunc aiunt duo magnitudinis genera suboriri; quorum alterum ex recessu à naturali statu, alterum ex dignitate, tum partis præstantis, tum instrumenti spectatur; quibus verbis unicuique constat non alia ratione vehemens appellari, nisi quia facultas resistit, alioquin quod vehemens est ratione facultatis non diceretur vehemens, quia facultas cedit: sed statuunt genus hoc uehemens appellari quia facultas cedit, ergo alia duo genera uehementia erunt dicẽda quia facultas resistit. sic enim est concludendum si diuisio illa ex facultate necessariò est petẽda. At si res ita se haberet sequeretur quemlibet affectum præter naturam esse vehementem, cum in quolibet affectu facultas, vel resistat, vel cedat.

Rursus si quod est præter naturã nõ potest dici uehemẽs ratione essentię, seu recessus à naturali statu nisi facultas resistat, vt uelle uidentur, ergo quilibet affectus præter naturã quãtũuis recedẽs à naturali statu semper erit salutaris, & periculo uacabit, quemadmodũ etiã qui uehemẽs dicitur ratione loci, seu partis præstantis, quãdo & in hoc affectu uehemẽti volũt vt facultas necessariò resistat. Ad hęc quàm rei ueritati cõsona sint, docti iudicabũt.

Quod ucrò dicunt si facultas cedit necessariò fieri uitium uehemens ratione facultatis, neque hoc absolutè uerum esse uidetur, quoniã si facultas ut supra diximus per accidens cedat non autẽ per se frangatur, & exoluatur uitiũ illud non dicitur vehemens ratione facultatis, sed uel merito proprię essentiæ, uel cacoethiæ, hoc autẽ sic probari potest, quoniam in cõplicatis affectibus ubi magnitudo indicantiũ est spectanda nõ alia ratione spectari debet quàm ut ei prius occurratur quod magis urget, ut sæpe monuit Gal. sed inter indicantia vehemẽtia nullum est, quod magis urgeat, quàm indicans uehemens ratione facultatis ex Gal. 7. Meth. 12. ergo ubicunque adest hoc uehementiæ genus, huic uni prius erit occurrendum: sed in plerisque affectibus, in quibus uirtus cedit per accidens, nõ uirtuti, sed affectui prius occurrit Galenus, vt in explicandis illius authoritatibus demonstrabimus, sequitur itaque ut affectus illi, in quibus uirtus cedit per accidens non sint appellandi uehementes ratione facultatis.

Cum itaque huiusmodi diuisio nõ sit omnino uera, neque necessaria, nõ est ut recedamus à proposita generum magnitudinis enumeratione. quare superest vt authoritatibus Galeni satisfaciamus, atque ostendamus opinioni nostræ nequaquàm repugnare.

Occurrit primo authoritas illa Gal. 4. Meth. 6. in qua uidetur uelle tria tãtũ esse magnitudinis genera; cũ ait nõ mõ ulcera, uerũ ẽt reliqua oĩa uitia grauia, & magna fieri uel ꝓpter afflictę partis præstãtiã, uel ꝓpter magnitudinẽ;

uel

vel propterea quod ſunt cacoethe; cui authoritati ſic ſatisfieri poſſe arbitror, ſi dicamus Galenum, & Hippocratem cum proponunt tria magnitudinis genera hæc non ita includere ut excludant alia; propoſuerunt namque primo loco magnitudiné ex præſtantia partis, ſecundo loco ex propria ſubſtantia, uel receſſu à naturali ſtatu (κατ' ἐξοχὴν Gal. hoc uehementiæ genus communi nomine ſolet appellari) tertio loco magnitudinem ratione mali moris, quoniam cum hęc ſint grauia, ut plurimum etiam ſolent contingere: ſubticuerunt magnitudinem ex dignitate, & facultate, quoniam alterũ genus non urget; alterũ non ita frequenter uſu uenire ſolet in ulceribus præſertim. At 3. Meth. 12. ſubticuit Gal. magnitudinem ratione cacoetheιæ, ac dignitatis, quoniam magnitudo ex dignitate inter ea, quæ per ſe indicant non urget, niſi cum altero magnitudinis genere coniungatur; & magnitudo ratione cacoetheιæ in exemplo, quod ibi proponit Gal. locum non habebat. 8. Meth. 9. duplicem dicebat eſſe magnitudinem alteram ex dignitate, alteram ex proprijs ſubſtantijs, propoſuit magnitudinem ex dignitate, quoniam facta comparatione cum his, quæ per accidẽs indicant cuiuſmodi eſt ætas, regio, cœli ſtatus, & anni tempus, plus poteſt ad indicãdum pręſertim ſi cum altera magnitudine quę oritur ex proprijs ſubſtãtiis cõiungatur, quam magnitudinem vbique proponit Galenus, quoniam nullus eſt affectus in quo non ſit conſideranda: reliqua magnitudinis genera ſubticuit, tanquàm ad ſermonem illum minimè neceſſaria, non enim omnia in omnibus.

Reliquæ authoritates, quæ ab his proponuntur atque id genus aliæ, vt rectè intelligantur, videndum eſt quid nobis per morem græcis ἦθος audiendum ſit, vt inde pateat quid per bonum morem τὸν εὐήθη græcis, quid per malum κακοήθη nuncupatum audire debeamus, ſignificat enim mos qualitatem quandam, ſeu proprietatem & in hominibus animi quandam propenſionem; & ſicut moribus omnes differunt inter ſe, vt ait Ariſt. in arte poetica per virtutem, & vitium, ſic indicantia ipſa in hac arte quàmuis ipſo genere omnia ſint mala, nihilominus ſi propriam cuiuſque differentiam ſpectemus merito bonorum, vel malorum accidentium, quæ ſubſequuntur, quædam praui, quædam boni moris dici merentur: etenim ſicut inter humores, melancolichus peſſimis moribus præditus dicitur eo quia maximè erodit, ægrè concoquitur, nec facilè expurgatur, & plurimam caliditatem indicat, vi cuius aſſatus genitus eſt: ſanguis verò æquiſſimus, reliqui duo medij ex Gal. in lib. de Conſt. art. 16. ſed morbi qui ab huiuſmodi humoribus prodeunt, boni, vel mali moris dici debent. quare indicantia quædam ſuapte natura ſemper ſunt mali moris, quædã perpetuo boni moris, quædam medio modo ſe habent; ſiquidem Cancri, Gangrænæ, Carbones, febres nonnullæ quartanæ, & ardentes, nec non quicunque alij morbi qui fiunt ab humore maligno, ſeu praui moris, ſemper maligni eſſe dicuntur, (non enim differunt inter ſe hæc duo nomina malignum & mos malus, cum unam & eandem vocem græcam nempe κακοήθες exprimant) inflammationes verò, & febres omnes quæ fiunt à ſanguine benignæ dici debent; quamuis interdũ accidat, vt quæ ſuapte natura benigna ſunt dũ uel propter

F 3 locum

locum, vel longitudinem, vel putredinem, vitium aliquod contrahunt, maligna dicantur. Quare ficut proprietates quædam & animi propenfiones mores adolefcentiæ, mediæ ætatis, & fenectutis exprimunt, fic proprietates quædam affectuum præter naturam mores illorum declarāt: & ficut in hominibus huiufmodi propenfiones, & proprietates fi malæ funt, quandoque ita confirmantur, vt in uitium commutentur, & habitus praui fiant; fic proprietates illæ in affectibus præter naturam quandoque ita confirmantur, & adaugentur, ut uitium quod prius mali moris dicebatur, nunc perniciofum & letale fit dicendum. quando proprietates illæ, quæ malum affectus præter naturam morem fignificant, adiunctum quidem periculum habeant, fpem tamen falutis non adimant, ut manifeftè docuit Gal. 1. in primum prorahet. 14. at proprietates illæ, quæ fpem omnem falutis adimunt affectum nō mali moris fi propriè loquamur, fed perniciofum reddunt ac letalē; interdum tamen Hipp. indicantia perniciofa, & letalia κακοήθη appellare confueuit, quemadmodum loco nuperrime citato notauit Gal. quare non quia facultas cedit affectus κακοήθης, feu mali moris dicitur; fed quia affectus κακοήθης eft ob id accidit ut facultas cedat, quod fignificaffe nobis vifus eft Gal. 1. prog. 9. cum diceret multo minus periculi fubeffe, fi vires ab aliqua caufa euidenti, vtpote immoderata uigilia, aut inedia, aut alui profluuio exoluantur, quàm à morbi malignitate: quare quod virtus cedat eft potius fignum affectus mali moris, quàm caufa, accidit tamen ut interdum affectus uehemens propter cacoetheam, fit quoque uehemens ratione facultatis, atque tunc cum ui ipfius morbi uirtutes uniuerfum corpus gubernātes exoluuntur, quandoque uerò ut fit uehemens tantùm merito cacoetheæ, atque tūc cum facultates illę communes non infirmantur, determinatę uerò proprio munere deftituuntur: etenim quàmuis per fe fatis robufta fint, quandoque tamen prę morbi fęuitia, & malignitate imbecilles effe ac cedere dicuntur.

Quibus fic pręmiffis authoritates Galeni nonnullę funt explicandę, atque ut exordiamur ab ea, quę proponitur in primo de crif. 3. dicendum eft Galenum ibi proponere magnitudinem, & morem acceffionis tanquàm figna, quę inter alia incrementum morbi demonftrare poffunt: quoniam fi acceffiones pręfentes fuerint grauiores, & maligniores quàm pręcedentes non eft dubitandum inquit Gal. quin morbus augeatur: duplicem itaque proponit magnitudinem, alteram, quę nomine totius per excellentiam magnitudo appellatur, & eft illa, quę ex propria morbi effentia, feu ex receffu à naturali ftatu ęftimatur; hanc autem dicebat Gal. nos non prius cognofcere poffe quàm ideam morbi cognouerimus, qua ex propriis accidentibus cognita eorundem accidentium quantitas facilè ęftimabitur; alteram proponit, quę dicitur magnitudo propter cacoetheam quam dicebat Gal. ibidem & clarius 3. de cris. 4. fpectari ex accidentibus fuperuenietibus, & mox apparentibus, ut ex. g. in morbo laterali quandoque obferuatur magnitudo nedum receffus à naturali ftatu, uerum etiam merito cacoethęę, ueluti cum nihil educitur cum tuffi, uel quod educitur fit paucum, crudum, & prauum, & ob id periculum indicans paffioni ęquale: at ubi eft cruditas, & longitudo cum periculo ibi eft malignitas, ut monuit Gal. 1. de crif. 11. hic enim cū

de

de uario excremento loqueretur dicebat uarium excrementum nobis indicare corpus uariis affectibus detineri, & propterea diuturnum, & malignũ esse, eo quia multi, & uarii affectus ad coctionem longiori indigent tempore, periculumque afferunt passioni, seu multitudini affectuum ęquale. Ex propriis itaque accidentibus, quæ cum affectu inuadunt, magnitudo ex recessu à naturali statu supputatur. Ex iis uerò quę superueniunt, & mox apparent magnitudo ex cacoethea ponderatur.

Primo uerò ad Glauconem 14. non est dubitandum quin proponat magnitudinem propter facultatem, sed communem non determinatam, cum dicat, animi defectus, ac uirium dissolutionem fieri in cholęris, in profluuio uentris, in difficultatibus, ac lęuitatibus intestinorum, in muliebri fluxu, in uulneribus, & sanguine per hemorroidas emanante, aut per superiora educto, & quę sequuntur: hos enim affectus omnes licet appellare uehementes propter facultatem, quando accidit ut horum ui concidantur uires, & patientes animo deficiant.

Quod uerò dixerit Gal. 3. in 3. de uulg. morb. 9. sacrum ignem interdum malignum fieri, ubi ab humore bilioso, qui erodit, ac putrefacit inducitur, non uideo quomodo concludendum sit Galenum uelle sacrum ignem malignum morbum, magnum, & uehementem appellari propter læsionem facultatis determinatę, quando facultas in huiusmodi affectu potest esse robusta, uis tamen morbi adeò insignis est, ut ab ea superari non possit; quare uehemens hic affectus dicitur propter cacoetheam, & prauam succi qualitatem in parte iam infixam, & impressam.

Neque in 35. particula eiusdem commentarii ardentes febres malignas uocauit propter lęsionem facultatis, sed propter qualitatem illam humoris biliosi colliquatiuam; quare febres illę ardentes pluribus modis uehementes appellari possunt, siquidem & propter dignitatem merito essentię, & propter recessum à naturali statu merito propriæ essentię, quę ex quantitate propriorum accidentium ęstimatur, & propter cacoetheam eo quia fiāt à causa maligna, quę ex superuenientibus, & mox apparentibus accidentibus dimetitur; interdum etiam propter uirtutis læsionem, si accidat ut uirtutes corpus nostrum gubernantes exoluantur.

Neque aphoris. 75. eiusdem lib. phrenitidem malignam uehementē appellauit solum propter facultatem, quoniam dicebat Gal. in hac phrenitide uitiosum in corpore humorem fuisse coaceruatum ueneno letali similem, & in corporibus uicinis, ut in demorsis à cane rabido aliquid paulatim agentem, qui ubi peruenit ad loca quodammodo opportuna factus malignissimus symptomata letalia induxit; ex quibus satis constat phrenitidem hanc malignam uehemētem potius propter malignitatem humoris, quàm propter lęsionem facultatis appellari debere: quemadmodum aphtas, tuberculos, lippitudines, & alios id genus affectus, quos proposuit Gal. 3. in 3. de uulg. morb. 12. necnon destillationes quas proposuit primo in primum de uulg. morb. 27. & quod de his authoritatibus dictum est, idem cęteris omnibus accommodari potest, quoniam si propter affectum malignũ contingat, ut uirtus communis exoluatur, affectus nedum uehemens erit

propter cacoetheam, uerum etiam propter uirtutis læſionem; quod ſi eueniat, ut affectus in aliqua parte ſit cacoethis, neque uirtus communis aliquid patiatur, atque determinata ui ipſius morbi munus ſuum fruſtretur, tunc affectus erit uehemens ſolum propter cacoetheam, vel propter eſſentiam, uel propriam eſſentiam, ſeu receſſum à naturali ſtatu non autem propter uirtutem; hoc maximè confirmare uidetur authoritas Galeni 2. ad Glau. 2. vbi dicebat vlcus omne malignum, & putridum medicamenta acriora deſiderare, & quæ uires ignis habent, cuiuſmodi eſt myſi chalcitis, arſenicum, & ignis ipſe; quoniam Galenus non propoſuit vehementiam ratione facultatis, vt patet, neq; propter receſſum à naturali ſtatu, quoniam medicamenta illa quæ uires ignis habent, & ignis ipſe, non humiditatem tantum abſumunt, ſed partem ſubiectam iam praua qualitate infectam exedunt ac diſſipant, quare Gal. ſolam magnitudinem propter cacoetheam ſpectauit.

Illud præterea eſt nobis animaduertendum apud Gal. hæc nomina eſſe plerunque multiuoca hoc eſt mitis, moderatus, blandus, ſimplex, benignus, facilis, & quæ ſunt huiuſmodi; itidem prauus, immoderatus, malignus, ſæuus, crudelis, difficilis, & mali moris. hoc autem in 3. de criſ. 3. ſignificaſſe viſus eſt Gal. cum dixerit morem inſpicere oportere, moderatus ne ſit ac mitis, vel prauus atq; malignus.

Neque illud eſt prętermittendum Galenum in lib. de criſibus in progno. in Epidemijs, in prorrhet. unà cum Hipp. nomen maligni pro exitiali, pernicioſo; ac letali quàm ſępiſſimè uſurpaſſe, ut ſupra docuimus, propter quã loquendi improprietatem factum eſt, ut quàmplurimæ ſubortæ ſint inter uiros doctiſſimos difficultates, ac ferè inexplicabiles, quas leui negotio his diligenter penſitatis vnuſquiſque vel mediocris ingenij poterit enodare.

In hac re diu multumq; verſatus ſum, quoniam paucos ne dicam neminem, ex his qui ſcripſerunt uidi, qui Galeni authoritates, vt res ipſa poſtulat, explicarit, cum tamen hæc doctrina maximam artis curatiuæ partem complectatur.

Cæterum quinque illa magnitudinis genera, quomodo in morbo, cauſa, & uirtute conſiderentur, ex his, quæ dicta ſunt vnuſquiſque ſuopte ingenio perſpicere poterit, & nos dum cuiuslibet indicantis exercitationē proſequemur, rem ipſam aliquantiſper illuſtrabimus.

Dubitationes, quæ totam indicantium naturam euertunt, & earum ſolutiones. Cap. XIX.

PErſpecta indicantium magnitudine quouis modo conſiderata, vt pugnantibus inter ſe indicantibus vnuſquiſque intelligeret cui magis, & cui minus ſit incumbendum, & quæ temperatio, ſeu moderatio eſſet adhibenda, ſupereſt, vt quod poſtremo loco propoſitum fuit exequamur: quoniam niſi difficultates quæ paſſim circunferuntur è medio

medio fuerint ſublatæ, tota de indicationibus doctrina, aut ruet, aut perturbabitur.

Atqui primum video iuuenem ingenio, & doctrinę genere acutiſſimum contra totam de indicationibus doctrinam ſic argumentari.

Nullum datur indicans, ergo indicantium doctrina nulla, uana, & prorſus inutilis. probatur antecedens hoc modo. Si de quo magis videtur ineſſe, & non ineſt, ergo de quo minus; ſed ſi quid eſt, quod nomen indicantis therapeutici dignum eſſe uideatur, illud eſt morbus, & cauſa. At hæc nullo modo indicantia dici debent: ergo nullum datur indicans curatorium; maior patet ex omnium ſcriptorum conſenſu, & præſertim Hipp. & Galeni: Minor probatur hoc modo. Quod indicat ob eam cauſam indicare dicitur, quia re aliqua indiget, vt ſcriptum reliquit Galen. 4. meth. 3. quo verò indiget, illud expetit, ac ſibi profuturum exoptat; ſed morbus, & cauſa, quod ſibi profuturum eſt, non expetunt, cum ſui corruptionem ex omnium ſententia deſiderent; morbus itaque, & cauſa non ſunt indicantia.

Idem à ſimili probari poteſt: nam vrbs hoſtili exercitu obſidione cincta ob raptũ ex. g. uxoris alterius, humano corpori morbo laboranti ob aliquam cauſam reſpondet: ita, vt vrbs humanum corpus referat, hoſtilis exercitus morbum: raptus uxoris, cauſam.

Verum ſicut hoſtilis exercitus ſui euerſionem non expetit, nec raptus vxoris reſtitutionem; ita quoq; nec morbus, nec cauſa ſui corruptionem deſiderare uidentur.

Præterea nullum datur indicatum, ergo nullum indicans; antecedens probatur ex Hipp. 5. in 6. de vulg. morb. 1. nec non ex Galen. 9. de pla. 8. qui ſtatuunt naturam eſſe morborum medicatricem; quod idem cõfirmauit Gal. in lib. art. med. 87. & in lib. ad Traſyb. 26. at ſi natura eſt illa, quæ medetur morbis: ergo ars medica non eſt neceſſaria, & per conſequens neq; indicata neq; indicantia.

Rurſus contraria contrarijs curantur, ſed ſanitas eſt morbo contraria, ergo morbus ſanitate curatur: verum ſanitas non eſt in corpore ægrotante, ergo non poteſt eſſe indicatum, & ſic habere uim remedij: quòd ſi non eſt indicatum, ergo nullum datur indicatum, & ſic nullum indicans: valet conſequentia, quia vnum vni per ſe contrarium.

Ad hæc Gal. in lib. de optima ſecta ad Traſyb. 9. & 23. dicebat à morbo conferentia indicari non poſſe, idque probabat exemplo ſumpto tum à phlegmone tum ab obſtructione, ſeu loci ſuppreſſione, quoniam ſi morbus conferentia indicaret, cum unus ſit, idem ſemper indicaret, & eodem remedio ſemper expugnaretur: at phlegmon pro diuerſitate partium diuerſa poſtulat remedia, ergo non indicat vtile: eodem modo vrinæ ſuppreſſio non eodem modo tollitur, ſed pro diuerſitate cauſarum diuerſa adhibentur remedia. ergo.

Probant etiam uirtutem indicare non poſſe hoc modo. Si virtus indicaret, vel merito totius, vel partis indicaret, ſi merito totius ex Galeni ſententia primo de ratione victus 44. ſolam alimoniam indicaret.

ſed

ſed non indicat alimoniam,ergo nullo modo indicat:probatur aſſumptum hoc modo.Nulla qualitas inſtauratur,aut nutritur ſubſtantia, ſed uirtus eſt qualitas cum ſit potentia quædam animæ,ergo non indicat alimoniam. ergo nullo modo indicare uidetur.at uirtus totius non indicat. ergo neque uirtus partis.

Ad primam rationem patet ſolutio ex his quæ dicta ſunt a nobis in lib. de rebus prẹter naturam in definitione morbi: ibi namq; diximus morbũ tripliciter conſiderari poſſe,uno quidem modo pro receſſu a naturali ſtatu antequam terminum attigerit, & paſſio nominatur; altero modo pro termino mutationis a naturali ſtatu,& conſtitutio,ſeu diſpoſitio nominari pōt quẹ diſpoſitio,ſeu cōſtitutio dupliciter conſiderari debet, uno quidem modo,ut qualitas quẹdam a re ſubiecta ſeparata; uel rei ſubiectẹ inhærente; ſi primo modo conſideratur proculdubio morbus non erit indicans,ſin ſecundo modo pro corpore morbo affecto ſic indicans nominari poterit, quoniam quando dicimus intemperiem calidam, ut duo frigidum indicare, ut duo idem eſt, àc ſi diceremus corpus intemperie calida,ut duo affectum indicare,ut remedio frigido, ut duo ſuccurratur. hoc enim modo morbus dicitur indicare id quod ſibi profuturum eſt, & indicans curatorium dici poteſt, quia non morbus, ſed corpus morbo affectum curari dicitur;idem quoque de cauſa dicendum eſt: non enim cauſa ea ratione, qua indicat à corpore abiuncta conſideratur; ſed ea ratione,qua lẹdit corpus; quare cũ dicimus humores ſui qualitate peccantes alterationem ad contrarium indicare idem eſt,ac ſi diceremus corpus humanum ea ratione qua lẹditur ab humoribus ſui qualitate peccantibus indicat, ut per contrarium humores illi ad priſtinum ſtatum reuocentur.

At ſcriptores facilioris doctrinẹ gratia à morbo & à cauſa indicationem capiendam eſſe dixerunt,neq; putarunt homines ad eam inſaniam uenturos,ut exiſtimarent morbos per intellectum a corpore ſeiunctos curari, & cauſa prẹſeruari,quamuis dicamus ab altero curatiuam;ab altero prẹſeruatiuam indicationi eſſe capiendam.

Neque ex his ſequitur id quod nonnulli arbitrati ſunt nempè à corpore per ſe,à morbo uerò,& à cauſa per accidens indicationẽ hauriri poſſe;quoniam ſi dicamus corpus humanũ eſſe indicãs; uel curatoriũ,uel prẹſeruatorium, huic nomen indicantis, uel curatorij, uel prẹſeruatorij non alia ratione conuenire poteſt: quàm ſub hac ratione formali, ut uel morbo, uel cauſa morbum efficiente,uel fouente afficitur.abſurdum enim eſt (dicebat Gal.3.meth.1.) aliud eſſe quod curandi rationem prẹſcribat,aliud quod curetur,uerum in his quẹſtionibus logicis non eſt,ut diutius quàm par ſit,immoremur.

At uerò quod ad argumentum à ſimili attinet nos idem de hoſtili exercitu dicere poſſumus, quod de morbo dictum eſt: quoniam hoſtilis exercitus per ſe, & abſolutè conſideratus ſui euerſionem non indicat; uerùm ſi conſideratur,ut obſidet urbem,& urbs ab eo obſidione cingitur, proculdubio hoſtilis exercitus ſui euerſionem indicabit,& idem de raptu quod de cauſa morbi dicendum eſt.

Ad tertiam rationem reſpondere uidetur Gal. 5. illo in 6. de uulg. morb. 1. ubi docet ad morbos expugnandos plura deſiderari, rarò namque euenire dicebat, ut ars ulla effectrix re petiatur, quæ arte alia non egeat, quæ aut inſtrumenta fabricet, aut materiam operi idoneam reddat.

Cum itaque ad ſanitatem reuocandam multa ſint neceſſaria, & inter hęc natura dignitate primarium locum obtineat, benè factũ eſt ut Hipp. & Gal. dixerint naturam eſſe morborum medicatricem, quod uerò natura cæteris artibus ſit dignitate præferenda docebat Gal. loco nuperrimè citato, cum diceret medicum, & artem medicam ad naturam ſic ſe habere, ut materia & inſtrumenta ad medicum, & eius artem, quare merito dignitatis morborum curationem naturæ potius quàm medicæ facultati tribuit: Non tamen credendum eſt propoſitionem illam Hippocratis vniuerſaliter eſſe veram: ſed eſſe de genere illarum quæ vt plurimum cõtingere ſolent, & propterea uniuerſalibus æquiparari poſſunt: pauci enim ſunt morbi, quibus natura vltimam manum non adhibeat; ſola nanque luxatio, & quæ ſunt huius generis faciunt, ut ars chirurgica naturam ſuperare uideatur; in iis enim, quæ ſunt præter naturam emendandis officium facultatis alteratricis, nec non earum quæ huic ſubſeruiunt deſiderari uidetur, formatricem uerò interdũ propriũ finem fruſtrari. etenim ſi facultatem alteratricem ſpectemus, quis eſt ille, qui non uideat quàmplurimos morbos huius ſolius beneficio quotidie debellari, & ſi quæ adhibentur materiæ, ut facultatibus inſeruiant, nõ prius ſeruitium præſtare poſſe, quàm ab iiſdem fuerit illorum potentia ad actum deducta; quare aliud eſt dicere naturas curare morbos, aliud ſolas naturas omnes morbos curare poſſe: natura quidem quoſdam morbos per ſe expugnare poteſt: quoſdam uerò nõ poteſt: ſed artem medicam, & medicum poſtulare uidetur. quàmuis hoc unũ aſſerere, ac firmiter tenere debeamus nullum corpus infirmũ perfectè abſque naturæ auxilio ſanari poſſe, quoniam etſi oſſa luxata reponantur, ni ope ac beneficio naturæ uincula confirmentur, quis eſt ille, qui audeat affirmare ex ſola oſſium repoſitione membra illa perfectè conualuiſſe?

Cùm itaque in quacunque ægritudine beneficium naturæ deſideretur, ob id cæteris omnibus eſt dignitate præferenda, & iure optimo morborum curatrix uidetur appellari poſſe: cum tamen ſit agens quoddam neque ullam ſuaptè natura mutationem patiatur, hinc fit, ut medicus de natura nõ ſit admodum ſolicitus; ſed totum ſtudium eò conferat, ut ea ſubmoueat, quæ naturæ impedimento eſſe poſſunt: indicantia itaque, & indicata ut locum habeant eſt neceſſe.

Ad aliam rationem poſſumus concedere totum argumentũ nempè morbum ſanitate curari: ſed res ipſa eſt ſano modo intelligenda, quoniã unum pluribus modis conſideratum plura poteſt habere contraria: quare ſi morbus conſideretur merito diſtantiæ terminorum tunc morbo aduerſantur re media; ſin merito exceſſus, uel defectus, huic opponitur ſanitas tanquàm mediũ; ſi pro motu à naturali ſtatu ad ſtatum præter naturã, huic obijcitur motus oppoſitus; ſi denique merito congreſſus, & pugnæ, quicquid uim habebit pugnandi cum morbo, illi contrarium erit dicendum: quibus ſic propo-

propositis facilè constat morbum quouis genere contrarium expugnari debere; non enim est dubium remedia morbum sibi oppositum expugnare idque virtute contrarietatis, quæ inter extremos terminos obseruatur: dicitur etiam expugnari à sanitate tanquàm à medio, & termino perficiente, quoniam adueniente sanitate pellitur morbus; expugnatur etiam ratione cõtrarij progressus, & motus, qui fit à morbo ad sanitatem, ut scribit Gal. 9. Meth. 15. postremò ratione congressus; quoniam si morbus tunc curari dicitur, cum pellitur & superatur, & quæ se mutuo corrumpunt contraria dicantur, hinc fit ut omnis curatio per contrarium fieri dicatur etiam si fiat à natura tantum.

Quare cum dicitur morbum à sanitate curari, hoc nõ est omnino reprehendendum, si propositio illa rectè intelligatur: quoniam non est credendum morbum à sanitate tanquàm à causa efficiente curari; sed cum sit terminus perfectæ, & absolutę actionis & ueluti signum uictoriæ, hinc fit ut dicamus sanitatem pepulisse morbum, non quæ antea fuerit, sed quæ ex cõgressũ remediorum cum morbo est subsecuta.

Vel & alio modo dicere possumus morbum curari sanitate ea scilicet ratione, qua sanitas indicans definit, limitat, & appropriatum reddit, & propterea quantum agendum designat, nisi enim sanitas id præstaret, nequaquàm fieri posset, ut medicus intelligeret quantum esset agendũ, & quando ab agendo desistendum.

At cum dicunt sanitatem non esse in corpore, & hoc fatemur, quia duo contraria eodem tempore non possunt esse in eodem subiecto; immò ob eam causam dicebat Gal. medicum illum tutius, ac melius ęgrotantem illum curare posse, cuius naturam prius nouerit, quàm qui eam nunquàm obseruauit: quare non sequitur sanitas non est in corpore: ergo non confert ad morbum oppugnandum.

Quod uerò dicunt sanitatem non esse indicatum nos quoque fatemur, quoniam cum non sit presens non potest habere uim causę efficientis, neque propterea sequitur sanitas non est indicatum ergo nullum datur indicatum: quoniam si sola sanitas esset morbo contraria, consequentia illa locum habere posset; uerùm cum pręter sanitatem remedia quoque uirtute distantię terminorum sint contraria, sequitur ut nulla sit consequentia illa, quoniam neque absolutè uerum est, unum uni tantum esse contrarium.

Ad Galeni uerò authoritates sic dicendũ censeo, morbum dupliciter considerari posse uno modo genericè, altero modo specificè, & appropriatè; & sic utile, seu conferens dupliciter dicitur genericè, & approptiatè; quando itaque Gal. inquit morbum non indicare cõferens hoc modo audiri debet, ut morbus in genere non indicet remedium specificum, & appropriatum, seu particulare, & sic utile, alioquin Gal. à manifesta falsitate uindicari non posset, quoniam morbus genericè sumptus indicat auxiliũ generice sumptum, quemadmodum significauit nobis Gal. eodem lib. cap. 48. ubi dicebat affectum solam morborum expulsionem nunciare, quibus uerò expellendi sint, ab alio ut par est esse petendum.

Neque de uirtute quidquam dubitare debemus, quoniam uirtus non consi-

deratur pro ſimplici quantitate, quare non propterea potentia, & facultate, neque pro ſimplici ſubſtantia tantum, ſed pro facultate à ſubſtantia illa emanare, ut ab hoc uel illo inſtrumento eſt definita, quare cum dicimus uirtutem ſui cuſtodiam deſiderare, idem eſt, ac ſi diceremus ſubiectum, ſeu inſtrumentum ea ratione, qua gubernatur à uirtute, ſui cuſtodiam indicare, quo fit ut cum uirtutis inſtrumẽtum ſit potiſſimum triplex nempè ſpiritus, ſolida, & carnoſum genus, id quod indicatur debet eſſe alimentum, uel tenuiſſimum, uel craſſum, uel ſolidum, uel medio modo ſe habens, quare indicatum ſemper reſpicit corpus non ſimpliciter, ſed hoc, uel illo modo affectum, & ſi utile dicitur ob eam rem dicitur, quia utile ſit corpori.

Vtrum natura indicantis indicet quid agendum, quantum quando & vbi. Cap. XXI.

ALtera difficultas, nec parui momenti ab aliquo moueri poſſet ex eo quod diximus naturam indicantis demonſtrare nobis quid agendũ, quantum, quando, & ubi: nam ſi hoc eſſet uerũ, ergo unũ plura indicaret, in quod abſurdum ne quidã caderent; in eã opinionem uenerunt ut dicerent eſſentiam indicantis quid agendum præſcribere, quæ uerò conſequuntur eſſentiam rectum materierum vſum edocere, & quia in indicante obſeruarũt actionẽ, paſſionem, pręſentiam, & ſubſiſtentiam, hinc ducti quantum agendũ non ab eſſentia ſed ab actione indicantis demonſtrari uoluerunt; modũ agendi à paſſione, tempus à præſentia, & locum à ſubſiſtentia, & ſic unum ab uno indicari ſuſtinuerunt.

Vt itaq; huic difficultati ſatisfaciamus, nos quoq; fatemur ac ſuſtinemus unum ab uno indicari, ſed unum diuerſis modis conſideratum plura indicare poſſe, quare natura indicantis ſi pro ſpecie capiatur quid agendum ſeu auxilii qualitatem pręſcribit; uerum ſi in ea ſpecie conſideretur receſſus à naturali ſtatu, tunc natura illa ſimul cum aliis notis ſit appropriata, & ſic ut ſpecies eſt indicantis qualitatem, ut uerò recedit a naturali ſtatu, & ſit appropriata quantitatem auxilij demonſtrabit: & quia nullũ indicans ni præſens ſit indicare poteſt, hinc fit ut natura, illa indicantis ut præſens eſt, tempus agendi præbeat: & quoniam omne quod agit uel agit in toto uel in parte, ergo cognita parte affecta locus quoque agendi patebit, etenim ſi actio ſit per contactum, remedia ut partem affectam contangant eſt neceſſe, ſiue id uirtute, ſiue tota ſubſtantia contingat: quare natura indicantis diuerſis modis conſiderata nedum auxilij qualitatem, uerum etiam in eo quantitatem, tempus & locum agendi deſignabit.

Quan-

Quantum, quando, & vbi vtrum ad vſum materierum ita pertineant, vt in auxiliis obſeruari non poſsint. Cap. XXII.

EX allata ſolutione plures emergunt difficultates, quarum prima eſt hæc, quantum, quando, & id genus alia ad vſum materierum pertinẽt, non autem ad auxilia, ineptè igitur factum eſt, cum hęc ad auxilia pertinere uolueris.

Ad hanc difficultatem ſic dicendum cenſeo, quantum, quando, & vbi agendum totam rectam adminiſtrationem abſoluere; ſed hanc dupliciter cõſiderari poſſe, uno modo formaliter, ut ita loquar, altero modo materialiter hoc eſt, vel vt eſt in anima, vel extra animam, vel vt ſignum, vel ut ſignatũ, quemadmodum à principio diximus; quare auxilium, ut complectitur, & qualitatem, & quantitatem, & tempus, & locum erit ſignum materiæ hac forma auxilij ſignatæ, quam dicebat Gal. 5 in 6. de uulg. morb. 1. non prius hac forma auxilij inſigniri quàm in ea quantitate tempore, & loco, ut decet fuerit adminiſtrata; hæc itaque omnia in auxilio ſpectari eſt neceſſe. etenim cum affectus ſit qualitas, qualitatem quoque, ut indicet eſt neceſſe, hæc autẽ qualitas, ut ſuprà diximus, uel eſt generica, uel ſubalterna, uel ſpecifica, uel appropriata, quare qualitatem remedii, uel genericã, uel ſubalternam, uel ſpecificã, uel appropriatã indicabit ex. g. morbus eſt cõſtitutio præter naturam, & ſic qualitas generica, ergo indicat, ut remedij qualitate generica pellatur, & expugnetur, qualis contrarietas eſſe poteſt. at morbus hic ſit febris, & propterea intemperies calida, & ſicca, & ſic qualitas ſubalterna, indicabit itaq; qualitatem remedij ſubalternam refrigerantem, & humectantem. rurſus febris hæc ſit tertiana ſimplex, & propterea à materia bilioſa producta, ergo indicabit qualitatem remedij ſpecificam refrigerantem, & humectantem, ſed nondum appropriatam, & particularem, quę qualitatem definitam, ſeu remedij quantitatem nobis deſignare poſſit: ſed addamus nos in eo corpore febrem hanc fuiſſe excitatam, cuius temperatura naturalis ſit calida, & ſicca, ætas iuuenilis, in aere calidiori, ita, ut penſitatis omnibus ijs, quæ temperaturam naturalem, ſeu adſcititiam circunſcribere, ac definire poſſunt, reperiamus habitum illius corporis à naturali ſtatu per unum gradum caliditatis receſſiſſe, & in prima manſione ſi fieri poteſt, ut manſionem quoque aſſequamur, tunc enim habebimus qualitatem affectus ſpecificam, & appropriatam, quæ ſecundum appellationem noſtram per gradum, & in prima manſione receſſit a naturali ſtatu, quare indicabiti qualitatem remedij per gradum in prima manſione calefacientem; non enim maior eſt ratio, ut manſiones in materiebus quàm in qualitatibus, ſeu affectibus humani corporis obſeruentur, quare ſicut qualitas indicantis ſuſcipit intentionem, & remiſſionem, ſic remedij qualitas ſuſcipere debet: quam intenſionem, & remiſſionem impropriè nomine quantitatis appellamus, quemadmodum cum dicimus febrem longam, breuem, magnam & paruam: quare cum dicunt quantitatem propriè loquendo ad materias pertinere, hoc non negamus; ſed talem quantitatem

tem dicimus formam remedij sibi præscribere, vt si ex.g. opus fuerit calefacere, vt vnum & in prima mansione, materiam in primo gradu, & in prima mansione refrigerantem adhibebimus, cuius dosim minoré vsurpabimus, nisi enim cognouerimus gradũ caliditatis, & in qua mansione peccet, & in quo puncto si fieri potest, pensitatis etiam prohibentibus, vel permittentibus, vt modus agendi persuadere videtur, nunquàm poterimus cognoscere vsurpanda ne sit materia conueniens in maiori, vel minori, vel mediocri dosi, & quantitate, dicant alij quicquid uelint. Neque existimãdum est recessum à naturali statu esse signum actionis vehementis, quemadmodum vir quidam doctissimus existimauit, vt sustineret actionem indicãtis quantum agendum demonstrare, quoniam si hoc esset verum causa esset signum effectus, cum recessus à naturali statu sit causa læsæ operationis, & sic progressus esset ab ignoto ad notum.

Præterea Gal. sibimet contradiceret, quoniam à symptomate sumeretur indicatio. Neque indicans permaneret; Et illud indicaret, quod non expeteret; Alterius quoque gratia indicaret. Atque vnum sub eadem ratione duo indicaret. Hæc incommoda, & alia sequerentur, quoniam actio est symptoma, neque permanet, cum sit in fieri, neque expetit quantitatem materiæ, quam voluit indicare, & quid agendum & quantum agendum indicaret, quid enim est, quod nisi agat, indicare possit? & quoniam sustinet vir ille Clarissimus actionem vehementem summam dosim, remissam verò minimam indicare, neque id omnino ductum ex eo apparet, quoniã siquid materiæ biliosæ os ventriculi mordeat, ut cardiaca passio subsequatur, uehemẽs quidem erit actio, nihilominus modico sy.ros. solutiui, uel uiolacei, vel alterius lenientis euacuabitur: quemadmodum etiam in febre syncopali à materia pituitosa ventriculum infestante conspicitur; at in icteritia, & leucophlegmatia uehemens quidem non erit actio nihilominus ad euacuandam, tum bilem tum pituitam magna dosi, tum materiæ cholægogæ, tum phlegmagogogę uti oportebit, modo nihil adsit, quod prohibeat. quare ab actione indicãtis nulla ratione fieri potest, vt capiatur indicatio quãtitatis materiæ administrandæ: & sic recessus à naturali statu non erit statuendum signum actionis vehemẽtis. Dubius itaque vir ille doctissimus authoritatem illam Galeni. 9. Meth. 14. alio modo interpretatus est; statuitque recessum à naturali statu non quantitatem materiæ indicare, sed quid agẽdum specificum appropriatum, & particulare: quam interpretationem magis approbauit, & sic incautus in sententiam nostram obrepit, qui existimamus rectam administrationem formaliter, ac ueluti signum ad quid agendum appropriatum pertinere: quoniam non est dubium Galenum ibidem sermonem habere de recto usu, & administratione, cum dicat, si sola fuerit febris ad refrigerandum, & humectandum omne cõsilium veluti ad finem erit cõferendum, ut nihil præterea sit, quod ad curationem desideretur, nisi ut materiæ inueniantur, quæ huic proposito sint idoneæ, materia inuenta, vt opportunum tempus ex quattuor febris temporibus captes, quantitatem verò ex cõferendo cum naturali habitu morbũ, quoniã quantũ is à naturali habitu recessit, tantum opus est, ut refrigeres, humectesque, quid clarius?

Cum itaque ibi Gal. loquatur de recta materierum administratione, & receſſus à naturali ſtatu doceat quid agendum ſpecificum,ut uir clariſſimus opinatur,ergo recta materierum administratio ad quid agendum ſpecificum,& appropriatum pertinebit,& ſic ſenſim, & inſciens in eam,quam ſuſtinemus opinionem delapſus eſt.

At ſi uir Clariſſimus, ut omnia incommoda ſuperius propoſita declinaret ſuam hoc modo explicaret ſententiam,ut per actionem intelligeret naturam indicantis agentem,nec is doctrinam hanc ullo modo ſuſtinere poſſet,primum quidem quia unum duo indicaret nempe quid agendum, & quantum agendum,quoniam affectus ſi qualitatem remedij debet indicare,ut agat eſt neceſſe;hanc unam ſtatuimus indicantis conditionem;niſi .n. ageret & corpus humanum læderet nõ indicaret.quare ut agit, remedij qualitatem indicat,quòd ſi uelit,ut idem materiæ quantitatem præſcribat, ergo idem numero ſub eadem ratione duo indicabit.

Præterea qualitas qualitati eſt contraria non autem quantitati ergo natura indicantis ſub hac ratione formali,vt agit,quantitatem propriè dictam non poteſt indicare,cum actio ſit qualitas.

Ad hæc repugnat naturæ indicationis, ut dicamus naturam indicantis, ut agit, nobis quantitatem materiæ adminiſtrandæ repræſentare: etenim cum indicatio ſit ueluti quædam ſpecularis oſtenſio, quis eſt ille, qui cum uideat affectus præter naturam actionem,ſtatim poſſit inferre, ergo materia in tanta quantitate eſt adminiſtranda, quod ſi quis dicat actionem, ut eſt ſignum receſſus à naturali ſtatu nobis demonſtrare quantum agendum, & ſic per accidens materiæ quantitatem,non repugnabimus, ſi quidem indicans appropriatum per ſe qualitatem remedij appropriatam demonſtrat, & per accidens materiæ quantitatem, quoniam ex eo quod cognoſcimus refrigerandum eſſe,ut duo in prima manſione cognoſcimus etiam materiam adminiſtrandam,quæ uim habeat refrigerandi,ut duo in prima manſione & in minima doſi.

Hoc ſignificare uoluit Galen. 2. in 6. de uulg. morb. 32. cum diceret. Decet enim cum euacuatio requiritur non ſimpliciter ad ipſam accedere, ſed prius definire, qua ratione facienda ſit, & quæ debeat eſſe euacuanda materia, per quam regionem, quo tempore, & qua menſura, quod nihil aliud eſt quàm quid agendum,& rectam adminiſtrationem prius mente concipere,qua concepta non eſt difficile materiebus applicare;idem ſignificauit Gal. 2. de tuen. 7. ubi demonſtrauit indicans appropriatum eſſe illud,quod menſuram frictionis definit, idem quoq; ſcriptum reliquit 3. de off. med. particula prima cum diceret fracturæ magnitudinem numerum plagularum indicare 2. per loca 1. ubi dicebat affectionem auxilia nobis indicare; quantitatem uerò ſingulorum,& particularem differentiam materierum tum affectam particulam,tum ægri temperamentum,& quę ſequũtur,hæc enim circunſcribunt nobis receſſum à naturali ſtatu, & modum in quantitate definiunt.

Neq; probare poſſum opinionem alterius cuiuſdam uiri acutiſſimi ac doctiſſimi, cui placet quantitatem materiæ adminiſtrandę indicari à natura

tura indicantis, ut agit non in corpus humanum; sed aduersus materiam medicam; quoniam si hoc esset uerum, sequeretur indicationem fieri ab eo quod non est, id quod Galeni doctrinæ, ac naturæ indicãtium, vt supra diximus repugnare uidetur: etenim quomodo quis potest capere indicationem administrandæ quantitatis materiæ medicæ à natura indicantis aduersus materiam, si nondum agit? electio præcedit actum. quare prius eligenda est quantitas materiæ, antequàm administretur, & sic antequàm indicans agat in eam.

Præterea si hoc fieri posset, hæc indicatio solum haberet locum in indicantibus vitalibus, non autem in præseruatoriis, & curatoriis, cùm in his indicans non agat, sed potius patiatur: quare vt repugnant potius, ac resistunt, quàm vt agunt, indicatio esset capienda, in vitalibus uerò, quoniam natura indicantis agit in alimentum potius, quàm patiatur, in his locum habere posset; sed vt dixi opinio hæc non omnino ueritati consentire videtur.

Quòd si uiri isti doctissimi fateantur hæc non esse uerè indicantia; sed ea ratione indicantia nominari, quà ad inueniendum quantum agendum aliquo modo conferre possunt: & sic non propriè, sed impropriè de huiusmodi indicationibus sermonem habuisse in hoc secuti antiquorum consuetudinem, apud quos aliàs propriè aliàs per translationem usurpari vocabula uidebis, vt scribit Gal. 2. de fract. 66. nedum probabilem uerum etiam sapientem excusationem inibunt.

Verum ut unusquisque intelligat doctrinam nostram ne latum quidem unguem à Galeni doctrina recedere, audiat ipsum 3. de comp. med per genera 2. vbi ait. Conuenit igitur medicum non modo affectus qualitatem, sed etiam ipsius, ut ita dicam, quantitatem coniectare. Nam haud ita propriè quantitas in qualitate dicitur, quanquàm dicatur tamen, vt febris magna, & parua. Ac tantus usus est eorum, quæ sic dicuntur, vt iam proprii uim obtineant ipsa. In totum, quæ ex uocato à grammaticis ab usu inceperunt, deinde uerò propria dici credita sunt. Hæc inquit Gal. attulimus propter eos, qui parum opportuno tempore de sermonis proprietate argutantur. quare subdit, quod exsiccari desiderat, non simpliciter siccante indiget medicamento, sed conuenienti mensura. Copiosa quidem humiditate auctum insigniter exsiccante: parua parum hoc faciente, quemadmodum multa admodum resiccante, nõ tamen extremè, neque in summo, siccitatis enim quantitatem humiditatis copiæ respondere conuenit: quare in curatione uulneris neruorum coniicere oportet in quantam humiditatem, caliditatemque affecta pars reciderit, & quæ sequuntur. Ex quibus quis est, qui non intelligat eam fuisse Galeni mentem, vt quantitas auxilii à quantitate affectus indicaretur, & si per quãtitatem affectus intelligit qualitatem intensam, vel remissam, ergo qualitatem remedii, uel intensam, uel remissam indicabit, & per ipsam, quantitatem materiæ administrandæ, quam non proposuit unquàm Gal. quia non ignorabat fore, vt si quis cognosceret quantum esset siccandum, intelligeret quoque in qua quantitate materia exsiccans esset administranda. Quare quantitas affectus per

accidens indicat quantitatem materię administrandæ, per se uerò qualitatem determinatam, seu appropriatam remedij, quam licet appellare quantitatem.

Eandem ueritatem nobis significare videtur Gal.4.per genera primo, vbi habet in singulis affectibus primam auxiliorum potentiam inueniendam esse, deinde ad materias, quibus illa continetur esse transeundũ; at per primam auxiliorũ potentiam quid aliud intelligit quàm potentiam propriã, & particularem, & sub tali gradu appropriatam? quæ deinde in materijs tãquàm in signatis reperiri licet: idem quoque cõfirmare uidetur 5. Meth. 9. vbi dicebat hic Methodos tantum tradimus, quæ præsidiorum indicent genus, quibus uerbis nihil aliud significare uoluit Gal. quàm in Methodo medendi se docere formam tantum præsidiorũ, quam appellat genus, quãdo materiæ aliunde sint petendæ. Idem probare uidetur 2. in 6. de uulg. morb. 32. Hippocrates, vbi dum proponit quid agendũ, & rectã administrationem loquendo de quantitate, quæ pertinet ad rectam administrationem inquit cognoscendum esse qua mensura euacuanda sit materia, ut si sudores sint euacuandi in qua quantitate, quod uidens uir quidam doctissimus dixit Hipp. eodem tempore docere quid agendum determinatũ, & dosim materiæ, & sic incautus iterum obrepit in eam quam tuemur opinionem, quoniam Hipp. Gal. & Auic. & omnes boni scriptores dum docent quantitatem materiæ euacuandæ, & propterea quid agendum determinatum, simul & quantitatem formalem auxilij, & dosim materiæ administrandæ demonstrant.

Neque ad hanc ueritatem confirmandam silentio pręterire possum, quę docet Auic. 4. primi cap. 1. vbi dicebat medicationem tres habere regulas, quarum una pertinet ad qualitatem medicamenti eligendam. Altera ad ipsius eligendi quantitatem, quam regulam dicebat subdiuidi, & in eam, quę metitur pondus eius, & in eam, quę metitur ipsius qualitatem hoc est suę caliditatis gradum, aut frigiditatis, aut reliquorum ab his. Deinde subdebat in electione autem qualitatis medicinę absolutè non habetur cognitio, nisi per cognitionem species ęgritudinis, quoniam cum ęgritudinis qualitas scita fuerit, medicina erit eligenda, quę in sua qualitate sit cõtratia. At mensura quantitatis duorum modorum simul cognoscitur secundũ uiam existimationis artificialis ex natura membri, & quantitate ægritudinis, quod idem est, ac si dixisset ex recessu à naturali statu. Ex quibus dictis, quis est, qui non uideat Auicenam nobiscum sentire, vt idem sit quod gradum remedij demonstret, & materię pondus, sed gradum remedij per se, pondus uerò per accidens.

In hac re diu multumque immoratus sum propter falsas medicorum opiniones, quæ animos hominum ita pręoccuparunt, ut eos nõ solum surdos, uerum etiam cęcos faciant, ut quę alijs conspicua sunt, ipsi uidere nequeant.

Modus agendi vtrum ſit ſcopus à reliquis ſcopis ſeparatus, & quid ſit. Cap. XXIII.

ALteram difficultatem mouebant nonnulli, quòd ineptè factum eſſe videatur, vt modum agendi à reliquis ſcopis non eſſe diſtinctum, fuerit à nobis propoſitum, & hoc modo argumentabantur: ea non ſunt à recta materierum adminiſtratione reijcienda, quæ neceſſaria ſunt, & nobis proponit Gal. ſed tu ab uſu materierum modum agendi ſeiungis, ergo mancus es ac diminutus; quòd verò modus agẽdi ſit neceſſarius probãt hoc modo. Modus agendi eſt cognitio formæ accidentalis materiæ adminiſtrãdæ, veluti ſi rhabarbarum ſit exhibendum, nũquid in potione, an in bolo, vel forma pillulari ſit exhibendum; ſed cognitio hæc neceſſaria eſt, ergo ciue modum agendi eſt neceſſarium.

Quòd verò Galenus modum agendi proponat ex plurimis illius authoritatibus patet, ſiquidem primo ad Glau. primo dicebat vniuerſalem medẽdi viam, ac rationem, qualitate, & quantitate cuiuſque remedij, & vtendi modo atque occaſione compleri. 2. verò ad Glau. 2. à partis poſitu ſumendã eſſe indicationẽ, quæ doceat per quæ, & quomodo fieri debeat euacuatio, id quod in lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionẽ primo confirmare videtur, eundem ſcopum proponebat. 7. Meth. 11. vbi docebat aloem eſſe præſtantiſſimam materiam ad euacuandos ſuccos vitioſos in ventriculi tunicis infarctos, cuius tres modos exhibendi eſſe dicebat maximum, minimum & mediocrem, maximum quidem, & abſolutiſſimum eſſe potionem duorum magnorum cochlearium, minimum vnius cochlearij; mediocrem verò duorum paruorum cochlearium: rurſus eodem lib. cap. 13. dicebat à figura indicationem ipſius modi euacuandi excremẽti ſuppeditari, & hoc modo ventriculum vomitu deiectioneque inaniri, inteſtina deiectione tantum: ſicuti etiam recinoris caua, & quæ ſequuntur. At 1. aphoriſ. 17. docuit modum, quo cibum dari conueniat, Galenus itaque hanc ſcopum propoſuit: quare omnio merito, dicet quiſpiam, tu videris accuſandus, qui ſolus hanc ſcopum à recta materierum adminiſtratione abiudicaſti, & reieciſti.

Ad hanc difficultatem ſic arbitror nos reſpondere poſſe, ſi dicamus modum agendi non eſſe ſcopum à reliquis ſcopis ſeiunctum, & ſeparatum, & ob id non eſſe neceſſarium, ut multum laboremus in inueſtiganda natura indicantis, quæ modum hunc demõſtrare valeat; & cum aſſumunt hoc, ad Methodum medendi pertinere inuentionem formæ accidentalis vniuſcuiuſque materiæ; hoc omnino negandũ eſt; quòd ſi dixerint nonne vtimur materiis interdum in bolo; interdum in potione, quandoque in forma pillulari, modo actu frigidis, modo calidis, nonnunquàm in modum balnei, vel lauacri, quandoque in modum ſtillicidii, quis dubitat?

Cum verò ſubiungunt, at hæc ſunt indicata, ergo à natura indicantis, vel

eorum, quæ illius naturam consequuntur indicari debent; & hoc prorsus negare debemus; isti enim dũ nimis accurati, ac diligentes esse student, rem totam perturbant, ac difficiliorem reddunt, & entia sine necessitate multiplicare uidentur. Id quod ut unusquisque, uel mediocris ingenii intelligat, uideamus quæso quid per modum apud medicos audiendum sit, deinde quid per modum usus auxiliorum, & quid intelligere uoluerit Galenus. Modum nedum apud medicos uerum etiam apud alios artifices duo potissimum inter alia significare obseruaui; formam scilicet, seu speciem, & mensuram determinatam iustam, ac debitam cuiuscunque rei, quæ ratio, & veluti æquitas nominari potest; græcis τρόπος & μέτρον dicitur; formam uerò, seu speciem significare, habetur à Galeno 2. in 6. de vulg. morb. 32. mensuram uerò passim, & ubique apud Gal. & alios, definiri uidebimus: ex quibus duabus significationibus, sola mensura, ratio & æquitas locum habet in usu, siue in indicante, siue in indicato, siue in materiis ipsis consideretur: hoc enim est, quod uulgo dici solet, est modus in rebus: quod uerò per modum in usu nihil seiunctum ab aliis tribus indicatis, & indicantibus intelligere uoluerit Gal. sed in iisdem certam quandam rationem, moderationem, & mensuram, illius authoritates sunt ponderandæ.

Primo nanque ad Glau. primo, & in lib. art. med. 89. quid per modum usus auxiliorum intellexerit, non explicauit. quare si nobis licet Galenum per Galenum interpretari, seu Galenum interpretem adhibere, nõ erit difficile quid per modum usus auxiliorum intellexerit. Siquidem Gal. primo de off. med. 6. dum explicaret uerba illa Hipp. ægrotans, agens, ministri, & quæ sequuntur; ubi ter modum proposuit, & primum ad habitum, & figuram chirurgi, tertium ad curationem morbi retulisset; quod secundo loco proposuit dicebat Gal. nobis qualitatem in usu significare: per hanc verò qualitatem nihil aliud intelligendum sum arbitratus, quàm rationem in quantitate, tempore, & loco auxiliorum obseruandam, quando nomine usus hæc tria sint nobis intelligenda, quod significare nobis uidetur Gal. primo Aphoris. 17. vbi dicebat Hipp. proponens modum cibandi uerbis illis: Quibus semel aut bis, & quibus plura, vel pauciora, & particulatim oporteat offerre, considerandum: quoniam in cibandis ægris dicebat Gal. non sufficit hoc solum cognoscere quod huic plus, vel minus sit offerendum, quod est quantum agendum, vel quod uictu exsiccante, uel humectante utendum sit, quod est quale agendum; sed nunquid semel an sæpius qualibet die, uel nocte cibum offerre oporteat, quod est modus agendi, qui modus est norma, & ratio, & ueluti æquitas in ipsa quantitate, tempore, & loco: modum in quantitate significauit Gal. per illa uerba, nunquid semel an sæpius; modum in tempore, cum qualibet die, vel nocte: vt hoc idem existimemus suadet communis quædam ratio loquendi, dicimus enim quomodo, & quemadmodum idest qua ratione, & admodum quasi secundum rationem, & propemodum quasi parum absit à ratione, & mirum in modum quasi vltra rationem, & alias huiusmodi loquendi formas usurpamus propemodum infinitas, est enim vox hæc

unà

vna ex illis, quæ communem habent significationem veluti & ratio; hoc idem confirmant ea, quæ scripta reliquit Gal.7. Meth. xı. vbi admonebat Picram esse præstantissimum medicamentum ad vitiosos succos, qui in tunicis uentriculi habentur, cuius tres sunt modi exhibendi maximus, minimus,& mediocris, per modum itaque mensuram,normam, & rationem in vsu auxiliorum intelligere possumus, ac debemus.

Idem possumus confirmare ex ijs, quæ scribit Gal.2.aphoris.51. vbi admonet omnem repentinam euacuationem,uel repletionem, uel alterationem, vel motionem periculosam esse, quia omne nimium est naturæ inimicum; nam in elementorum commoderatione natura consistit, quare quod destruit commoderationem non est agendum,modus itaque seu moderatio in rebus est adhibenda, qui modus nihil aliud præstat, nisi uti animaduertamus in usu rerum, & in quolibet motu, seu operatione, ne quid nimis.

Idem confirmatur ex eodem Gal. lib. de consuetudine 4. ibi enim cum de exercitatione loqueretur, inquit neque id exposuimus, vt ea exercitatione defatigentur, quæ congruis terminis, modoque congruo careat, quæque eousque progreditur, vt uires dissoluat, ecce modus in quantitate; & subdit facultates nostræ quęcunque illę sint robur sibi comparant,si moderatis congruentibusque exercitationibus foueantur: quare his verbis probat Gal. modum non in forma materierum positum esse; sed in certa quadam rerum quibus utimur commoderatione.

In libro verò de his quos, & quando purgare oportet, dicebat consuetudinem euacuationis modum ostendere, nam qui assueti sunt vomere per superiora purgari facilius tollerarunt; non assueti periculum subeunt,pręsertim si helleboro purgentur.

In hanc quoque sententiam incautè videniur descendere illi,qui putant modum agendi ad formam tantum accidentalem pertinere: etenim cum vidissent Galenum 4. Meth. ultimo docentem in ulcere uentriculi simul totum, & confertim assumendum esse medicamentum, & per os exhibendũ, oppositum in ulcere gulæ. dixerunt Galenum proponere modum agendi cum dixit simul totum, & confertim assumendum, locumve agendi cum dixerit per os exhibendum per modum itaque non forma medicaméti est perpetuo intelligenda; sed ratio, & mensura in agendo, quemadmodum primo ad Glau.13. significauit nobis Gal. cum diceret modum exhibendæ gelidæ seruari debet in quantitate, quemadmodum tempus anni, regio, ætas, natura, & consuetudo etiam exposcit:eundem modum in quantitate notauit Gal.in lib.de theriaca ad Pis. cap.1.quod si modus ex Gal.seruandus est in quantitate, & in alijs,ergo non est propriè quãtitas, sed qualitas ut ita dicam,& moderatio in quantitate,& alijs.

Quod verò modus etiam in tempore sit adhibendus exemplo satis accommodato,sic probari potest. demus ex.g. sanguinem melancholicum sui copia grauissimè peccare, id quod ex morbi magnitudine dignoscitur, & à statu naturali per libram recedere, regionemq; lienis occupare; hic procul dubio oritur indicatio euacuandi sanguinis ad libram,& ueheméti auxilio

cuius materia poteſt eſſe uenæ ſectio, non tamen quælibet ſectio; ſed quæ foramen amplum habeat, alioquin uenæ ſectio non eſſet materia idonea & accommodata ad ſanguinem melancholicum euacuandum, hoc autem dico propter illos, qui foramen anguſtum, uel amplum ad modum agendi in uſu referre ſolent, cnm modus hic potius, ſit extra Methodum, & ad materiam idoneam, & aptam præparandam ſit referendum. Iam habemus ex his qualitatem auxilii adminiſtrandi nempè ſanguinis miſſionem, habemus etiam quantitatem auxilii formalem, & ſimul cum hac quantitatem per accidens materiæ adminiſtrandæ nempè apertionem uenæ, ſiquidem tandiu uenam apertam detinere debemus, quandiu quantitas illa ſanguinis euacuanda egredi poſſit. Nec abſurdum eſt morbum quandoque uim habere materiæ ſanantis quemadmodum ſectio uenæ, cui materiæ confor-mādæ alia quoque materia deſideratur, quam Faber Ferrarius ſubminiſtrabit, quæ materia foramini efficiendo accommodata eſſe debet; vt ſi foramen amplum ſit efficiendum, cuſpis aliquātulum latior, ſin anguſtum acutior ſit futura, ſed hæc obiter dicta ſint.

Perſpecta iam quantitate ſanguinis detrahendi unà cum qnantitate materiæ adminiſtrandæ, modus eſt adhibendus, ne quid nimis. nam etſi receſſus à naturali ſtatu quantitatem euacuandam doceat, fieri tamen poteſt, ut virtus tantam ſanguinis euacuationem vnica uice non permittat quo loco licebit eam partiri, & quod vnica vice fuerat euacuādum, duabus trib usue detrahatur.

Et quoniam ubi adeſt indicans, tempus quoque agendi præſens eſt, ideo quouis tempore uidetur ſanguinem euacuari poſſe; nequis itaque ad indicans tantummodo ſpectans ad ſanguinis miſſionem quolibet tempore, & qualibet hora ſe accingat, admonet Gal. ut modus adhibeatur, hunc autem adhibebit ille, qui uel permittentia, uel prohibentia ſpectabit, & quoniam nihil eſt, quod ſanguinis miſſionem, aut retardare, aut in aliud tempus magis opportunum differre poſſit, quàm uirtus, ob id in qualibet ſanguinis miſſione uirtutem æſtimate oportebit; nec non ea, quę uirtutem, uel robuſtam, uel debilem deſignare ſolent, hoc enim modo temporis opportunitatem expectabimus, quare indicans, ut prę ſens tempus uniuerſale nobis deſignat, modus uerò tempus determinatum, & particulare definit, quod opportunitas, uel occaſio appellari debet.

Eadem quoque ratio in loco eligendo eſt nobis obſeruanda, etenim cū ſanguis lienis regionē occupet, indicationis ratio poſtulare uidetur, ut ibidem uena ſecetur, & ex eodē loco ſanguis detrahatur in quo peccat, exuberatque: quod ſi quis prę ſtare uoluerit neceſſe erit, ut in regione lienis fiat ſectio, & adeo ampla, & profunda, ut uenam aliquam ibi exiſtentē aperiat, ſed quia uirtus id non permittit, ob id modus eſt adhibendus, quare uena erit eligenda, quę cum illa parte conſentiat, ſiue euacuare, ſiue auertere uolueris, qua de re fuſius ſuo loco diſputabitur.

Quod uerò diximus de ſanguinis miſſione, idem de cæteris auxiliis dicendum eſt, ſit enim ex. g. febris hoc eſt intemperies calida, & ſicca, quę à naturali ſtatu recedat per duos gradus, ut ita dicam, qui non incipiunt, aut

finiunt,

finiunt,ſed in medio conſtituti ſunt,quam differentiam ſecundam manſio-nem medici vulgo nominare conſueuerunt. non enim maior eſt ratio, vt ordines, & gradus in medicamentis quàm in temperaturis, & alijs huiuſmodi conſtitutionibus obſeruentur: quod cũ ita ſit merito febris oritur indicatio refrigerãdi,& humectandi, & quia receſſit à naturali ſtatu per duos gradus in ſecunda manſione,(ſi tamen fieri poteſt,vt id cõiecturis aſſequamur) ideo per duos gradus in ſecunda manſione refrigerantibus,& humectantibus ad ſtatum naturalem reuocare debemus, hinc ad pharmacoplaſticam doctrinam deſcẽdimus,vbi multiplex ſeſe offert materia, & quæ intrinſecus, & extrinſecus adminiſtrata refrigerare, & humectare poteſt. Ex his omnibus fiat ex.g.delectus endiuiæ; docet ars pharmacoplaſtica endiuiam pluribus modis parari poſſe, cum ex ea fieri poſſit, & aqua ſtillaticia, & decoctum,& ſuccus condenſatus,& liquidus,& aliæ id genus formæ; at quid eſt illud,quod ſuadet medicum, vt aquam potius, vel decoctum, uel ſuccum,vel aliud quid huiuſmodi vſurpet quàm eiuſdẽ endiuiæ propriam ſubſtantiam? hoc loco quantum obſeruare potui,& in praxi,& apud bonos ſcriptores, inuenio medicos duo potiſſimum ſpectare tum naturam patiẽtis, tum uirtutẽ; quare ſi uidebimus endiuiam quouis modo paratam æquè refrigerare poſſe, tunc virtutis ratio erit habenda, & natura ſeu guſtus, & proprietas patientis erit conſulenda, præterea nihil. quòd ſi obſeruabimus endiuiam quouis modo paratam non æquè refrigerare, & humectare poſſe,tunc formam eligemus quæ vt duo, & in ſecunda manſione refrigerare, & humectare poſſit. Cùm igitur æquè valeant formæ medicamentorum, neque ſit aliquid,quod prohibeat ſine ullo diſcrimine hoc,uel illo genere vti poſſumus,ac debemus; quare modus agendi in hoc nõ conſiſtit, vt potius hanc quàm illam pharmaci formam uſurpemus; immò ſi maior fuerit receſſus à naturali ſtatu,neque ſit aliquid quod prohibeat,non ſolum exhibebimus medicamentum,quod uim habeat refrigerãdi, vt duo in ſecunda manſione, verùm etiam actu frigidum adminiſtrabimus, veluti ſi receſſus fuerit,vt duo in tertia manſione,& medicamentum refrigeret, vt duo in ſecunda manſione, vel prima; porrigere itaque medicamentum aut frigidũ, aut tepidum non pertinet ad modum agendi,ſed ad augendã,uel minuendam vim medicamenti.

Rurſus ſi materia biliofa in uenis exiſtens fuerit purganda, curator diligentiſſimè conſiderabit quantus ſit receſſus à naturali ſtatu, id quod ex copia bilis, & hanc ex ſignis obſeruabit, (ſit enim ſermo de peccato in quanto) perſpecta bilis quantitate, ſtatim indicatio ſeſe offert purgandi bilem in ea quantitate, quæ peccabit, his cognitis oritur initium inueſtigandæ materiæ accommodatæ, confugimus ad ſyluam medicamentorum,ſeſe offerunt multæ materiæ cholagogæ,inter has fiat delectus rhabarbari,& cum bilis poſſit peccare in maxima quantitate, in minima & mediocri, & ſic maximè, mediocriter & parũ à naturali ſtatu declinare; ſi maximè peccabit docebit quoque ualide purgandũ,ſin mediocriter,mediocriter purgandũ;ſi denique parum, parum quoque purgandũ eſſe: & ſimul ac ſemel quàmuis per accidens, uel maximam, uel mediocrem, uel minimam doſim materiæ

cholagogæ capiendam esse; ars verò pharmacoplastica tribus modis, vel sub triplici forma hanc nobis parare potest nempè in potione, in bolo, & in forma pillulari; ac quid est quod persuadere possit, ut hanc potius quàm illam formam vsurpemus, si æquè, & eodem modo purgare possunt nihil certè quod uideam: sed cur fit, ut interdum hanc potius quàm illam amemus, non aliam sanè ob causam id cõtingere arbitror; nisi quia est aliquid quod prohibet quominus promiscuè hac vel illa forma uti ualeamus, siue sit morbus, siue uirtus, siue natura patientis, siquidem existente febri, si rhabarbarum in forma pillulari exhibeatur cum tardius à calore naturali tanquàm ab agente ad actum deducatur, fit ut calorem febrilem adaugeat, præsertim, cum nihil admixtum habeat, quo illius caliditas hebescat, & refrangatur, ne itaque morbus adaugeatur in febribus libentius potionibus, quàm pillulis uti solemus. Verùm si proprietas patientis potiones non sustineret ad bolos esset confugiendum, quòd si neque bolos, pillulæ non essent improbandæ, dummodo post illarum deglutitionem, aliquod apozema, ui cuius caliditas rhabarbari remitteretur superbiberetur: forma itaque medicamenti accidentalis à nullo ex tribus propositis indicantibus indicatur: nam etsi morbus prohibeat formam pillularem, non tamen indicat potionem, alioquin duo sub eadem ratione indicarentur: non est itaque vt dicamus passionem indicantis, aut naturam indicantis sub ea ratione, qua facilè vel difficile à medicamento expugnari potest, formam hanc vel illam indicare, quoniam non est dubitandum, quin pharmacoplastæ possint parare potionem, quæ æquè possit, ac bolus, uel forma pillularis.

Neque est quod quispiam dicat medicamenta solidiora ex longinquioribus attrahere posse quàm liquidiora, quoniam ut agant medicamenta vis illorum de potentia ad actum deducatur est necesse; ubi verò ad actum perducta fuerit momento temporis per uenas, & arterias, immò per vniuersum corpus diffunditur, ipsumque immutat, sibique simili affectione alterat: unde preter attractionem, quæ fit ob qualitatis, seu proprietatls similitudinem, uirtus quoque expultrix irritata mouetur ad id quod est noxium propulsandum, quam doctrinam nobis scriptam reliquit Gal. primo de sem. 16. quare si tes ita se habet. Cùm par sit uirtutis, tum solidioris, tum liquidioris medicamenri ratio, quid est, quod uelint solidiora ex longinquioribus partibus, & magis occultis quàm liquidiora purgare? Aliunde itaque agendi modus est petendus, & cum medicus id quod præscribit indicans perpetuo ad unguem præstare non possit (alioquin miseros patientes sæpè ad interitum perduceret) hinc fit ut in usu horum medicamentorum modus, mensura, & ratio sit adhibenda, quare confugiendum est ad virtutem, & si fortè fortuna virtus fuerit, debilis, ut tantam euacuationem sustinere nequeat, non maximam, non mediocrem, sed minimam dosim usurpabimus, immò quandoque purgantia omnino prætermittemus, & lenietibus solis vtemur; vel sola deata adhibitis clysteribus beneficium temporis expectabimus.

Neque audiendi sunt illi, qui dicunt in vlceribus tracheæ arteriæ medica-

dicamenta Emplastria esse adhibenda, eo quia passio humiditatis exsiccandæ hoc indicare videtur, neque illi, qui uolunt stillicidium in intemperie cerebri à passione ipsius intemperiei indicari, quoniam duplex datur modus quorum alter, vt supra diximus pertinet ad artem medicamentariam, & alias artes manuarias; alter ad methodum medendi, & sicut hic modus utendi, siue modus in vsu nominatur, sic ille modus parandi, seu formandi medicamenta, & alia instrumenta nominari deb-t:rursus hic forma medicamenti, seu instrumenti, ille mensura, regula, ratio, æquitas & moderatio in vsu appellatur. hic ad medicum curatorem, ille ad pharmacopæum, ad thermopylam, & alios artifices medico curatori inseruientes pertinere uidetur. etenim si ulcus arteriæ sit exsiccandum, vt medicamentum agat in ulcus est necesse, & quoniam actio fit in tempore, ergo medicamentum adhærere debet, vt permaneat, quare curatór medicus sumpta indicatione ab humiditate vlceris temperabit medicamentum quod uim habeat exsiccandi, ita tamen, vt adhæreat, quare pharmacopæus cum his, quæ uim habent exsiccandi permiscebit ea, quæ uim habeant adglutinatoriam, idem de stillicidio dicendum est, etenim si cerebri intemperies calida fuerit, vt duo, & lauacrum, seu balneum non sit materia, quæ uim habeat refrigerandi, vt duo, ad stillicidium confugiemus, vt pote ad formam medicamenti, quod uim habeat penetrandi, & sic refrigerandi, ut duo, quod si forma balnei tantundem posset, balneo libentius vteremur, quare à thermopyla, & à pharmacopæo petimus formam illam medicamenti qua nobis præstare possit, quod ab indicante præscribitur. forma itaque medicamenti quamuis materia nominari possit non erit modus utendi, seu modus in usu. sed modus parandi, seu modus in compositione & formatione.

Quod verò dictum est de stillicidio, idem dicatis de cathetere, de candela. de turunda, seu lineamentis, de clysteribus, de spongia, de pesso, de metrēchyta, & alijs id genus.

Hoc idem nobis luce clarius significauit Gal. 3. meth. 4. sub finem, vbi dicebat considerandum esse an medicamentū ad imū peruenire valeat, quòd si cognoueris ad fundum uis medicamenti perduci non posse, humiditatem quandam desiderat, quo simile emplastici sit, uel etiam humidioris cuiusq; medicaminis. Verum subdebat Gal. speculationem hanc propriam esse operis eius quod ad compositionem medicamentorum pertinet, non eius quod de medendi ratione constituitur.

Quòd si quispiam obijceret nobis authoritatem illā Galeni 13. meth. 21. ubi admonet præsidiorum formulam ex affectus natura inueniri. Sciat is Galenum de specie auxilij non autem de forma accidentali materierum sermonem habere, id quod uerba græca satis manifestè declarant siquidem quod formulam transtulerunt Græcus codex habet. ἰδέαν.

Et quāuis indicans doceat quolibet tempore purgationē hanc nos moliri posse; attamen cum uirtus id perpetuo nō permittat, ob id ratio, seu modus in tempore deligendo erit adhibendus, & quoniam in his purgantibus, quæ benigna sunt administrandis vnus locus est aptus, & accommodatus nempè ventriculus, quando aliter administrata uirtutem suam non

osten-

ostenderent, hinc fit, ut nulla sit ratio, nullus in loco modus obseruandus, quod de naturæ admodum contrarijs quale hydrargyrum non est dicendum.

Ex his itaque satis constat quid sit modus, seu ratio, & mensura in vsu medicamentorum, & quod nullus sit scopus distinctus, & ab alijs separatus.

Tempus agendi utrum ex necessitate ab aliis scopis distinguatur. Cap. XXIIII.

TErtia quoque difficultas oritur ex dictis, quoniam inter scopos rectæ administrationis tempus enumerauimus, cum tamen tempus à qualitate, & quantitate auxilij re ipsa non distinguatur, quod probauit Galen. in lib. artis med. 84. hoc modo, quod eget aliquo auxilio, expetit quoque vt illud tunc temporis subministretur, sed indicans tale, ac tantum auxilium, eo indigere videtur, ergo indicans expetit, ut tunc temporis suppeditetur: quare qui nouerit qualitatem, & quantitatem auxilij administrandi, tempus quoque opportunum nouisse uidebitur, semper enim dum adest indicans tempus esset opportunum nisi adesset aliquid quod prohiberet, non est itaque necessarium inquit Gal. temporis occasionem, ut quid diuersum à qualitate, & quantitate auxiliorum introducere.

Ad hanc difficultatem dicendum, est uerum esse quod scribit Galenus hoc est tempus agendi non esse scopum à qualitate, & quantitate disiunctum, sed vt ipsemet Galenus ibi docet, à cæteris scopis facilioris doctrinæ gratia separari, quemadmodum nos in opusculo nostro de natura cauterij fecisse uidemur, vbi de recta cauteriorum administratione locuti fuimus aliorum opinionem potius quàm rei ueritatem secuti ne in parergo plus temporis quàm in ergo consumeretur.

Vtrum tria tantum sint indicantia. Cap. XXV.

MOuent nonnulli, & alteram difficultatem ducti authoritatibus, tum Galeni, tum aliorum scriptorum siquidem non tria, sed plura proponunt indicantia.

Argenterius nanque in primo de officio med. 9. non tres; non quatuor, aut quinq;, sed nouem scopos dicebat medicos in morbis curandis cõtemplari debere, hoc est an agendum, quid agendum; quibus: quali: quantum: quomodo: quo tempore; quo loco: & ordine.

Cui difficultati, ut breuiter respondeamus dicendum est Argenterium non solum scopos curatiuos proposuisse, sed omnes, qui in arte medica considerari possunt, quare ex doctrina de signis an agendum desumpsit, ex doctrina uerò simplicium, & de compositione med. quibus, & quale, ni forte per quale intellexerit, quid agendum, potuisset etiam ordinem ad

tempus

tempus referre si uoluisset; sed facilioris doctrinæ gratia ab eo distinxit: quare Argenterius, nec nobis, nec Galeno, nisi verbis tantum repugnare videtur, cum nos unà cum Galeno de scopis curatiuis tantum sermonem habeamus.

Dubitant & alij aduersus hunc ternarium numerum ducti authoritate Galeni 2.meth.ultimo, vbi dicebat Gal. morbum, symptoma, passionem, sanitatem, paritatem, robur, potentiam, & alia id genus, corporibus inesse partim, ut affectus, partim ut actiones, partim, ut passiones, præterea quædam naturaliter inesse, quædam præter naturam, ex quibus omnibus, & singulis sumitur indicatio, quod si sic est, ergo dicet quis non tantum sumitur indicatio à morbo, causa, & uirtute, uerum etiam ab actione, & passione.

Facile soluitur hæc difficultas si dicamus actionem, & passionem ad symptomata referri posse, à quibus interdũ sumitur indicatio, quoties uim causæ subeunt; uel impropriè, & per accidens ut signa.

An præter morbum, causam, & uirtutem, temperatura, quoque sit indicans, & curatorium propriè nominari posit. Cap. XXVI.

ALtimarus in lib. de feb. parte prima, capit. 30. aduersus Angenterium nec non aduersus opinionem nostram tenet, & arcte tuetur à temperatura curatiuam indicationem per se, ac primaria ratione capiendam esse, & propterea non tria, sed plura esse indicantia, atque hoc nititur probare authoritate Galeni 9. meth. 14. vbi habet Galenus medicatorias indicationes à morbo ipso, a corporis temperamento, & ambiente nos aere trahendas esse, neq; posse plura esse indicationum genera, quæ ad medendum pertinent quàm hæc tria.

Atque ne cogeretur Altimarus dicere ab his, quæ non sunt, aut non permanent curatiuas hauriri posse indicationes (fuit enim uir doctissimus) admonuit non eam fuisse Galeni opinionem, ut indicatio caperetur a b illa temperatura, quę fuit, antequam homo incideret in morbum: sed ab ea, quę illo tempore fuit, quo ægrotare cępit, atque hoc idem confirmauit Galeni testimonio 11.meth.3. vbi ait præstari uerò modi auxiliorum indicationes ex eo temperamento, quod iam præsens sit, ita nimirum sicut in ætate; non quam æger prius habuerit, sed quam nunc habeat, quare non ex eo inquit temperaméto quod prius fuit antequam homo laboraret: sed ex eo quod iã præsens est: & hoc inquit uoluisse significare Gal. 9. meth. 14. & 11. meth. 3. quoniã non est credendum inquit Altimarus temperamentum illud corporis, quod aderat, dum æger laborare cæpit iam abijsse; sed adhuc in corpore manere licet quodammodo immutatum ab ipso morbo, quod probat ex hoc quoniam febris est cõuersio quędam natiuæ caliditatis in igneã non autem natiuam caliditatem conuersam; quoniam si conuersa esset, corpora omnino corrumperentur; & interirent.

Hæc Altimarus, cuius opinionem & pluribus alijs Galeni authoritatibus

tibus possumus nos comprobare, siquidem Gal.3.meth.3. dicebat, quod est vtile ad sananda vlcera partim ex vlcerum diuersitate, partim ex ægri natura indicari, & eiusd.libr.capit.7.scribebat tum ægri naturam esse considerandam, tum cuiusque hominis propriam esse curationem & cuiusque naturæ ineffabilem proprietatem esse. capit. uero 9. docebat primam indicationem sumi ab effectu, remedia tamen inueniri non posse, nisi prius temperamētum tum totius, tum partis affectæ una cum ambientis temperie fuerit æstimatum. Confirmabat idem 11.meth. 1. cum diceret quæ curationem indicant, prout in duo diuiduntur, sunt affectus, quem curamus, & partium ægrotantium temperies, quæ vna cum ipso morbo contrarietatis mensuram definit; idem quoque scriptum reliquit 7.meth.13.ubi dicebat primā indicationem à laborantis loci temperatura capiendam esse, quæ mensurā præscribit, uel refrigerandi uel calefaciendi, uel aliud quid huiusmodi etiā coniunctè faciendi,

Hanc opinionem, quę iamdudum serpit, hæret, & insita est, ex animo quorundam eijcere, ac penitus euellere quamuis arduum, ac difficile admodū arbitramur, nihilominus spero obstrusis, & reconditis sensibus Galeni patefactis, & collustratis, neminem fore, qui non fateatur Altimarum, & quicūq; uerbis Galeni nimis addicti fuerunt, neglectis sensibus, longè lateq; à rei ueritate aberrasse; atque vt veritas hæc magis illucescat, illud in memoriam reuocare debemus quod superius diximus, hoc est ad naturam indicantis constituendam illud in primis desiderari, vt quodlibet pro natura sua indicet, & sic vnum ab uno indicari, atque illud necessariò curari, quod curationem indicat, cum ex Gal.3.meth.1.absurdum sit aliud esse, quod per se curationem indicet; aliud quod curetur: pręterea quod est secundū naturā tibi simile indicare, & quod indicat necessario adesse, & permanere; quibus iactis fundamentis liquidò constat nullam temperaturam, siue totius corporis, siue partis afflictæ, siue natiuam, siue aduentitiam dicas, curationem indicare posse, quoniam cum temperatura sit quid secundum naturam sibi simile indicabit, ut ex.g. Socrates temperaturæ calidæ in 1. laborat febri ardente, & propterea intemperie calida, & sicca in secundo gradu; temperatura illa calida in primo numero seu gradu docet recessum morbi à naturali statu per unum gradum, quare ab intemperie, sic appropriata, & limitata, seu definita oritur indicatio refrigerandi, ut unum, auxilium hoc cum sit contrarium intemperiei per se indicatur ab intemperie, ergo per se indicari non potest à temperatura naturali, non enim duo per se unum indicare possunt, ut ratio dialectica persuadere uidetur. quare si temperatura ad auxilium illud inueniendum conducit id per accidens, & secundaria quadam ratione fieri putare debemus: quatenus, scilicet mensuram definit recessus à naturali statu, & sic ut est nota, & signum illius recessus, & hoc est quod monuit Gal.7.meth.13.& 11.meth.1.vbi dicebat temperaturam ad inuentionem eius quod expedit conferre, vt illa, quæ cum morbo contrarietatis mensuram definit; quare aliud est indicare, aliud mensuram contrarietatis definire.

Cum itaque ait Altimarus confert ad inuentionem auxilij ergo ad illud

lud inueniendum quod eſt utile pro ſui cuſtodia, totum hoc eſt falſum, & multò minus verum eſt ſibi ſimile indicare, quoniam ſi per ſe indicaret ſimile, indicaret auxilium calidum in primo, cum iam ſuppoſitum ſit Socratis temperaturam eſſe calidam in primo.

Rurſus ſi temperatura per ſe curationem indicaret, eadem curaretur. Sed temperatura naturalis non curatur, ergo per ſe non indicat curationem.

Ad hæc ſi temperatura per ſe indicaret curationem, & ſic auxilium frigidum, ut vnum, cum per ſe quoque indicet auxilium calidum, vt vnũ, ſequeretur ab uno per ſe duo auxilia contraria indicari, immo ſi frigidum, vt vnũ per ſe non autem interuentu morbi indicaret, non ſui cuſtodiam, ſed interitum deſideraret.

Poſtremò quod non eſſet, indicaret: quare non eſt audiendus Altimarus cum inquit temperaturam naturalem adeſſe, vbi adeſt intemperies calida, & ſicca totius corporis, quoniam ſi hoc eſſet verum, ſequeretur duo contraria eodem tempore in eodem ſubiecto eſſe poſſe; immo idem numero & ſecundum naturam, & præter naturam eſſe; quo quid abſurdius dici excogitarive poteſt?

Hoc autem quod verum ſit, facile ex eo probari poteſt, quoniam temperatura illa, quæ aderat quo tempore ægrotare cæpit, vel omnino ſeruatur, vel mutatur placet non ut caſſo: Altimaro, vt ſeruetur, ſed aliquantis per mutata; at neſcio ego videre quo pacto aliquid ſub eodem gradu ſeruetur, ita vt optimæ fiant actiones, & inculpatæ, & ab eodem recedat, ut labefactentur.

Neque accurata, & meditata illius commentatio ad falſam hanc opinionem confirmandam multum ualere arbitror; cum inquit febrem non eſſe calorem natiuum in igneum conuerſum; ſed conuerſionem caloris: quòd ſi conuerſio eſt caloris inquit Altimarus, ergo temperatura naturalis nondũ receſſit a proprio gradu, & ſic permanet; quoniam ſi recederet inquit ille ita, vt temperatura naturalis fieret præter naturalis, proculdubio corpus humanum corrumperetur, atq; interiret.

Enimuero qui à uerbis ad ſenſus non à ſenſibus ad uerba procedunt, & rei naturam contemnunt, ſi quando eò deducuntur, ut falſa, & puerilia iactent, obloquantur, & colloquantur, venia digni ſunt exiſtimandi. putauit Altimarus fieri non poſſe, ut naturalis temperies ſtatum mutaret abſque totius corruptione, ac ſi nulla daretur latitudo, neque cum ſemel à ſtatu ſuo declinarit, ad priſtinum ſtatum reuocari poſſet, & propterea non auſus eſt concedere febrem calorẽ eſſe natiuũ in igneum conuerſum, ſed eſſe cõuerſionem, & ſic in fieri; quod ſi eſſet uerũ, omnis morbus eſſet in fieri, & hoc modo nullum daretur indicans, quando ad naturam indicantis hoc unum pręcipuè deſideretur, ut permaneat; non eſt itaque exiſtimandum temperaturam illam naturalem, quæ aderat quo tempore quis febricitare cæpit, adhuc ſub eodem gradu permanere, neque naturalem appellari poſſe. Neque propterea damnandus eſt. Gal. 9. meth. 15. qui dixerit temperiem illã, quæ aderat quo tempore quis febricitare cæpit, eſſe conſiderandam, quoniam

niam non hoc dixit,ut ſignificaret ab ea indicationem curatiuam eſſe capiendam; ſed ut admoneret eam eſſe ueluti ſignum, ac terminum quo inſpecto medicus receſſus a naturali ſtatu metiri poſſet; & ob eandem cauſam dicebat Galen. medicum illum melius, ac tutius ægra corpora curare poſſe qui naturam illorum antea nouiſſet, quam illum, cui illorum natura nondum fuerit perſpecta: temperatura itaque ad curationem conducit, vt ſignum, non autem, ut indicans niſi per accidens, nec inconueniēs eſt illa uim ſigni habere, quæ non ſunt hoc tempore, ſed antea fuerunt, vt infrà declarabitur.

Sed quoniam adducere inconueniens non eſt ſoluere difficultates, ideo authoritates Galeni primo aph. 14. & primo de ratione uict. 18. quibus probabat ortum febris eſſe conuerſionem natiui caloris in igneum, non ſunt à vero ſenſu deflectendæ; ibi enim Galenus febris generationem non autem febrem abſolutam ſpectauit, alioquin ſibimet repugnaret, cum paſſim, & vbique dicat morbum neceſſariò habere permanentiam, vt latius ſuprà diſputauimus; at quomodo febris ſit calor natiuus in igneum conuerſus abſque interitu corporis, non eſt in præſenti diſcutiendum ne omnia in omnibus.

Quo verò ad reliquas Galeni authoritates ex his quæ dicta ſunt facilè apparet ad quem ſenſum ſint traducendę, & primo quo ad illam quæ ſumitur ex 9. meth. 14. nos dicimus Galenum per morbum, temperaturam, & aerem omnia comprehendiſſe quę ad curationem erant neceſſaria; quoniam virtute rerum præter naturam, naturalium, & non naturalium inueniuntur remedia cuilibet ægritudini maximè accommodata; tria itaque propoſuit Gal nō indicata per ſe, ſed vnum indicans, reliqua ſigna, vt inferius vbi de utilitate rerum naturalium diſputabitur.

Ad alteram uerò authoritatem. ex. 3. meth. 3. ſic dicendum cenſeo vlcera non aliter quàm per exſiccationem ſanari poſſe, at quantum exſiccandum ſit docet receſſus à naturali ſtatu, quare quo maior fuerit copia humiditatis, eo magis exſiccare oportebit, quo minor, & minus exſiccandum. hanc uerò humiditatis maiorem, & minorem copiam docet vlceris diuerſitas, ſiquidē quo maius, ſeu magis amplum fuerit ulcus, maiorem humiditatis copiam ſubeſſe ſignificabit, quo anguſtius minorem. Temperaturam uerò duobus modis conferre ad inuentionem menſuræ auxilij exſiccantijs manifeſtè conſtat: quoniam temperatura tum totius, tum partis affectæ duobus modis conſiderari poteſt, ac debet. vno quidem modo per ſe, & abſolutè; altero modo, vt refertur ad ulceris humiditatem. ſi per ſe conſideratur vim indicantis uitalis habere dicitur, quia ſibi ſimile indicat, at ſi ad vlceris humiditatem referatur ſignum erit, & nota receſſus humiditatis a naturali ſtatu, ut latius ubi de temperaturæ vtilitate dicitur.

Quò verò ad alteram authoritatem Galeni quæ habetur in cap. 7. eiuſdē libri, ſciendum eſt Galenum ibi duplicem proponere temperiem nempè totius corporis cum inquit ſpectandam eſſe naturam ægri; & partis affectæ, cum ait conſiderandum eſt, cuiuſque hominis eſſe propriam curationem

ſiquidem

ſiquidem temperatura partis affectæ unà cum temperatura totius corporis ægrotantis curationem alioquin communem propriam reddunt, quod verò addit præter hæc attendendam eſſe cuiuſq; naturæ ineffabilem proprietatem, nihil aliud ſignificare uoluit, quàm nō ſatis eſſe cognouiſſe gradum tum naturæ totius, tum partis, uerum ſi fieri poteſt minuta, & vt aiunt manſiones illarum eſſe ponderandas, uel per proprietatem ineffabilem intelligit Gal. proprios naturarum modos, qui faciunt, ut remedia etiam ſi optimè fuerint adminiſtrata fine ſuo deſtituantur, ut voluit Gal. in lib. de renibus, verum huiuſmodi ineffabilis proprietas inter indicantia non eſt enumeranda: quod enim ignotum eſt, indicare non poteſt.

Ex his quæ iam dicta ſunt patet etiam expoſitio aliarum duarum authoritatum, quæ deprompta ſunt ex 11. meth. 1. & 7. meth. 13.

Authoritates Galeni quæ plura ſtatuunt Indicantia quàm tria. Cap. XXVII.

DVbitant quoq; nonnulli aduerſus ternarium numerum indicantium ſumpto argumento ex authoritate Galeni 3. meth. 3. vbi docet curationem ulceris caui compleri ſumpta indicatione, tum à laborantis temperamento, tum à medicamentorum facultate: quod ſi ſic eſt non tria tantum erunt indicantia morbus, cauſa, & virtus, ſed inter hæc locus quoq; affectus, & vis medicamentorum numerabitur: idem quoq; probant pluribus alijs Galeni authoritatibus.

Siquidem Gal. 3. meth. 9. & 9. meth. 14. & 15. nec non lib. de ſectis 3. propoſitis indicātibus addit aerem. 4. meth. 3. præter morbum, temperaturam, & aerem numerat quoq, & id quod à primo ſcopo ſuggeritur, & quæ temperiei, & aeri cognata dicuntur. 11. meth. 1. præter affectum, temperiem, & aerem, cęli quoque ſtatum, anni tempus, regionis naturam adnectit, ętatem quoque indicare ſcribit 4. de ratione victus 19. 11. meth. 1. & 15. 1. de curandi ratione per phlebotomiam 1. At 8. meth. ult. 9. meth. ultimo. & 10. meth. 1. præter ætatem, & naturam propoſuit ſpeculandam eſſe conſuetudinē, locum habitationis, anni tempus, & cœli ſtatum. 3. meth. 8. non ſolum aerē conſiderandum uoluit, ſed eidem quoque curationem adhibuit. Immo 9. meth. 15. propriam ab aere indicationem hauriendam docuit, id quod, & confirmauit 9. meth. ultimo, augebat quoque numerum indicantium 7. meth. 13. cum dicebat primam indicationem hauriri à laborantis loci temperatura, quæ menſuram præſcribit alterandi, ſecundam ab actionibus partis ſi omnibus alijs partibus ſit communis, aut communem virtutem ſubminiſtret, tertiam ab ipſius partis figura, quartam à poſitione, cuius portio eſt ad uicinas animalis partes ſocietas, tum præter hæc ſumitur ab ipſa ſentiēdi, vel acrimonia, vel hebetudine, quod idem confirmat Gal. 4. meth. 7. & 7. meth. 13. necnon 2. ad gla. 1. & 2. idem approbat 13. meth. 7. 5. meth. 5. 13. meth. 22. 14. meth. 5. & 6. meth. 5. præter ſcopos propoſitos plures quoq; alios enumerauit Gal. in lib. de rerum affectus dignotione, & medicatione 5. ſi tamen liber eſt Gal. author namq; illa quicunq; ſit docet ab vnica diſpoſi-

ſpoſitionis indicatione perfectam, & exquiſitã curationem parari non poſ-ſe; ſed medicum adhuc aliis indigere, quæ ab eo genere non ſunt aliena; ſiquidem variari curationem dicebat pro variis cauſis, ætatibus, locis, anni temporibus, habitibusque & diſpoſitionibus, moribus, & conſuetudinibus, temperamentis, ſenſus facilitate, & difficultate, partium differentiis, poſi-tionibus, aliisque id genus compluribus, & propterea opus eſſe medicum diligenter id noſce, quod eſt ſecundum naturam, quoniam celerius cogno-ſcet id, quod eſt præter naturam: & ſubdit prædictas cauſas non ſolum me-dicationem uariare, ſed proprios quoque naturarum modos, propter quos medicamenta uel plurimum probata ſæpe nihil conducunt, & fallunt.

Tanti fuerunt Galeni authoritates apud nonnullos, illiusque verba ita coluerunt, ac uenerati ſunt, ut piaculum facere uererentur, ſi tantillũ qui-dem commutarent illa, & ad optimum ſenſum traducerent, nõ animad-uertentes ſæpius Galenum admonuiſſe rem non uerba ſpectari debere: quare mirum non eſt, ſi Augerius Ferrerius, Altimarus, Sebaſtianus Pa-parella, & plerique alii uiri de re medica optimè meriti, ſcopos curatorios plures, plures præſeruatorios, plures uitales ſtatuerunt: à quo quidem er-rore ferè communi, ut uindicetur medicorum poſteritas, Galeni authorita-tes, quæ totam hanc doctrinam labefactare uidentur, ſunt nobis explican-dæ, ut inde appareat unam eſſe Galeni doctrinam firmam, conſtantem, at-que philoſophiæ dignitati minimè repugnantem.

A virtute medicamentorum nunquid capiatur in-dicatio. Cap. XXVIII.

PRoponebatur Galeni authoritas. 3. Meth. 3. in qua Gal. uidebatur inter indicationes ſanandi ulceris caui proponere ſubiectæ partis temperiẽ, atque ſimul medicamentorum facultatem. At quomodo temperatura par-tis afflictæ ad ulcus ſanandum conferat iam ſuperius dictum eſt: qua verò ratione uis medicamentorum, inde patet quod medicamenta ſub ea ratio-ne, qua proſunt, uel nocent, ſignificant medicum exſiccationis gradum at-tigiſſe, & ſic nouiſſe, uel ignoraſſe; quare vis medicamentorum erit ſignum receſſus humiditatis à naturali ſtatu, & propterea indicantis appropriati, quantum humana ratio conſequi poteſt; quãdo ad unguem proprium, nec ſcribi omnino poteſt, nec dici, ut ſcribit Gal. eodem 3. Meth. 3. erit quoque ſignum humoris peccantis, ut placuit Gal. 1. aphoriſ. 2. ubi ait Hipp. In per-turbationibus uẽtris, & uomitibus qui ſponte fiunt, ſi talia purgentur qua-lia purgari oportet, confert, & facilè ferunt. Virtus itaque medicamentorũ non eſt indicans per ſe, ſed per accidens, ac ueluti ſignum eorum, quæ per ſe, & propriè indicare dicuntur.

Ab aere vtrum capiatur indicatio. Cap. XXIX.

ADdebat Gal. ſcopis ſuperius propoſitis. 3. Meth. 2. aerem, qui utrum ſit tertius ſcopus curatorius, ut quidam uiri excellentiſſimi uoluerunt, an

præſer-

ſeruatorius; an materia tantũ remedij non licet prius cognoſcere, quàm per ſpectũ ſit nunquid aeri omnes indicantis conditiones, ſeu proprietates conueniant, etenim quòd agat in corpus, quod præſens ſit, quod ſit vnus & notus nemo eſt, qui dubitat, vtrum verò permaneat, & curetur hoc eſt illud, quod viros doctiſſimos valde ſolicitauit.

Nos verò ne in aliorum opinionibus reprobandis multum temporis conteramus, quando perſpecta rei veritate ſponte corruant, & euertantur, dicimus aerem nullo modo per ſe indicare poſſe, quoniam & ſi corpus alterare, ac immutare poſſit vt ſcribit Gal. 1. in primum de vulg. morb. 1. & 8. nec non in lib. art. med. 85. & 2. de tuen. 15. 1. de diff. feb. 4. & alibi, quamuis præſens ſit, & notus, nihilominus cum permanentiam non habeat in corpore, indicare non poteſt: quod verò permanentiam non habeat ſic probatur; aer quo utitur animal poſtquàm in lucem venit eo pertinet, vt ſpiritus, quorum maxima ſit reſolutio reficiantur, & fons natiui caloris aeris quadam dulcedine attemperatus functiones ſuas obire poſſit: ſed aer poſtquam corpus humanum ingreſſus eſt, ſiue per inſpirationem, ſiue per oſcula, & meatus arteriarum attractus ingrediatur, ſi permaneret ſuffocaretur animal; non eſt itaque dicendum aerem in corpore permanentiam habere: ſed in ſpiritus, vel commutari, vel expirari, vt iure optimo quod intus eſt aeris Galen. primo de diff. feb. primo ſpiritum, quod verò extrinſecus accidit ambientis nomine appellarit.

Quod ſi quiſpiam dicat ex Gal. 3. de lo. aff. primo ex aere frigido, aqua & niue dolorem excitari, ijsq; ablatis ſtatim ab re, ab aere itaq; aqua & niue indicationem oriri.

Rurſus aerem eſſe inſtrumentum oculi ad propriorum ſenſibilium cognitionem neceſſarium, qualem cerebro neruum, vt quam habeat rationem cerebrum ad neruum eandem oculus ad aerem, vt ſcriptum reliquit Galen. 7. de decret. 5. ſed a neruo affecto ſumitur indicatio curatiua, ergo, & ab aere. Siquidem neruus ſi denſior, & obſcurior factus fuerit, vt ineptum ſit medium ad radios ſpiritus animalis ſuſcipiendos, & ab ijſdem colluſtrandum, tunc oritur indicatio, vt materia illa in neruis imbibita elidatur, & abſumatur, quare eodem modo aer ſi caliginoſus, nebuloſus, & inquinatus fuerit, & ſic medium ineptum ad ſpecies uiſibiles ſuſcipiendas, & quales ſuſcepit deferendas, oritur inducatio aerem ipſum depurandi.

Præterea inſtrumentum auditus eſt aer implantatus, qui ſi recedit à naturali ſtatu indicat, ut ad ſtatum naturalem remedio accommodato deducatur, aer itaque indicare videtur.

Hæc ſunt quæ aliquam difficultatem facere poſſunt.

Ad primam itaque authoritatem de aere, aqua, & niue dicendum eſt has eſſe cauſas externas, quæ non permanent in corpore, & notę ſunt ſenſui nõ aũt intellectui, niſi vt ſunt cauſæ doloris, & ob id ab his nõ eſſe capiendas indicationes. Præterea harũ cauſarũ conſideratio dũ lædunt corpus, ita tamen vt nõ inducatur morbus ad artẽ de tuen. valet; pertinet, quemadmodum, &

consideratio aeris, vt conducit ad uisionem efficiēdam, etenim cum sit extra corpus opera curatoris medici non desiderat.

Ad vltimam authoritatem de aere implantato, sic respōderi posse censeo sermonem nostrū esse de aere ambiente non autē de aere complantato, qui potius spiritus, quàm aer nominari debet, cum & spiritus ipse, sit aerea quædam substantia ad species soni recipiendas valde accommodata; idem de quocunque flatu dicendum est.

Cùm itaque aer propriè loquendo non indicet, quid ad Galeni authoritates erit dicendum? cum ab aere propriam indicationem capiendam, & eundem curari statuerit.

Cùm eodem Galeno sic responderi posse existimarem, ab aere sumendam esse indicationem eo modo quo sumitur à regione, cœli statu, & anni tempore, & à qualibet alia causa externa, & primitiua; sed ab his ea ratione inquit Gal. 4. Meth. 3. sumitur indicatio, qua conducunt ad eum affectum noscendum, qui omnino tum rationem, tum sensum latet, ergo & aer hoc modo indicabit, ut confert ad affectum specificum, particulare, & appropriatum cognoscendum; hic enim est affectus, qui tum rationem, tum sensum latet.

Quòd verò aer eo modo indicet, quo regio, cœli status, & anni tempus probatur sumpto argumento ex authoritate Galeni 9. Meth. 14. vbi dicebat ambiens fieri tale ex regione, cœli statu, & anni tempore, ambiens itaque eo modo indicabit, quo illius causæ: eodem modo de temperatura dicendum est, quoniam ex natura, ætate, & consuetudine, & ambiente nos aere ortum habere dicebat Gal. Immò ex eodem loco obseruari licet à solo morbo indicationem curatiuam deducendam esse. Cùm dixerit Gal. affectum haudquaquàm in causas diduci aptum esse, quemadmodum temperaturam, & aerem, sed indifferentias: etenim siquis huiusce rei causam quærat, quid aliud responderi potest quàm affectum ob eam rem in causas diduci non posse, quoniam ab eo indicatio curatiua non sumeretur, sed potiùs præseruatiua, temperiem verò, & aerem in causas diduci aptos esse, quoniam ab his indicatio curatiua non sumitur, sed ad inuentionem auxiliorum conferunt ea ratione, qua definiunt terminum recessus à naturali statu, & sic ad cognoscendum indicans appropriatum.

Hanc ueritatem confirmare uidetur Gal. 4. Meth. 3. vbi habet nullam externarum causarum curationem indicare; sed curationis indicationem ab affectu initium trahere; reliqua uerò indicare, quæ particulatim sunt agenda; quibus uerbis quid aliud significare uoluit, quàm reliqua docere ac præscribere indicans particulare, ac proprium, atque inter ea enumerat id quod à primo scopo suggeritur, ægræ partis naturam, ambientis temperiem, & his cognata hoc est causas, tum temperaturę, tum aeris.

At quis est ille, qui dicat id quod à primo scopo indicatur curationem indicare ita ut sit indicans curatorium? nemo certè meo quidem iudicio. esset adeò demens, qui hoc auderet affirmare, quoniam quid est illud, quod à primo scopo hoc est à morbo indicatur pręter indicatum, ut si ex. g. in-

temperies

temperies calida fuerit, primus ille ſcopus nihil aliud profectò indicabit quàm remedium frigidum;at quomodo frigidum remedium indicans curatorium poterit appellare cum ſit indicatum? plurimum tamen conferre poterit ad ea preſcribenda, quę particularim ſunt agenda, quoniam hoc unum docebit à frigido remedio nunquàm eſſe recedendum: temperatura uerò,& reliqua indicans genericum,& ſic indicatum particulare, & appropriatum efficient, & ſic dictabunt,quę particulatim ſunt agenda; ſic enim audiendę ſunt Galeni authoritates, ut à manifeſtis contradictionibus, & à magno ac imprudenti mendacio uindicentur. quare cum ait Gal. ab aere propriam hauriri indicationem, non eſt exiſtimandum eam fuiſſe Galeni ſententiam, ut ab aere propriè, & per ſe, ac primo ſumeretur indicatio curatiua, ſed propriam ab eo hauriri indicationem dixit,ut ſignificaret aerem indicans ſpecificum, particulare, ac proprium nobis definire.

Quòd uerò dicunt Gal.93.Meth.8.ab aere indicationem ita eſſe hauriēdam ſtatuiſſe, ut aer curetur, tantum abeſt, ut Galenus hoc dicat, ut potius oppoſitum ſit ex illius uerbis concludendum. quoniam cum in ulceribus curandis admoneret habēdam eſſe rationem, tum temperaturę partis ſubiectę, tum aeris ambientis, atque huiuſce rei rationem redderet, dicebat, quoniam non ſatis eſt cognouiſſe exſiccandum eſſe; ſed neceſſe eſſe, vt medicus quoque intelligat quantum ſit exſiccandum, calefaciendum, uel refrigerandum. Vnde concludit his uerbis. ſi igitur hęc ita ſe habent, ſicuti profecto habent; inſpicere quinetiam conuenit, & circundantis nos aeris temperiem, ſiquidem ueluti medicamentum quoddam is quoque forinſecus corporibus noſtris accedens ubi calidior, uel frigidior fuerit ſanationem remorabitur, quare inquit Gal. danda eſt opera,ut medicamenta eius exceſſui occurrant. Admonet itaque Gal. manifeſtiſſimis uerbis occurrendum eſſe ambientis exceſſui tanquàm medicamenti,cui duobus modis occurrere poſſumus, uel remedia ualidiora, uel remiſſiora,& magis benigna efficiendo, tunc enim ambiens ſignificabit temperaturam partis, uel magis,uel minus à naturali ſtatu receſſiſſe; uel aerem ipſum tanquàm medicamentum neceſſarium pro exceſſu,vel defectu alterando.

Fuerunt tamen nonnulli, qui ut probarent ab aere ſumi indicationem preſeruatiuam,dixerunt aerem ulceris agglutinationem remorari, qui inter labia ulceris intercedit,& propterea ſui ablationem indicare.

Hoc tamen quàmuis dicat Gal. non eſt omnino uetum, & Galenus eſt ſano modo intelligendus; non enim uerum eſt aerem per ſe ulceris agglutinationem remorari aut impedire, quoniam ob eam cauſam nō fit agglutinatio quia labra non ſe contangunt, etenim ſi fieri poſſet, ut daretur uacuum, & labra non adducerentur, & ſeſe contingerent, quàmuis nō adeſſet aer, nihilominus non fieret agglutinatio, quare aer non eſt cauſa impediens illam operationem niſi per accidens; per ſe uerò eſt partium, ſeu labrorum diſtantia, cum omnis actio fieri debeat per contactum,& hoc modo intelligendus eſt Gal. quando inquit aerem impedire uulneris agglutinationem.

Vtrum ab ætate, consuetudine, regione, cœli statu, anni tempore, & id genus aliis capiatur indicatio. Cap. XXX.

PRæter temperaturam, & aerem proponebat Gal. ætatem, consuetudinē regionem, cęli statum, & anni tempus, quibus uerbis quidam adducti sustinuerunt hæc omnia interuentu temperaturæ indicare; cum temperatura verò coindicare; primo nanque consuetudinem indicare dixerunt, quoniam consuetudo nihil aliud est quàm aduentitia, & rebus assuetis acquisita temperies, sed à temperatura, ut aiunt sumitur indicatio curatiua, ergo & à consuetudine.

Confirmant hoc nedum authoritatibus supradictis uerum etiam ex authoritate Gal. 2. de ratione uictus 36. 8. meth. 3. & 11. meth. cap. 5.

Nos uerò prætermissis multis rationibus quæ hinc inde deduci solent; ea ratione qua temperiem à scopis curatorijs reiecimus, eadem consuetudinem, ætatem, & quęcunq; sunt huius generis a scopis curatiuis reijciēda duximus; & qua ratione temperaturam ad inuentionem remediorum cōferre posse iudicauimus, eadem, & quæ temperaturam immutare, uel conseruare solent conferre posse dicendum est, de quibus quoniam sigillatim dicturi sumus, ob id non est, ut in his explicandis diutius immoremur; sat erit hoc tempore, ut dicamus ætatem, consuetudinem, & alia id genus conferre ad inuentionem auxiliorum, ut indicans particulare, ac appropriatum reddunt, & recessum à naturali statu designant; neque authoritates Galeni quidquam officere debent ob illas rationes, quas suprà diximus, præsertim cum Gal. quandoque seipsum explicet, quemadmodum obseruare licet 7. meth. 13. ubi habet primam indicationem hauriri a laborantis loci temperie quæ mensuram præscribit alterandi, & 7. meth. 3. ubi admonet temperaturam alterationis mensuram præscribere ex eo temperamento, quod iam præsens sit, quod si temperatura ad inuentionem auxiliorum confert, ut mensuram illorum præscribit, & sic ut signum, ergo & consuetudo cum uel temperamentum originale seruat, uel adscititium inducit, ut placuit Gal. 11. meth. 3. ut signum indicabit, & sic ætas, & quæcunque alia, quæ temperaturam, uel conseruant; uel immutare possunt, ut aer, & quæ aeris temperiem designant. Ex his itaque satis constat quomodo consuetudo, ætas & his cognata ad curationem conducunt, ut in his non sit diutius immorandum.

Ab actionibus partium præstantium, & à facultatibus utrum capiatur indicatio. Cap. XXXI.

HIs omnibus addebat Gal. 7. meth. 13. actiones partium, quæ officium commune habent, aut cōem uirtutem subministrant, quas Ferrerius inter indicationes curatiuas enumerauit, cum tamen ad curationem non aliter conferre uideantur, quàm ea, quæ superius proposita fuerunt, siquidē pars, quæ munus publicum habet, ueluti est uentriculus, aut commu-

nem

nem uirtutem fubminiftrat, ut cor, iecur, cerebrum, & teftes ad curatio-nem ea ratione conferre dicuntur, vt virtutis robur, vel imbecillitatem il-lius partis defignant, quoniam cum illarum actiones fint adeò neceffariæ, ac vtiles, virtus illarum partium perpetuò robufta feruari debet, quare a-ctiones illarum partium ad virtutem funt referendæ, præfcribunt namque virtutem, atque admonent illarum partium robur perpetuo feruandum, vt fuo loco dicetur, quod quidem locum habet in ijs intemperiebus, quæ ex humoribus ortæ funt, quoniam non leuis habenda eft folicitudo de robore virtutis, ne magna femel euacuatione vfus, diffoluas.

Quòd uerò dictum eft de actionibus, idem prorfus de facultatibus dicē-dum eft, quando & ipfæ virtutem partium definiunt, quoniam partes, quæ facultates cæteris partibus fubminiftrant, virtutem præ illarum officio fem-per debilem, & ob id feruandam fignificant.

A conformatione vtrum capiatur indicatio. Cap. XXXII.

COnformationem verò, & figuram triplicem nobis vtilitatem ad cura-tionem abfoluendam exhibere putamus, quarum duæ ad Methodum medendi, tertia ad artem pharmacoplafticam, nec non ad illas, quæ medi-co curatori inferuiunt, pertinere videtur.

Ex his, quæ pertinent ad Methodum, altera locum opportunum, & con-uenientem, feu modum in loco deligendo docet: altera quid agendum fpecificum, & appropriatum reddit: locum opportunum docere ex eo cō-ftat, quoniam fi ventriculus vitiofo fucco fuerit repletus, materia illa ea ra-tione, qua ventriculum afficit, indicat vt ventriculo applicentur ea reme-dia, quæ apta fint, & idonea ad materiam illam expurgandam, verum cum omnis actio fiat per contactum ex Gal. 4. Meth. 7. fi medicus ignorabit quo pacto parti interiori ventriculi medicamenta fint admouenda, fitus, & figu-ra ventriculi, nec non focietas, & nexus cum alijs particulis docebit, quoniam fi cōfugiamus ad anatomicam ohferuationem, & ex ea difcamus tranfitum, ac viam effe ab ore ad ventriculum, ftatim perfpectum erit re-media per os ventriculo adhiberi poffe: vtrum verò euacuatio per os, an per fedem fieri debeat, cum fitus, figura, & noxus per vtrunque locum fie-ri poffe doceant, hoc non ex fitu, & figura partis; fed ex materia euacuan-da dignofcitur, prout fluctuat, & propenfionem habet, feu raptum, uel ad fuperiora, uel inferiora: quare fitus, figura, & focietas cum aliis partibus, quæ portio fitus dicitur, ut docent locum opportunum, ad tria illa indican-tia referri non poffunt, non enim funt figna, uel naturæ morbi, uel caufæ, vel virtutis; fed modum in loco deligendo defignāt, cum virtus prohibeat quominus alio modo remedia interiori parti uētriculi adhibere ualeamus. Cùm itaque ad illa tria non referantur, ut additamenta in Methodo confi-derari debent, ut infrà dicemus.

Altera utilitas, quæ docet quid agendum fpecificum, & appropriatum exemplo ex Gal. fumpto 2. ad Glau. 2. probari poteft, quoniam fi partes

ita formatæ faciunt,ut neutra parte cauitates habeant,sed densæ pressæque sint, humoribusque imbibitæ, ueluti nerui in artubus, & spinalis medulla: figura ipsa partis significabit insignem humiditatis recessum à naturali statu, quoniam cum partes illæ à natura ita conformatæ sint, ut ægrè admodũ humorem excipiant, si quando admiserint, à naturali statu ualde recedere putare debemus non quidem per se; sed merito partis: siquidem humor potest esse exiguus, quia tamen imbibitus est in parte densiori,& cauitates nullas habẽte, ob id merito partis denotat insignem recessum humiditatis à naturali statu,quo fit ut indicans particulare,ac proprium reddat, ut quãtum sit agendum facilè describat, etenim cum sit insignis recessus fortiter exsiccantibus uti oportet: Contra uerò quæ utrobique caua sunt,quod etiã uisus est nobis significasse Gal.13.Meth.7.& 17.vbi admonet ex instrumẽtis nos cognoscere rationem pluris,& minoris in usu medicamentorum similis speciei: nam lien attenuantia,& incidentia in scirrhis, & inflammationibus vehementiora exigit, quàm iecur, quare dicebat, quale medicamentum iocinori est absinthium tale est lieni capparis cortex,& quale iocinori Eupatorium,tale lieni scolopendrium, siquidem similia genere remedia ambo uiscera postulant, cæterum tanto ualentiora lien, quanto crassiore utitur alimento.

Alteram quoque vtilitatem præbet figura, quæ ad artem pharmacoplasticam pertinet; hæc autem est, vt doceat medicamenta, quæ uim habent exsiccandi partes illas densiores humiditatem quandam Emplastici medicamenti similem,aut etiam humidiorem habere debere, vt illorum vis facilius penetrare possit.

Vbi verò subdit Gal. figuram modum excrementi euacuandi nobis suppeditare,ut uentriculus uomitu,& deiectione inaniatur,intestina deiectione tantum,sicut etiam iecinoris caua; renes verò, & uesicam, ac iecinoris gibba si multo uitioso succo fuerint referta per deiectiones expurgari, sin mediocri per urinales meatus; cerebrum per palatum, nares, & aures, pectus,& pulmones per asperam arteriam,& fauces:non est, ut credatis figuram uim habere signi, uel causæ, uel morbi, uel uirtutis, neque huiusmodi indicationes propriè ad Methodum medendi pertinere; quoniam omnis indicatio,quæ sumitur à proprietate compositionis Methodo medendi veluti additamentum est iniungenda,quare non est,ut multum laboremus in hoc ut omnia ad illa tria indicantia referantur, quoniam hoc esset absque utilitate insanire. Quod si quispiam dicat Galenum ex copia, & paucitate materiæ deiectorium,uel diureticum persuadere, dicatis materiam sui euacuationem indicare,neque magis hunc quàm illum locum sibi præscribere,nisi ut hanc, uel illam partem occupat, quare cum gibbam hepatis partem obsidebit,indicabit, ut per renes, & uesicam euacuetur; uerùm si fuerit copiosa locorum angustia prohibebit, quare deiectoriis uti pharmacis oportebit.

Vtrum

Vtrum ſitus indicet, & quomodo. Cap. XXXIII.

AT quomodo ſitus ad curationem conferat, docet Gal. 2. ad Glau. 2 dũ inquit ſitum docere per quæ euacuare oporteat, & quomodo, hoc eſt ſitum duo docere, nempè modum, ſeu formam, & ſpeciem auxilij; & locũ. ſpeciem quidem auxilii docet hoc modo, quoniã ſi ſanguis ea ratione peccet, quia cum impetu fluat ad uterum, vt inde ſequatur profluuium: ſitus vteri ſignum eſt ſanguinem ex partibus ſuperioribus præcipitari, quare ad auxilium inueniendum, quod uim habeat ſanguinem retrahendi, vel deriuandi conducit. Quod ſignificauit nobis Gal. 13. Meth. 7. vbi docebat partes inſtrumentarias, & locum, & rationem euacuationis, & quãtitatem definire: ſiquidem per rationem euacuationis nihil aliud intelligere potuit, quàm ſpeciem auxilii, quæ uaria eſt pro uarietate naturæ partis inſtrumentalis, quæ afficitur: quod ſignificaſſe nobis uidetur eodem lib. cap. 9. vbi dicebat naturam partis inflammationum curationẽ immutare, etenim quandoque reprimentia ſuadet, quandoque reuellentia, quandoque deriuantia, & id genus alia.

Locum uerò docet quoniam oſtendit uenas uteri communes eſſe, ſeu affinitatem habere cum venis interioribus cubiti, mammarũ, manuum, poplitum, coxarum, & crurum, & partem dextram dextræ, & ſiniſtram ſiniſtrę reſpondere. quare in ſanguinis reuulſione docebit locum ſanguinis reuellendi eſſe cubitum, mãmas, & manus: deriuandi uerò coxas, crura, poplites, & talos; quare uel uenas ſecare licebit, uel cucurbitas applicare, uel calefacere, fricare, & alligare.

Sed præter locum, & ſpeciem auxilii, quam ſitus partis nobis oſtendit, ipſam quoque auxilii ſpeciem reddit appropriatam, cum ſit quandoque ſignum receſſus rei præter naturam à naturali ſtatu, quemadmodum ſcribit Gal. 7. Meth. 15. quoniam alia eſt ratio curationis ineunda, cum partes ſummæ corporis intemperie laborant; alia cum profundę. Etenim ſi per ſummã corporis fiat intemperies, facta comparatione cum intemperie eiuſdem generis, & gradus, in parte profundiori exiſtẽte, proculdubio merito ſitus intemperies, quæ ſuperficiem corporis occupat, leuior eſſe iudicabitur, quàm quæ corporis partes profundas inuadit: & hoc modo ſitus indicans ſpecificum, appropriatum, & particulare efficiet, Deſignabit enim quantum ſit agendum, & ſic erit ſignum receſſus intemperiei à naturali ſtatu quàmuis per accidens; & quod de intemperie dictum eſt, idem de materia euacuanda dicendum videtur, de quibus omnibus ſuo loco latius diſputabitur; ſatis eſt, vt hoc loco cognoſcamus ſitum partis, & alia omnia ſupradicta nullã indicationem ab his quas propoſuimus ſeiunctam nobis præbere poſſe; ſed illas notis euidentioribus repræſentare.

Neque eſt quod quiſpiam dicat poſitum, & figuram ſimul indicationem à propoſitis diſtinctam tradere; nam etſi Gal. 4. illo Meth. 7. dicat à poſitu, & figura ulceris gulæ indicari, vt medicamenta ſint adminiſtranda, nõ debemus tamen exiſtimare Galenum à propoſitis iam fundamentis recedere

quoniam ex ijs quædam propoſuit tanquàm notas, & ſigna illorum, quæ propriè indicare dicuntur, quædam quæ ad pharmacopæos pertinent, ut inferius, vbi de conformatione, ac ſitu partium loquemur, fuſius diſputabitur.

Hæ ſunt difficultates, quæ viros alioquin doctiſſimos, & in arte medica diu multumque verſatos ita perturbarunt, & hoc tempore perturbant, vt quid potiſſimum ſentiendum ſit, nondum ex illorum doctrina perfectè ſciri poſsit: quibus pro uiribus explicatis ſupereſt, vt uideamus quomodo naturalia, non naturalia, & præternaturalia ad inuentionem auxiliorum, nec non ad rectam illorum adminiſtrationem conferre dicantur, atque in ijs proponendis à naturalibus exordiemur, deinde de non naturalibus, & ijs, quæ corpus humanum immutare poſſunt, poſtremò de ijs, quæ ſunt præter naturam diſputabimus, ita tamen, ut virtutis vſum in poſtremum locum reijciamus, vt illa quæ ſatis longam, & exactam diſputationem deſiderat.

Vſus conſtitutionis, & propterea etiam temperaturæ ad inuentionem remediorum. Cap. XXXIIII.

ET quoniam inter naturalia conſtitutio ſecundum naturam dignitate præcedit, ſubſequitur, illius cauſa, concomitantur accidentia, ob id de conſtitutione primo loco dicemus, quæ cum ex triplici genere inſtrumentorum compleatur temperie ſcilicet, unitate, & compoſitione, de temperatura tanquàm de potiori organo prius eſt dicendum: hæc autem quid ſit, & quotuplex dicatur non eſt, vt quidquàm dicamus, quando de his in præludijs noſtris anatomicis ſatis ſuperque dictum eſt, quare hoc unum videndum eſt, ſit ne vtilis ad inuentionem remediorum, & quam vtilitatem præbeat; quod autem vtilis exiſtat inde patere arbitror, quoniam nequaquàm fieri poteſt, vt quiſpiam remedia opportuna, & morbo accommodata inuenire poſſit, niſi illius magnitudinem prius perſpectam habeat, at magnitudinem morbi neminem prius intellexiſſe putet, quàm receſſum à naturali ſtatu nouerit, quantum verò morbus à naturali ſtatu declinet, is ſolus intelligit, qui naturalem ſtatum, ſiue conſtitutionem exquiſitè nouit, huius pars eſt temperatura, ergo temperatura ad inuẽtionem remediorum eſt neceſſaria.

Hæc autem temperatura, vel eſt natiua, vel adſcititia, vel totius corporis, vel partis. at quæcunque ſit, quantum fert humana ratio eſt cognoſcenda, quod cum planè difficile ſit, confugiendum eſt tum ad ea, quæ ſcripſit Galenus 2. de temp. vltimo, & in lib. art. med. tum ad ea, quæ temperaturam immutare ſolent, cuiuſmodi eſt conſuetudo, ætas, vitæ genus, & alia id genus familiaria, & cognata de quibus mox dicetur.

Natiuam porrò temperiem appellamus illam, quam quis à natura conſecutus eſt; vt ſiquis natura fuerit gracilis, rubri coloris, propenſus ad iram, hirtus

hirtus, & celerem pulſum habeat, hic prorſus natiuam temperiem calidam, & ſiccam habebit, quòd ſi otioſam vitam duxerit,& frigidis humidisque cibis,& potionibus fuerit aſſuetus,ſomno deditus,& in aere regione frigida,& humida degat,adſcititiam ſibi temperiem frigidiorem,& humidiorem comparabit.

Rurſus temperatura hæc naturalis,vel adeſt,vel abeſt à corpore ægrotante;ſi adeſt indicat ſui cuſtodiam,& ſic inter indicantia vitalia eſt collocanda;de quibus ſuo loco dicetur.Sin abeſt conſiderandum erit,qualisnam,& quanta fuerit cum ægrotare cœpit; quare plurimum proderit ad curationē rectè inſtituendam,vt ſuprà diximus;curatorem antea naturam ægrotantis perſpectam habuiſſe.

Quòd ſi nondum nouerit, vel ex eodem ægrotante, vel ex domeſticis, & familiaribus erit petenda, ijs namque præmiſsis quæ ipſe intueri poteſt,ea penſitabit medicus quæ videri non poſſunt: quare obſeruata ætate, ſexu,partium compoſitione, totius corporis delineatione obſeruatis pilis, & colore, ſingulæ quoque partes præſtantiores erunt adeundæ,quarum actiones obſeruabit medicus, quando, nec manuum contrectatione, nec oculorum inſpectione earum intemperiem inueniſſe liceat, quare vt ventriculi temperaturam aſſequatur interrogabit, nunquid appetat, ſitiat, & bene concoquat, nunquid ructus ſint fumoſi, & nidoroſi, an potius acidi: vt verò cerebri temperatura pateat, conſiderabit nunquid labē aliquam in præcipuis actionibus animalibus paſſus ſit, vtrum ſomni ſint longiores, & profundiores quàm par ſit, & vegetes ſint ſenſus, & motus; ſcateantne quàm plurima excrementa, quæ per palatum, vel aures, vel nares, vel oculos expurgentur.

Reſpiratio quoq; & pulſus varietas,necnon cordis motus,& paſſiones illius temperaturam nobis deſignabunt.Cæterum hepatis temperaturam demonſtrabunt latitudo, vel anguſtia venarum, ventris, & hypocondriorum aſperitas,vel mollities,qualitas,& quantitas tum humorum,tum excrementorum, quare & feces, & vrinas obſeruabit medicus; deinde ad conſuetudinem confugiet,ad uitæ genus,ad habitum totius corporis, ad aerem in quo vixerit,ad regionem,ad cæli ſtatum,ad anni tempus, ad ea quæ nocere,ac prodeſſe conſueuerunt,& poſtremo conſiderabit,quibus ægritudinibus fuerit ſubiectus.

Hæc omnia tibi erunt ſedes argumentorum, quibus explorare poſſis cuiuslibet partis temperaturam, vt poſtea his omnibus ſimul comparatis temperaturam totius,quæ ex his omnibus conſurgit,cognoſcere valeas. ſiquidem in maximè compoſitis dantur primæ,ſecundæ,tertiæ quartæ, imò quintæ temperaturæ,quot.n.ſunt genera inſtrumentorum, totidem quoq; ſunt temperaturarum genera.

At ſimplicium partium temperamenta docuit Gal.2.de temp.3. quibus cognitis non erit difficile,cum tibi perſpecta fuerit ſingulorum inſtrumentorum compoſitio,calida ne ſit,an frigida,humida ne,an ſicca illorum tēperatura, iudicare:vtinam ita facilè nobis eſſet illius temperaturæ gradus, & manſiones dimetiri.

Duobus itaque modis hæc temperatura confert ad inuentionem remediorum, vno modo, ut adest in corpore ægrotante, atque tunc erit indicans uitale, ut supra diximus; altero modo, ut abest, atque tunc re uera indicans esse non potest, quoniam quæ præsentia non sunt non dicuntur propriè indicare, ut supra manifestè demonstrauimus, quare signum erit recessus à naturali statu: neque Galenus loco citato eam inter indicantia numerauit ob aliam causam, nisi quia mensuram remedij uirtute indicantis appropriati describit. Dixit autem Galenus tria esse prima quæ curationem indicant, morbum, temperaturam & aerem, quoniam inter res præter naturam morbus primum locum obtinet; inter instrumenta naturalia temperatura; inter non naturalia aer. quare morbus respectu causæ dicitur primus; temperatura uerò facta comparatione cum ætate, sexu, & consuetudine dicitur prima: aer tandem si comparetur cum regione, cœli statu, & anni tempore inter prima numeratur. hac ratione itaque tria prima indicantia dicuntur; sed morbus propriè & per se indicãs dicitur; temperatura uerò & aer propriè signa, & per accidens indicantia debent appellari.

Quare si temperatura naturalis totius corporis consentit cum eo, quod est præter naturã, remedia leuiora sunt administranda, sin dissentit, ualentiora, seu potentiora sunt usurpanda; atque tunc maius periculum impendet: rursus temperatura partis, uel est eadem cum temperatura totius, uel dissimilis ac diuersa; si fuerit eadem & præsens sit, uel cum eo, quod est præter naturam consentit, uel dissentit: si cõsentit leuioribus est agendum; sin dissentit grauiora, & potentiora sunt administranda; quòd si temperatura partis non fuerit eadem cum temperatura totius; sed cum eo quod est præter naturam consentiat, non leuioribus; nec potentioribus; sed medio modo se habentibus uti oportebit medicamentis; postremò si temperatura partis dissentiet à temperatura totius, & ab eo quod est præter naturam non leuioribus, non potentissimis, sed paulò à mediocritate recedentibus uti licebit. At si temperatura partis non aderit, rursus conferenda erit cum temperatura totius, nec non cum morbo, & erit signum maioris, & minoris recessus à naturali statu: atque in eo distabit à temperatura partis, quando præsens est, quoniam illa signum erit recessus eius quod est præter naturam à naturali statu, & hoc modo docebit quantum agendum; erit præterea indicans uitale dum sui custodiam postulat: hæc uerò quæ præsens non est ita est signum, & mensuram præscribit indicati, vt indicans nullo modo esse possit.

Vnitas, magnitudo, numerus, & conformatio vtrum ad inuentionem auxiliorum conferant, vt quidam viri doctissimi voluerunt. Cap. XXXV.

ALterum instrumentum ad constitutionem absoluendam necessarium diximus esse unitatem, quæ inter res naturales quamuis numeretur, nihilominus inter indicantia præseruatoria quandoque uidetur collocanda,

da, cum uim habet causæ morbificę, quod exemplo satis sensato quidam probare nituntur. Sit enim ex. g. lapis in uesica, vi cuius fiat urinæ suppressio, hic proculdubio sui extractionem indicat, uerum quia durior, & siccior est quàm ut emolliri, & per meatum urinarium egredi possit, hinc dicunt fieri, ~vt nedum angustiam meatus urinarij, ~verum etiam unitas, seu continuitas totius ~vesicæ uim habeat causæ detinentis, & conseruantis lapidem illum in uesica, quæ causa, ut morbifica per accidens indicat sui ablationem nempe apertionem, ut inde lapis extrahi posit: idem statuunt de perforatione sinus, ut pus retentum egrediatur, idem de perforatione abdominis in hydrope, de perforatione cranei, de exectione testium, de fonticulis, de scarificationibus, de sectione uenæ, & aliis id genus solutionibus continui.

Magnitudo quoq; & si non sit quid præter naturam, vt aiunt, nihilominus, quia interdum uim habet causæ morbificæ, hinc fit, ut indice sui ablationem, quemadmodum licet uidere in iis, qui uel Gangrena, uel cancro laborant, in quibus nedum pars affecta ignito ferro resecatur, uerum etiam aliquantulum partis sanæ subiectæ consumitur, alioquin interdum fit, ~vt pars ęgra, & intermortua a parte sana subiecta nullo modo separari posit, at quid est illud aiunt quod indicat partem illam sanam esse eximendam? non quidem pars ægra per se, cum hæc solum sui eradicationem indicet; quare sola magnitudo partis sanæ per accidens hoc indicabit, ut . s. habet rationem causæ conseruantis putredinem illam, uel potius partibus proximis communicantis: ut itaq; pars sana contingit partem putridam sui ablationem indicare uolunt, idem statuunt in morsis a cane rabido. Siquidem nullum præstantius remedium est, dummodo nihil adsit quod impediat, quàm illico partes subiectas eximere, ita tamen ut partis sanę aliquid auferatur, quemadmodum pasim docuit Galen. in libro de Theriaca ad Pisonem 4.

Quod autem de magnitudine dictum est, idem de numero dicēdum esse contendunt, quoniam si quis dolore dentium acerbisimo uexetur, neque dolor ille aliter sedari possit quam ex alicuius dentis extractione, quæ runt à quonam extractio illa fuerit indicata; non quidem a dolore, quando dolor remedium anodinum indicat, neque si adesset caries ab ea indicari potest; quoniam caries cum sit magnitudo imminuta additionem potius quàm extractionem indicaret, reliquum est itaque, ut indicetur a dente ut est causa dolorem conseruans, idem de exectione testium in Enteracele, de ablatione alicuius digiti, uel manus, uel pedis.

Conformationem quoque quamuis & ipsa sit quid secundum naturam, nihilominus interdum uim habere causæ morbificæ uolunt, quoniā si de asperitate, & leuitate loquamur, interdum euenit, ut hęc, & illa uim habeāt causæ morbosæ, quemadmodum dicebat Gal. 2. in 6. de uulg. morb. 4. ubi dicebat in cute quidem, & circa barbæ capitisque pillos interdum euenire ut ob læuitatem tardè, aut uix enascantur, quare iubet ut exasperantia medicamenta adhibeantur, at asperitas illa non à pilis, sed a lęuitate cutis indicatur: quòd si facies fuerit aspera, mulieres suis unguentis, & pigmentis

eam

eam leuiorem reddunt, vt formosiores appareant. Idem de facie interna, tracheæ arteriç quæ cum sit lçuis, & ob id quodammodo vim habeat conseruantis destillationem ad pectus si fortè contingat, ob id iubent medici, vt medicamentis bechicis asperitas quædam inducatur, ne materia destillans ita facile delabatur. Idem de pessis, qui per sanguifluas venas purgationes proritant. Idem de folijs ficuum, de linteo aspero, quibus per hemorroidas venas sanguinis euacuationem proritamus.

At si conformationem illam, quæ ad meatus, poros, & cauitates pertinet contemplemur, proculdubio interdum fieri asserunt, vt quamuis meatus illi, & cauitates sint naturales, causæ tamen fiant morbificæ, quemadmodum euenit in uaricibus, & in venarum vulneribus, & arteriarum, in quibus sæpè cogimur, & venas, & arterias ligare, & præcidere, & sic meatus illos alioquin naturales intercludere, idem quoque interdum euenire in fluxione oculorum, vbi venæ, vel arteriæ, quæ ad oculos porriguntur aliorum vasorum superuacuum sanguinem recipiunt, quo fit, ut cogamur aliquam illorum vasorum partem præcidere, atque cicatricem duram inducere. & sic sanguinem fluentem intercipere quemadmodum scribit Gal. 13. meth. ultimo. At occlusio illa uasorum, vt aiunt, a quonam alio indicari potest quàm ab illorum cauitate? Immò Galenus ibidem admonebat interdum euenire, vt calidus sanguis, & vaporosus ad caput ascendat, qui maximè in arterijs redundat, cuius causa contingere solent grauissima symptomata. Cui vitio, vt medici occurrerent excogitarunt inquit saluberrimum remedium esse, ut arteria incideretur, vel absque ligatura si tenuis, & exilis fuerit, quoniam extrema ad sibi continuas partes retrahuntur, & hoc modo cauitatem occludunt, vel vtrobique ligando si magna fuerit, vt quod inter utranq; ligaturam intercedit tutius præcidatur: quare occlusionem illam indicari uolunt à cauitate vasorum, vt vim habent conseruandi fluxum illum sanguinis per cauitates illas fluentis.

Quod dictum est de meatibus, & cauitatibus, idem de poris affirmant; siquidem neruorum porositas, & raritas quàmuis per se naturalis existat, tamen per accidens fit causa dolorem conseruans, quare porositas illa est per densitatem angustanda, quominus radij spiritus animalis neruosum illud genus illustrare possint, vt facultas animalis beneficio luminis radiorum destituta uim suam remittat, & sic sensus hebes reddatur.

Hæc illi, quæ nos quoq; & exemplis, & authoritatibus quantum fieri pôt illustrauimus, ut curiosis potius & ijs, qui oĩa indicationibus metiri volunt, satisfieret, quàm quod necessitas, ita postularet: quoniam si rem ipsam diligenter expendamus videbimus Galenũ, ne uerbũ quidem de huiusmodi indicationibus fecisse, quàmuis multa indicantia enumerarit, quç re ipsa non sunt indicantia: sed inter signa potius numeranda, neq; ob aliam causam id factum ab eo fecisse arbitror, nisi quia hæc omnia quæ nos inter indicantia cum uiris doctissimis collocauimus, vt logicis satisfieret, inter materias remediorum potius numerari debent, vt ipsemet Galen. testatur loco superius nupetrimè citato, vbi dicebat ad intercipiendum sanguinem nullum

prç-

præſtantius remedium excogitatum fuiſſe, quàm ut arteria incideretur, præterea, quoniam ea, quæ aliter fieri non poſſunt, & neceſſario ſequuntur ad indicantia non ſunt referenda; quod verò inter materias remediorum numerari poſſint probatur etiam ex eorundem uirorum doctiſſimorum ſententia, quando iſti ſectionem uenæ, cucurbitulas ſcarificatas, ſcarificationes, frictiones, & alia id genus remediorum materias eſſe uolunt: cum dicunt ſi ſanguis ex.g. quantitate peccat, ſanguis eſt euacuandus, cuius auxilij materiæ plures eſſe poſſunt, ueluti inedia, uenæ ſectio, cucurbitulæ ſcarificatæ, ſcarificationes, hirudines, & quæ ſunt huius generis, at quænam ratio cogit nos, vt potius dicamus ſectionem uenæ eſſe materiam remedij ſanguinis euacuantis quàm, ut dicamus ſectionem ueſicæ materiam eſſe calculi extrahendi, & ſectionem ſinus puris euacuantis, & ſectionem carnis ſanæ remedij extirpantis id quod eſt putridum in Gangræna, uel Cancro; idem dicendum eſt de extractione dentis, de præciſione digiti manus, vel pedis, de aſperitate cutis, de lęuitate, de ligatura uenarum, uel arteriarum, & denſitate pororum; hęc namque omnia inter materias remediorum numerari poſſunt. at cum hæ materiæ adminiſtrari non poſſint niſi per priuationem conſtitutionis naturalis, hinc fit, ut iſti nimis diligentes, & exquiſiti plura indicantia introduxerint, cum tamen ſine iniuria prætermitti potuiſſent, quoniam, ut diximus quæ aliter fieri non poſſunt, & neceſſario ad alia conſequuntur ad indicantia non ſunt referenda, at remedia illa non poterant adminiſtrari, niſi per ablationem rei naturalis, ergo res illa naturalis non uidetur habere uim indicantis in methodo medendi, ſed ſi quam haber, hæc ad alium artificem curatori medico inſeruiẽtem eſt referenda: Præterea nemo negabit quin cuiuslibet remedij appropriati ſua ſit materia accommodata, ſed euacuandus ſit ſanguis ad libram hoc tempore unica uice, quænam erit huiuſce remedij materia opportuna, ni dicamus eſſe uenæ ſectionem? ſic de pure, & alijs id genus dicendum cuiuſmodi eſt præciſio per tranſuerſum totius muſculi, quandoque uenæ, uel arterię quę proponebat Galen. 3. meth. nono ueluti materiæ ſanantis.

His abſolutis, quæ ad conſtitutionem pertinent ea ſunt conſideranda, quæ ad conſtitutionem conſeruandam a natura fuere comparata cuiuſmodi eſt ſanguis, ſpiritus, & excrementa naturalia: quod uerò ſanguis ſpiritus, & excrementa naturalia apta nata ſint conſtitutionem conſeruare, inde conſtare arbitror, quod eadem dum à naturali ſtatu deturbantur eandem conſtitutionem infirmare, atque conuellere poſſunt.

An ſanguis conferat ad inuentionem eius quod eſt agendum. Cap. XXXVI.

DIcunt pręterea ſanguinem ad inuentionem remediorum plurimum conferre poſſe, nam & ſi uitium nullum per ſe conceperit per accidẽs amen incommodum aliquod inferre poſſe arbitrantur: hoc autem confirmant authoritate Galeni 6. meth. 1. ubi in punctione neruorum inter alia

reme-

remedia tutius esse dicebat cute latius incisa totum corpus sanguinis missione inanire, nec non 4. de ratione uictus in acutis 19. vbi docebat in sanguinis missione non esse perpetuo expectandam syndromen pletoricam, quoniam licet etiam sanguinem mittere nulla existente repletione, ubi dolor uehemens hominem statim præhenderit, uel pars aliqua fracta fuerit, vel vulnerata, vel cõtusa, vel os luxatum sit, vel alius quispiam articulus cõtractus reductusq; sit. Cuius rei causam dum redderet, dicebat id faciendum esse ne propter dolorem eò sanguis, & spiritus accurrant, & inflammatio subsequatur. Ex his satis constare putant sanguinem, & si suapte natura nullum vitium contraxerit, per accidens tamen, & motu, & quantitate peccare posse; nam vbi dolor, eò sanguis mouetur, ergo vt mouetur ad locum importunum sui auersionem indicat, qua de re suo loco. Vt uerò in dolore ex quauis mediocri sanguinis copia excitari potest inflammatio, quantitate peccare dicitur, quare sui euacuationem indicabit.

Idem quoque contingere arbitrantur cum sanguis habet rationem causæ, sine qua localia tuto administrari non possunt, vt si ex. g. tumor, vel dolor aliquis esset in aliquo articulo, vel in alia quauis corporis parte, cuius causa medicus coactus esset, vel emplastris, vel fomentis vti vel alio genere medicamenti calidioris, hic & si sanguis per se nulla ex parte violatus esset; sed ab omni culpa uacuus, nihilominus merito partis affectę, quæ facile propter administrationem calidorum ex confluxu sanguinis inflammari potest, sanguinem redundare dicunt; idem quoque in febribus ex obstructione contingere putant, in quibus & si sanguis non peccet, nihilominus laudat Gal. ut sanguis mittatur, ne propter impeditam respirationem putredo contingat. Constat itaq; ex horum sententia sanguinem quamuis naturæ limites per se non excesserit, per accidens tamen, ut habet rationem causæ morbificæ, ad inuentionem eius quod est agendum plurimum conferre posse.

Hæc omnia, quæ ab his proponuntur, quamuis satis probabilia uideantur, nos tamen non possumus undequaque probare, siquidem cum dicunt sanguinem, ut habet rationem causæ morbificæ, per accidens conferre ad inuentionem remediorum, huiusce consequentiæ necessitatem non uideo, quoniam idem est, ac si dicerent; sanguis ut est causa morbi per accidens indicat sui ablationem, quod quam consentaneum sit, nemo est, qui non uideat, cum indicatio illa per se, non per accidens dicatur, in qua id quod indicatur per se pugnat cum eo quod indicat, sanguis enim ea ratione, qua mouetur ad locum congruum pro natura sua indicat sui auersionẽ, & ut copiosior est in parte, sui euacuationem, ergo per se non autem per accidens ad inuentionem auxiliorum conferre dicitur. neq; dicendum est dum ad locum incongruum mouetur per accidens motu, & quantitate peccare, quoniam locus congruus, & iusta, ac debita quantitas nedum in toto uerum etiam in parte ad naturalem statum conseruandum desiderari uidentur. quod cum ita sit decreuimus de uitio sanguinis sermonem habere, ubi de indicationibus, quæ à causis capiuntur, disputabimus.

Quod verò dicunt de sanguine, vt habet rationem causæ sine qua tuto lo-

to localia adminiſtrari non poſſunt, non omnino reprobamus, quoniam ſanguis, dum non peccat niſi ex ſuppoſitione per accidens peccare dicitur, & per accidens indicat ſui euacuationem per auerſionem.

Quòd verò addunt in febribus ex obſtructionibus idem euenire non eſt concedendum, quoniam ſanguinis miſſio in huiuſmodi febribus non indicatur a ſanguine peccante; ſed eſt materia remedij refrigerantis, quando miſſio ſanguinis per accidens uim habeat refrigerandi, non autem obſtructionem curandi: vt monuit Gal. 11. meth. 14.

An ſpiritus ſint utiles ad inueniendum quid agendum. Cap. XXXVII.

SPiritum quoque nedum animalem, verum etiam vitalem, & naturalem ad cuſtodiam humani corporis a natura comparatum fuiſſe vnicuique ſatis compertum arbitror, at ſpiritum vitalem, & naturalem quamuis ſecundum ſui ſubſtantiam nihil omnino perpeſſi fuerint, per accidens tamen incommoda multa importare poſſe non videtur in dubium eſſe reuocandum, quando Galen. 5. aph. 53. dixerit naturam in quacunque violenta excretione, ſanguine, & ſpiritu tanquàm inſtrumentis vti, dum enim natura cauſam doloris propulſare ſtudet idque virtute ſanguinis; & ſpiritus, locus ipſe, vt repleatur eſt neceſſe, quo fit, vt inflammationes ſubſequantur; quare & ſi ſpiritus hic ſecundum ſui ſubſtantiam naturalem ſtatum obtineat, attamen vt replet locum inflammatum, & extendendo dolorem excitat, dicitur uim habere cauſæ morboſæ; non enim fictio illa, & commentatio de ſpiritu animali, quam nonnulli meditati ſunt, locum habere videtur, qua de re ubi de indicatione loquemur, quam a ſymptomate oriri dicunt.

Sed quod hac in re difficultatem facit, eſt uitium ipſorum ſpirituum, ſiquidem inania cum plus iuſto replent, per accidens incommoda multa importare dicunt, cum tamen, ſi rem ipſam diligenter expendamus, & per ſe ſecundum quid tamen, hoc eſt ſecundum partem a naturali ſtatu recedant, & per ſe dolores, & inflammationes excitare, & uim cauſæ morboſæ ſubire poſſunt, & hoc modo ſui diſcuſſionem, & auerſionem indicare. docti tamen iudicabunt.

An excrementa naturalia ad inuentionem aux. utilitatem præbeant. Cap. XXXVIII.

QVòd ſi ſermo ſit de naturali excremento, cuiuſmodi ſunt pili, ſiue in capite, ſiue in quauis alia corporis parte poſiti ſint, uolunt interdum habere cauſæ perturbantis, ſeu impedientis remediorum adminiſtrationem, ut ſi fonticuli ſint efficiendi ubi adſunt pili, uel ſi cerata ſint applicanda, aut ſtillicidia, aut oxyredina adminiſtranda, in huiuſmodi operationibus cum pili poſſint impedire, ſunt deradendi, & hoc modo aiũt per accidens uim ſubire cauſæ præter naturam, & ſui ablationem indicare.

Tu

Tu tamen ſi abraſionem capillorum inter materias remediorum enumerare volueris, non erit graue peccatum, quemadmodum etiam enumerari poſſunt frictiones illæ cutis in ijs partibus, in quibus medicamenta penetrare volumus, hic.n.ſicut denſitas cutis auferri contingit, ſic illi capilli abradi neceſſariò debent, quare iſti, qui omnia methodo definire ſtudēt quàm ſæpiſſimè inania proferre coguntur.

Accidentia familiaria utrum ad inuentionem auxiliorum ſint utilia. Cap. XXXIX.

PRæter cauſas conſtitutionis inter res naturales accidentia quoque familiaria locum habere diximus, vnde quidam voluerunt actionem ſecundum naturam interdum uim habere cauſæ præter naturam, ſed per accidens: quam ſuam opinionem comprobant exemplo à vapore deſumpto, dicunt enim ſi contingat, vt vapor veneficus ab infernis partibus ad ſuperiores, & nobiliores tendat, tunc excitantur veſicatoria, fiunt ligaturę adhibentur cucurbitulæ non ſcarificatæ, & frictiones uehementes, ac dolorem inferentes, ut ſenſus iucundus qui ex accidenti eſt præter naturam, & conſeruat vaporis aſcenſum, remedio dolorem efficiente auferatur: quare concludunt ex his ſenſationem iucundam, vt uim habet fouentis & conſeruantis aſcenſum vaporis venefici, ſui ablationem indicare per contraria.

Sed (ni fallor) hæc nimia iſtorum diligentia totam methodi doctrinam perturbat, & obſcuriorem reddit, etenim ſi verum eſſet ſenſationem iucũdam conſeruare vaporum aſcenſum, & ut aſcenſum hunc conſeruat ſui ablationem indicare, cuius materia eſt triſtis Senſatio ſequeretur vel vnicā materiam duas formas, & inter ſe diuerſas eodē tēpore ſubire poſſe, uel materiam eſſe formam: ſed hoc abſurdum; ergo probatur conſequentia, quoniam cum dicunt iocundam ſenſationem indicare ſui ablationem cuius materia eſt triſtis ſenſatio, hic triſtis ſenſatio ſubijcitur remedio tollenti ſenſationem naturalem, ac ſi formæ ſubijceretur; cum iam dictum ſit remedium vim habere formæ; rurſus vapor ille veneficus dum ſurſum in caput attollitur duobus modis peccare videtur, uno modo qualitate, altero motu: vt qualitate peccat, cum ſit à toto genere præter naturam, vt extirpetur, ac funditus, poſtulat, vt verò mouetur eo, quo moueri non deberet, indicat vt deorſum feratur, cuius remedij materia eſt ſanguis, & ſpiritus dum ad inferiora mouentur; quoniam ſi vapor ille deorſum ferri debet, cum ſuapte natura ſurſum tendat, ab aliquo detrudi, ac deuehi, quod deorſum moueri poſſit, eſt neceſſe; ſed cum in corpore humano nihil aliud ſit, quod quoquouerſum facilius excurrat, & moueri poſſit quàm ſanguis, & ſpiritus, hæc duo; vt ſecum uaporem illum adducant, & ueluti rapiant eſt neceſſe.

Rurſus cum ſanguis, & ſpiritus non magis in hanc quàm in illam partem moueantur, niſi natura id exigat, hinc fit, ut natura ſit excitanda, ſeu uis naturæ inferenda dolorem excitando, quoniam tunc natura excu-

toria

toria suo munere fungitur, cum triste aliquid sentit, hoc autem erit causa doloris quæcunque sit, ergo ipsam propulsare conabitur, quam cum primis suis conatibus expellere nequeat vehementius aggressa quod infestat expellere, sanguinis aliquid & spiritus mouebit, & ex supra positis partibus in afflictam simul exprimet, quare tristis sensatio, seu dolor erit actio, seu motus naturæ motũ insequens, & veluti materia alteri materiæ inseruiens, nempè motui sanguinis, & spiritus, & sic per consequens materia remedij uaporem ueneficum deorsum ferentis, & hoc modò tristis sensatio duas formas inter se diuersas eodem tempore subibit; quoniam erit materia, tum remedij uaporem deorsum trahentis, tum remedij sensum naturalem auferentis; quod si dicas tristem sensationem esse remedium indicatum à sensu naturali, vt per accidens, est causa præter naturam assensum uaporis conseruans, tunc materia erit forma, cum remedium uim habeat formæ.

Præterea cum sensus naturalis ex necessitate tollatur ad positionem tristis sensus, non est ut à sensu naturali capiatur indicatio sui euertendi, quemadmodum neque à symptomate, cum ad ablationem morbi auferatur, atque hoc loco idem contingere arbitror, quod in euacuatione sanguinis euenire videmus, etenim cum sanguis sui euacuationem indicet, huius materiã ex. g. dicimus esse uenæ sectionem, cui materię altera materia subseruit nempè ferrum: sed ad sectionem uenæ sequitur ex necessitate continuisolutio, quod cum sit per acci dens, à continuo nulla est sumenda indicatio, quoniam ab his, quæ ad ablationem alterius tolluntur, nulla indicatio sumi oportet.

Ad hæc frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æquè benè: sed sumpta indicatione à solo uapore remedium accommodatum inuenire possumus, ergo non est, vt confugiamus ad naturalem actionem.

Neque patet quomodo cõcludant sensationẽ naturalem vaporis ascensum custodire, quoniam hoc non est statuendũ eo, quia ipsi non repugnat, quoniam si ob eam causam diceremus vaporis ascensum custodire, quàmplurima essent in corpore, quæ ascensum hunc custodirent, & propterea sui ablationem indicarent. sed hoc absurdum est, ergo.

Neque dicendum est hunc ascensum custodire, quoniam tristis sensatio non est causa, vt reuocetur vapor ille, sed est motus facultatis expultricis, dũ causam doloris propulsare conatur, quoniã in eo motu, vt diximus accurrit sanguis, & spiritus, & secum vaporem illum trahunt; quare si tristis sensatio non est causa, neque proxima, neque remota, nisi per accidens reuocationis uaporis, ita quoque nec sensatio naturalis erit causa, vt custodiatur ascensus vaporis.

Quòd uerò natura moueatur ad expellendum id quod est noxium præterquàm quod Gal. 13. Meth. 3. & 5. aphor. 53. testatur manifestum quoque cõspicitur in his, qui patiũtur Epilepsiam, in quibus natura toties mouetur ad id expellendum quod membranas uentriculorum cerebri uellicat, quoties materia renouatur, unde nemini me uidisse Illust. Card. Comendunũ sexaginta motus Epilepticos spatio uigintiquattuor horarũ sustinuisse, atq;

tandem natura debilitata succubuisse: quo mortuo statim detracta caluaria hydrocephalica passione laborasse comperi. Sed hæc obiter.

Constat itaque iucundam sensationem non esse causam conseruationis ascensus vaporis, & propterea ab ea nullam indicationem esse capiendam.

Quòd si quis dicat interdum fieri posse, ut actio naturalis non sui conseruationem; sed potius moderationem desideret: nõ videbitur fortasse cuipiam præter rationem: quemadmodum euenit, cum quis ob excellẽtiam organi auditus deprauate audit; verum dicere possumus, & illud esse vitium a natura contractum, cum omne extremum sit vitiosum, & omne nimium sit naturæ inimicum.

Quo verò ad qualitates familiares, & naturales nulla ex his in methodo medendi sui mutationem desiderat, nec per se, nec per accidens; at in arte comptoria sępe fit, vt nedum mulieres, verum etiam homines effæminati & molles has qualitates naturales commutare studeant.

Exeuntia naturalia quem usum præbeant ad inuentionem remed. Cap. XL.

AT exeuntia naturalia interdum per accidens uim habent causæ præter naturam, veluti si sanguis, vel per hemorroidas, vel per nares, uel uterum naturali quodam motu effluxerit, atque interim casus virium insignis succedat, proculdubio sanguis & si secundum naturam effluxerit, nihilominus propter casum virtutis inhiberi oportebit, quoniam per accidens virtutem frangere, ac debilitare iudicabitur, vt in rebus naturalibus idem quod in præternaturalibus commutata ratione obseruari liceat, etenim sicut in rebus præter naturam quædam per accidens prodesse possunt, vt fonticuli, setacea, vesicata, venæ sectio, scarificationes & id genus alia, & propterea remed. materiæ per accidens uocari possint; ita quoque in rebus naturalibus, quædam cum per accidens lædere valeant, inter causas morbosas numerari possunt; quare sicut illa custodiri, hæc prorsus remoueri debent, siue per se, siue ad positionem alterius auferantur.

Aetatis usus ad inuentionem remed. Cap. XLI.

REbus naturalibus ætas ita coniungitur, vt eam inter naturalia quidam numerari voluerint, multumq; ad inuentionem auxiliorum conferre tradiderint; quare non erit ab re, si quàm breuissimè fieri potest, definiamus quid sit ætas, quot eius differentiæ, & quas indicationes præbeat.

Porrò ætatem sic describendam censeo, vt sit spatium illud temporis, quo mutationes humani corporis ab interna causa prodeuntes dimetiuntur. est enim in corpore nostro causa quædam ingenita, ui cuius temperamenta continuò mutari sit necesse; hæc autem nulla est alia quàm

quàm calor ingenitus,ſiquidem pro uario motu caloris,variari quoq, tēperaturam videmus; hoc autem dico, quoniā non me latet ab externis cauſis interdum fieri,vt corporis temperatura permutetur, quod cum ita ſit nō ab ætàte fiunt mutationes; ſed ætates ſigna potius eiuſmodi mutationum dici debent:cum ab his originem potius trahere videantur; ut ex ijs differentię quoq; ſint capiendæ,quot enim obſeruantur temperaturarum differentię, ſeu genera,totidem erunt,& ætatis.Sed quinque ſtatuunt ſcriptores temperaturæ differentias,ergo quinq; gradus ætatis.

Primam temperaturæ differentiam calidam, & humidam eſſe uolunt, & ſpatio vigintiquinque annorum definiunt:quo tempore, quia corpora creſcunt,ob id adoleſcentiam hanc ætatem nominarunt;hæc omnium eſt optima ex Gal.6.de tuen.

Altera differentia eſt, ut ſit calida & ſicca, quæ ad trigeſimum quintum, uel quadrageſimum annum prouehitur, totum hoc ſpatium a iuuando iuuentus dicta fuit, quod florida ſit, uiridis, & ad quoduis munus obeundum agilis, & propterea humano generi plurimum prodeſſe poſſit.

Tertia differentia eſt,vt incipiat frigere,& adhuc magis exſiccari ad 49. vel 50.annum terminatur,hanc corporis mutationem ętatem conſiſtentē, ſeu maturam appellarunt.

Quarta temperaturę differentia frigida magis, & adhuc ſicca magis ſtatuitur, & ad ſexageſimum annum porrigitur, quam primam ſenectutem appellant.

Omnium poſtrema eſt frigidiſſima, & quia vitam claudit extrema ſenectus dicitur, quam ſiquis in duo ſenia partiri uoluerit, non multuml aboramus.

Verum quia prima temperaturę differentia ſpatio vigintiquinq; annorū terminari dicimus,ob id ſciendum eſt hanc rurſus in quatuor genera facultatis medicę ſcriptores diſtinxiſſe.

Vt primū genus humidiſſimum ſit,& calidum,quod primis quatuor annis circunſcribitur,& infantiam nominarunt.

Alterum genus humidum quidem non tamē vſq; adeo, ut primum,& calidum,& a quarto vſque ad decimum annum protrahitur,quod tempus nomine pueritiæ uocari ſolet.

Tertium genus adhuc paulo minus humidum & calidū, & a decimo anno vſq; ad decimum octauum excurrit,pubertatem appellant.

Poſtremum genus omnium temperatiſſimum calidum tamen,& ſiccum eſt,calidum quidem,quod ignis eam aquam ſuperauit, ſiccum uerò quod puerile humidum iam conſumptum eſt partim in corporis incrementum partim in ignis, ſeu caloris motum, partim etiam laboribus, ut ait Hipp.a decimooctauo anno vſq; ad vigeſimum quintum prouehitur : hanc ętatem nomine communi adoleſcentiam vocant.

His propoſitis non eſt difficile vnicuiq; cognoſcere quas indicationes,& quō prębeant ętatum differentię:etenim ſi mutationes conſtitutionis ex ętatum varietate deſcribuntur,nullas alias indicationes prębere poſſunt,quàm

quæ à conſtitutionibus variatis hauriuntur; ſed cum in conſtitutionibus mutetur potiſſimum temperatura, & quæ ſubiectum virtutis eſſe ſtatuuntur, hinc fit ut ab ætate tanquàm à ſigno eædem indicationes hauriantur, quæ à temperatura, & à virtute: quare ſi ætas ad temperamentum referatur, quæcunque indicabit temperamentum, eadem quoque, ut ſignum indicabit ætas, quæ temperaturam illam deſcribit, quare non immeritò dixit Hipp.1.aphor.16. Humidus uictus omnibus febricitantibus cōuenit, & maximè pueris, quoniam ætas puerilis temperaturam humidiorem deſignat. quare ſi tēperatura fuerit præſens, neque adhuc à naturali ſtatu receſſerit, ſui cuſtodiam per ſimilia poſtulabit, ſic ætas, quæ temperaturam illam definit, eodem modo indicabit; quòd ſi temperatura non fuerit præſens, ſicut contrarietatis adhibendæ menſuram deſcribit, ſic ætas temperaturam illā abſentem deſignans idem præſtabit; quare morbus in ætate temperaturam calidam referente minus eget refrigerantibus, & humidus in ætate temperaturam humidam referente minus ſiccantibus. Contra frigidus morbus in ætate calidam temperiem referente magis eget calefacientibus, & ſiccus in ætate mollem, ac humidam temperiem referente, magis humectantibus.

At in frigidis, ac ſiccis qualitatibus, quippe quæ uitæ aduerſantur alia ratio eſt ineunda, quoniam ſiccus morbus in ſimili ætate ſiccam, & aridam temperiem referente, non eget minus humectantibus, quàm in humida, & puerili, neque magis ſiccantibus utendum in humido affectu, qui ætati ſenili aridam temperiem referenti acciderit, quàm qui puero humida, ut ita dicam ætate donato (ætati namque facilioris doctrinę gratia tribuuntur ea, quæ temperaturæ propriè conueniunt, vt antiqui ſcriptores factitarunt) neque mirum cuipiam uideri debet, ſi ſenectutis temperamentum nō ita cuſtoditur, quemadmodum alterius cuiuſque ætatis, & ratio eſt, quoniam ſenectus eſt veluti morbus naturalis, qui corpora noſtra propter calidi, & humidi penuriam ducit ad interitum.

Hinc fit, ut minus quoque periculum ſubeant illi, qui ætatibus morbos familiares habent, ſi tamen pro ætate naturam, ſeu temperaturam intelligamus, vt monuit Gal.2.aphor.34. At quinam ſint morbi, qui ætatibus ſint cognati, & familiares docet Hipp.lib.3.aphor.34. vſque ad finem illius libri, ad quem locum breuitatis gratia lectorem reiicio: Et hæc de indicatione, quam præbet ætas, vt remedia alterantia inueniantur.

Alteram fortaſſe non minorem vtilitatem præſtat ætatis contemplatio, quando ad remedia uitalia inueſtiganda non parum conferre videatur, etenim cum ætas uirtutem, tum robuſtam, tum debilem indicet, vt ſcribit Gal. primo de ratione vict.45. hinc fit, vt quam indicationem præbet virtus, vt ſcopus præcipuus, eandem ætas, vt ſignum virtutis, & ſcopus ſecundarius præbeat, vbi & conſuetudo Hippocratis, Galeni, & veterum ſcriptorum eſt obſeruanda, quippe qui ſolam uirtutem interdum ſpectandam dixerunt, interdum uerò, & ætatem adiecerunt, ut ignotum per notum magis declararent.

Aetas itaque infantiū, & puerorū cum referat nobis ſubiectū uirtutis maxime

ximè humidum, & calidum, & propterea maximè omnium diſſipabile, factum eſt, ut medico dixerint ętatem ad victus rationem pręſcribendam plurimum collaturam. Etenim cum alimētum ob eam cauſam adminiſtretur, vt reparetur id, quod continuò deperditur & interdum etiam ut quod nutritur, adaugeatur, & in omni corporis conſtitutione aliquid ſemper diffluat, diſſipeturque, hinc factum eſt, ut ſemper fuerit opus alimento. Quare quod indicat alimētum nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia uirtuti ſubiecta ea tamē ratione, qua digeritur, ac diſſipatur, ut uerò aliquid digeratur, ac diſſipetur, duo neceſſariò deſiderātur agens & paſſum; agens eſt calor, paſſum eſt ſubſtantia uirtuti ſubiecta. Quare pro maiori, uel minori copia caloris, maior, uel minor fit effluxus, ac diſſolutio, pro maiori uerò, uel minori humiditate, vel raritate, ac mollitie paſſi, maior item uel minor fiet diſſipatio, qua de re, cum de uirtute, fuſius diſputabitur.

Cùm itaque ętatis differentiæ nobis definiant virtutis ſubiecta magis, vel minus calida, magis & minus humida; frigida, & ſicca: & propterea etiam magis, uel minus perflabilia: mirum nō eſt, ſi Gal. & Hipp. quàmplurimis in locis, vt diximus, ad uictus rationem rectè inſtituendā, ætati aliquid condonandum eſſe dixerunt. ſiquidem 1. illo Aphor. 16. febricitantibus omnibus humidum uictum conuenire dicebat, maximè uerò pueris, ſpectabat enim non quantitatem, ſed qualitatem alimenti, quoniam in alimento deſcribēdo nedum quantitas, verum etiam qualitas eſt ſpectanda, ut uoluit Gal. x1. Meth. 5. Et ob eam cauſam aphoriſ. 17. eiuſdem libri dicebat in quantitate alimenti exhibenda condonandum eſt aliquid ætati, quippe quæ agentis, & paſſi qualitatem definit: quare aph. 13. eiuſdem lib. dicebat ſenes facillimè ieiunium ferunt: ſecundo loco qui cōſtantem ætatem agunt; minusq; adoleſcentes, minimè omnium pueri, atque inter eos maximè qui acriore, atque viuidiore præditi ſunt ingenio: quoniam ex pueris, qui copioſum habent calorem naturalem, ij ad capiendum cibum promptiores, & auidiores exiſtunt, meliusque conficiunt, & niſi aſſumpſerint ob inſignem effluxum maius detrimentum ſuſcipere ſolent.

Ex his itaque conſtat ætatem ad indicationes præbendas conferre nō ut indicans per ſe; ſed ut ſignum, & interuentu alterius, ut optimè ſcriptores ferè omnes recentiores duce Galeno, & præuia ratione cognoſcunt.

Conſuetudo quem vſum præbeat ad inuentionem remed. Cap. XXXXII.

SCriptum reliquit Gal. 3. de off. med. 20. conſuetudinem tantam uim habere in omnibus, quæ ad medicinam ſpectant, ut aduentitia natura à medicis maximis fuerit appellata. Quod cum ita ſit, ratio poſtulat, ut poſtquàm de utilitate, quæ ſumitur ab ætate locuti fuimus, de utilitate quoque quæ à conſuetudine ſuggeritur quàm breuiſſime fieri poteſt, loquamur: id quod ut facilius aſſequi ualeamus, quid conſuetudo ſit, prius eſt aperiendū, ſiquidem perſpecta conſuetudinis natura, conſtabit quoque an inter indicantia propriè dicta ſit numeranda.

Statuamus itaque consuetudinem nihil aliud esse quàm habitum longo rerum vsu comparatum certam quandam naturam commonstrans. diximus autem consuetudinem esse habitum, quoniam vbi semel iuncta fuerit non ita facile, nec absque periculo remoueri potest; immo & si praua fuerit neq, omnino negligenda, neq; subito commutanda; sed paulatim per fa nitatem traducenda, quando in ægrotantibus nullo modo sit permutanda, vt Galeno placuit 8. meth. 9.

Diximus autem habitum hunc longo rerum vsu fuisse comparatum, id quod hoc argumento facile comprehendi potest, quoniam sunt quædam, quorum vsus & si inter initia sit ingratus, & non sine noxa sustineri possit, nihilominus vbi paulatim assueuerint homines, iam neque amplius eorũ vsus, aut ingratus, aut noxius esse videtur, id quod non alia ratione contin gere potest, nisi quia longo vsu alteratio quædam impressa fuit, quæ quam uis à principio exigua sit, tractu tamen temporis adaugetur, atque adeò notatu digna fit; ut quæ ex longo vsu parta sunt, vim ferè naturalis proprietatis induerint. longo itaque rerum vsu hic habitus est comparatus.

Et usu rerum non unius rei consuetudinem, seu habitum illum comparari diximus, ut unusquisque intelligeret consuetudinem non unius rei vsu constare; sed in omnibus rebus non naturalibus diuagari, immo & ad facultates animi pertinere, quando & ipsę exercitatione uigent, augentur, curisque confirmantur, ocio verò contabescunt, qnemadmodum Plato in Timæo nobis testatum reliquit, & Galen. in libro de consuet. 4.

Postremò dictum fuit consuetudinem certam quandam naturam commonstrare, & naturam diximus, seu temperaturam indefinitè, vt & naturalem. seu natiuam, & adscititiam temperiem complecteremur, aut proprietatem singularem, quoniam consuetudo interdum uim habet signi, interdum causæ; uim signi habere dicebat Gal. 10. meth. 16. vbi ad indicandam temperaturam soli consuetudini maiorem fidem adhibendam voluit quàm reliquis omnibus notis, quamuis in vnum fuerint collectæ; vt si quispiam tempore sanitatis perpetuo frigidam biberit, nec ullum detrimentum passus sit, vel in uentriculo, uel iecinore, vel vesica, uel alio quouis viscere, hoc signum erit illarum partium temperaturam talem esse, ut gelida tuto in febribus ardentibus exhiberi possit dummodo cætera consentiant; quare inter signa hæc una uim maximam, & principalem habet, unde Gal. ibidem concludebat consuetudinem esse unum ex ijs quæ curationis rationem non per se; sed per morbi naturam intercedentem indicant, quemadmodum, & ætas, quando & ipsa quoqne temperamenti interuentu indicationem præstat. Quare cum consuetudo singulorum corporum, naturam ostendat, idem indicabit, quod & ipsa temperatura, & sic quoad ægrotant homines, similia semper indicabit, ut scribit Galen. octauo, meth. 9.

At consuetudinem interdum uim habere causę docuit Gal. plerisque in locis; sed potissimum 2. aph. 20. ubi dicebat cibos, ac potus naturam aduen

titiam

titiam efficere, & maximè quidem in uentriculo, cum hoc uerò, & in alijs partibus; nam & si quàm maximè cibi uincantur, & transmutentur a corpore, ipsum tamen quodammodo pro sui natura disponunt, ita ut processu temporis multa fiat permutatio, ac similitudo nutritorum ad nutrientia, idē quoq; confirmauit 11. meth. 1. & in lib. de consuet. 2.

Hac itaque proposita consuetudinis natura facile constat, cur Hipp. & Gal. tantum ei tribuerint, ut nulla sit pars medicæ facultatis, quæ ad causas, seu principia pertineat, siue chirurgicam, siue pharmaceuticam, siue diæteticam spectes, in qua consuetudo, & primas, & secundas, & tertias partes non obtineat: etenim si sermo sit de sanguinis euacuatione, & quispiam sese offerat cui sanguis sit euacuandus, huic si nunquam antea fuerit sanguis euacuatus, uel quod ab huiusmodi euacuatione ualde abhorruerit; uel quòd aliàs expertus animi deliquium passus sit, ab huiusmodi euacuatione supersedendum censeo, etiam si plurimis cibis ingesserit, id quod purgationibus quoque accommodari potest, quoniam reperiuntur quidam, qui eo quia nunquam antea fuere purgati, neque unquam euacuationem integram pertulerunt etiam si alia omnia id suaserint non tamen purgari debent, ut monuit Gal. 1. ad Gla. 14. cuius rei ratio ea esse potest, quoniam quodlibet insuetum est naturæ inimicum, ut propterea natura multum ab eo patiatur, quo fit, ut uires maximè labefactentur, & concidant.

Contrà uerò si quis euacuantibus fuerit assuetus, quamuis neq; multis cibis sit usus, hunc nihilominus intrepide euacuari licebit, dummodo & reliqua quoque consentiant; quoniam consuetudo docet naturam adeo robustam esse, ut eiusmodi euacuationem tanquam familiarem sustinere possit. idem quoque de pharmacis, & materijs ipsis necnon de forma illorum dicēdum est; Consuetudini semper est attendendum. Quare non satis mirari possum quorundam medicorum negligentiam ne dicam importunitatem & inscitiam, qui quàuis leui de causa cogunt miseros ægrotantes etiam inuitos, & admodum reluctantes ad sustinendam quamlibet, uel sanguinis, uel humoris euacuationem quolibet instrumento, & quolibet modo administratam, ut mirum non sit si plerunque, uel protrahuntur ægritudines, uel medicorum culpa ducuntur ad interitum.

Quod si sermo sit de alteratione, cum consuetudo sit certa, & exquisita figura, & nota temperaturæ naturalis, quæ aderat antequam homo ægrotare cępisset, ut inquit Gal. 10. meth. 16. atque temperatura illa doceat recessum à naturali statu, idem quoq; docebit consuetudo, & per consequens monstrabit qnantum sit agendum quare, vt recessum a naturali statu obseruare possis, & in actionibus, & in uictu rationes considerabis, quoniam morbos, qui plurimum à consuetudine recesserunt, à natura quoque plurimum recessisse existimare debemus: quare & ualidioribus est occurrendum, ut morbus in corpore frigidis assueto frigidioribus egeat remedijs, & frigidus in assueto calidis calidioribus, & sic de reliquis.

At morbus, qui non multum à consuetudine recessit, leuioribus eget remedijs, ut calidus affectus in assueto calidis minus eget frigidis.

Quod uerò plurimum ualeat etiam in diæta præscribenda nobis mani-

festè significauit Gal. 2. de rat. vict. in acutis 33. vbi dicebat cibos, qui vti consueuerunt, facilè ferunt, tametsi natura haudquaquàm boni fuerint, similiter & potus. Cibos verò, quibus vti non consueuerunt, etiam si mali nō fuerint, molestè ferunt; consimili modo, & potus; siquidem cōsuetudo maximè potest, repentinaque ab ea digressio corpora non parum offendit; quod si sic est, cur fit vt medici ferè omnes, cum primum uidēt aliquem febricitantem, aut aliud genus morbi calidum, statim ptissanam, uel cremorem imperant, quod cibi genus quàmuis miseri patiētes aborreant, importunitate tamen medicorum eodem etiam cum nausea, non sine graui detrimento uti coguntur.

Neque est quod quispiam obijciat dotes, seu virtutes, quibus ptissana, seu cremor illius tantopere ab antiquis celebratur, quoniam & hordeum optimum habebant, & modus parandi sibi erat familiaris, & quod maximè omnium refert, adeò erat in usu, ut in conuiuijs pro delitijs haberetur. sed hac de re vide Manardum lib. 5. Epist. 2. vbi de praua nonnullorum medicorum consuetudine copiosissimè disputat, vide opusculum etiam Minadei viri doctissimi de Ptissana.

In ægrotantibus itaque cibandis consuetudinem perinde, ac proprium temperamentum per similia inquam seruare oportet ex Gal. 8. Meth. 9. neque id solum in qualitate, seu specie tibi deligenda, verum etiam in quantitate, ac tempore describendo, cum alijs semel esse, alijs bis, & in maiori, & in minori quantitate, & alijs citius, alijs ad vesperam cepisse cibum fuisset cōsuetum, vt rectè statuit Gal. 7. Meth. 6. opportunum itaque tempus illud iudicabimus, quo ante morbum cibari cōsueuerat, dummodo nihil adsit, quod impediat, siquidem in febribus, in quibus fiunt accessiones, si fortè contigerit, vt accessio eadem hora inuadat, qua cibari solebat, ab illa consuetudine tunc recedendum est; ni fortè constituimus in accessionibus cibum afferre, vt suprà dictum est, quare quattuor, uel quinque horis ante accessionem cibare licebit.

At quod dictum est de cibo idem de potu cum Gal. 2. aphor. 5. dicendū censeo, siquidem sunt nonnulli, qui assueti frigidæ, brodium aut vinum nullo modo sustinere possunt: & è contra quidam vino adeò delectantur, ut neque brodium, neque aquam sine graui noxa, aut ventriculi subuersione perferre possint: quare ab hac consuetudine, nec in febribus quidem recedendum est, uini tamen qualitas, & quantitas prudētissimo medici iudicio est deligenda, neque sacrilegium medicum illum commissurū arbitror, qui nedum in diarijs, verum etiam in putridis vinū exhibebit, vbi apparebunt signa coctionis, quod tamen uinum sit tenue, album, aquosum, & paruum, hoc enim ad omnia utilius est quàm aqua, vtpotè quod & concoctionem adiuuat, & urinas, ac sudores prouocat, docuit hoc Gal. 8. Meth. 3. x1. Meth. 9. 1. ad Glau. 9. & x1. & in lib. de causis procat. primo: probat etiam ante accessiones interdum tutò, & summa cum utilitate uinum exhiberi posse.

Hæc scripsi propter nonnullos medicos, qui in uino exhibendo solent esse adeò religiosi, ut miseros patientes potius mori patiantur, quàm ut uini

tantillum concedant, non animaduertentes hac sua nimia seueritate interdum fieri, vt morbi alioquin breues quàm longissimè protrahantur.

Consuetudo itaque maximè omnium attendenda, quæ locum habet, & in aere præscribendo, nec non in somno, & vigilia; sunt enim quidam qui nati sunt, & adulti in aere crassiori, & paludoso, qui aerem tenuem, & môtanum ferre non possunt: alij verò contra; rursus alij interdiu dormire sunt assueti sine ullo detrimento.

Ad hæc artes quidam exercent sedendo, quas sedẽntarias vocant, alij stãdo, alij ambulando; quare si contingat, ut sedentario artifici crus, vel frangatur, vel loco dimoueatur, crure iam composito, & apprimè ligato, figura indolens vt deprehendatur, ad figuram naturalem, seu mediam non solum est confugiendum, uerumetiam ad figuram aduentitiam propter diutinam consuetudinem iam inductam: & ob id huic, qui toto die cruribus inflexis consederit, crus minus extendatur oportet quàm alteri, qui uel stare, uel ambulare consueuisset, quod animaduertit Gal. 3. de off. med. 20.

In rebus quoq; venereis, & animi perturbationibus, nec non alijs rebus non naturalibus consuetudo est pariter obseruanda; quare ne in rebus manifestis diutius, quàm par sit immoremur hoc unum sat erit admonuisse naturam consuetis semper gaudere.

Non parum itaq; ad præscribendum tempus agendorum, facere quoque videtur ordinata quædam consuetudo in functionibus, tum naturalibus, tum animalibus obeundis: etenim si sermo sit de cibo, & potu, uidemus plerosque homines, ut suprà diximus, statutas sibi horas prandij, & cœnæ proposuisse, quod idem de somno, & uigilijs, de motu, & quiete dicendum est, immò excretionum quoque promouendarum stata tempora sibi præscripsisse, interualla etiam ad consueta negotia, & exercitia adhibuisse, à qua consuetudine ueluti à natura recedere, aut eandem perturbare, & impedire tutum non est: quod enim consuetum est, bonum est: inconsuetum uerò malum est.

Verum hæc doctrina in his locum habet, ut scribit Gal. 2. prog. 11. in quibus non aliud est ex natura: aliud in consuetudine: quoniam pueri & mulieres, àc viri quidam huic legi, & conditioni non subijciuntur, quippe qui nullum habent statum tempus, aut cibi, & potus, aut somni, & uigiliarum: interdiu dormiunt, noctu bibunt, uigilant, crapulantur, & more bestiarum uiuunt.

Cum itaque doctrina hæc locum habeat in his solum, qui ciuili, & ordinata quadam ratione uiuunt, & purgantia medicamenta sint exhibenda, illud tempus opportunum erit, in quo medicamentum, aut coctioni, aut distributioni obesse non possit, id autem accidit, ut plurimum, matutino tempore in eo spatio, quod est inter prandium, & somnum, quanquàm ut diximus hunc ordinem interdum mutare cogamur.

Eadem ratione alterantia hisce temporibus sunt offerenda, ne cum

cibo

cibo & potu confundantur,& consuetæ motus,& quietis somni,& vigiliæ, cibi & potus horæ interturbentur.

Habent quoq; nõnulli consuetas euacuationes,veluti sunt illi,quibus per definitos quosdam circuitus fluunt hemorroides,necnon mulieres,quibus vteri purgationes statis mensium diebus fluere solent, quibus si forte supprimantur, procurandum est,vt per consueta tempora eædem euacuationes reuocentur.

Neq; tamẽ ob id necesse est,ut numerus indicantium multiplicetur, siquidem naturam hanc,& consuetudinem vsurpamus, non vt indicans per se, & propriè dictum,sed tanquam signum eorum,quę non sunt adeò nota,neque adeò in communi,& frequenti vsu loquendi: hoc enim dicendi genere translatitio scriptores antiqui passim vtuntur, & eodem maximè oblectantur. hoc sæpe inculco, ne quidam nimis seueri, ac diligentes existiment nos ab instituto nostro recedere, non enim ignoramus hæc omnia ad sua propria indicantia referri posse, ac debere: Sed facilioris doctrinæ gratia, atque vt his, & illis satisfieret,non graue fuit laborem hunc suscepisse.

Sed video argutulum quempiam ex his quæ superius dicta sunt inferre, ergo consuetudo indicabit nedum quid agendum, uerum etiam rectam administrationem, atque simul etiam auxiliorum materias demonstrabit, quemadmodum etiam Galen.7.meth.6. voluisse videtur, cum admoneret alios semel in die, alios bis,alios meridie,alios ad vesperam comedere consueuisse.Item alios piscibus,alios carne,alios oleribus alios pomis, & sic alios alijs cibis magis delectari, & sic vnumquenque suo indulgere genio, & propterea materiam non solum ex alijs verum etiam ex consuetudine indicari.

Difficultas hæc ex his,quæ superius dicta sunt, ruit, quoniam si consuetudo consideratur, ut est signum natiuæ temperaturæ, vel aduentitię causa, easdem prorsus præbebit indicationes, quas vtraque temperies præstare potest: &si merito proprietatis cuiusdam naturalis alij facilius concoquant bubulam, quàm pisciculos tenellos, alij non sine nausea uini odorem sustineant; alij alia cibariorum genera refugiant: quibus tamen plerique homines summa cum iucunditate vescuntur; & alij grauiora medicamenta facilius quàm leuiora patiantur; non debemus tamen ob id concludere consuetudinem has nobis materias indicare, quando neque illa, quæ ab ipsa proprietate naturæ præscribuntur, tanquam ab indicante demonstrari dicendum sit; cum proprietas non sit unum ex illis quæ nota sunt intellectui; sed sola obseruatione, & experientia probetur: & hæc de consuetudine, & naturæ proprietate dicta sint.

Sexus utrum conferat ad inueniendum quid agendum. Cap. XLIII.

SExus uerò quòd plurimum conducat ad inuentionem remediorum ex eo apparet, quòd & ipſe temperaturam nobis definire poteſt; ſiquidem fœmina temperaturam nobis frigidiorem, ac humidiorem refert: mas verò calidiorem, & ſicciorem, vt ſcribit Gal. 5. aph. 42. & 62. id quod cognoſcitur ex ijs, quæ temperaturam conſequuntur, ſiquidem fęminæ molliores ſunt quàm mares, & propterea delicatiores, ac timidiores, quare ſiue rationem uictus inſtituas, ſiue alterantia medicamenta adminiſtres frigidiora ſemper in mulieribus quàm in uiris cæteris paribus procurabis, quòd ſi euacuare volueris cautius ſemper in fœmineo ſexu, quàm in maſculino agendum eſt; ſiquidem molliora corpora, quippe quæ facilè reſoluuntur, generoſa remedia ſuſtinere nequeunt. ſexus itaque ratio in pręſcribenda auxiliorum, tum quantitate, tum qualitate perpetuo erit habenda.

Inſtitutum uita quam utilitatem præbeat ad inuentionem remed. Cap. XLIIII.

NEque inſtitutum vitæ videtur omnino prætermittendum, quando una cum ſexu, conſuetudine, ætate naturam corporis nobis deſignat: uocant autem medici inſtituta vitæ omnia quæ obeunt homines, aut utilitate adducti, aut neceſſitate coacti, ſiue nauigent, ſiue terram colant, ædificent, fabricentur, venentur, aut aliud quoduis exercitium tractent; licet igitur ex ijs de morbi conditione coniectare. Etenim qui ruri æſtiuo tempore apricatus habitat, ſi duriter, ac victu tenui uitam egerit, cęteris paribus amaram bilem potius quàm pituitam ob intemperiem calidam aggregabit, qui verò contra vrbem colit in umbra, ocioſè uiuit, & gulę ventrique indulget, hic ob intemperiem frigidam & humidam pituitam potius quàm bilem generabit. Atque eadem ratio in cęteris locum habebit; ſiquidem Furnarij, Carbonarij, Tegularij, Thermopylę, Chymiſtę, Metallarij, Coqui, Fabri ferrarij, & id genus alij temperaturam calidam potius quàm frigidam definiunt; quo fit, vt cum in calidos morbos inciderint minus refrigerantibus curari debeant. Contrà verò ſi in frigidos delabantur, quoniam tunc calidioribus contrarijs ad priſtinum ſtatum reuocari debent, Nautę uerò & piſcatores, quippè qui frigidam, & humidam temperiē prę ſeferunt, ſi forte contingat, ut in frigidos; & humidos morbos incurrant minus egent calefacientibus, & exſiccantibus. Contrà verò ſi calidis, & ſiccis afficiantur. At ſi otioſum uitę genus traduxerint ueluti ſutores, bibliopolæ, ſcribę, ſtudioſi, ac literati homines, atque perpetuo, ſe cibis ingurgitent, hi nedum intemperiem frigidam, & humidam reprę ſentabunt, uerum etiam maximam excrementorum copiam redundare ſignificabunt; & propterea largam euacuationem indicabunt, hæc autem indicatio ab ea, quæ à conſuetudine deſumpta eſt non multum diſtare uidetur, quare clario-

clarioris doctrinę gratia potius, quàm quod rei necessitas ita postularet, d uitæ institutis locuti fuimus.

Longitudo, & breuitas morbi quam præbeant vtilitatem ad inuentionem remed. Cap. XXXXV.

LOngitudinem, & breuitatem morbi non parum conferre ad inuentionē auxiliorum docuerunt Hipp. & Gal. 1. Aph. 4. 7. 10. & 22. item 2. aph. 9. nec non plerisque alijs in locis. siquidem in morbis longis siue simpliciter longis, siue ex degeneratione, seu decidentia, uictum mediocrem cōuenire uidebimus, qualis est, qui uim habet conseruandi uires, & aliquantisper imminuendi materiam morbosam; exquisitè verò tenuem semper esse periculosum, propterea quod uictus exquisitè tenuis uim habet imminuēdi vires, cum tamen in morbis quoquo modo longis uires semper sint custodiēdæ. At in morbis acutis simpliciter tenuis erit accommodatus. In acutis exactè uictus exquisitè tenuis. In peracutis simpliciter uictus tenuissimus. In exactè peracutis tenuissimus in extremo.

At dicet quis, si à morbo ut longus, uel breuis est sumitur indicatio diætandi, ergo non à uirtute, uel unum à duobus indicabitur, & ab uno plura.

Vt scrupulus hic, qui uiros celebres, & nomine claros interfit submoueatur, Hippocratis sententia ad optimum sensum est traducēda, quoniam antiqui scriptores rarò proprietatem loquendi secuti sunt. Arbitror itaque illam esse ueram Hippocratis sententiam in 4. illo Aphorismo, ut, cum in præcedenti locutus esset de inuentione auxilii præseruatorii, vt uim habet non purgandi, sed vehementer euacuandi, in 4 verba faciat de inuentione eiusdem remedij, ut uim habet leniter euacuandi, quod quidem remediū cum posset esse diæta, hinc arrepta occasione locutus fuerit de dięta, seu de uictu ægrotantium, & sic de præsidio uitali, tum per se, tum per accidens, ut locum habet in arte therapeutica. Etenim eadem materia, & euacuamus humores sui quantitate peccantes, & uires ægrotantium custodimus, quandoque per se, quandoque per accidens, per se quidem cum uim habet per se custodiendi uires, per accidens uerò cum uim habet imminuendi uires; nam omnis ratio uiuendi, quæ uim habet imminuendi uires, nō dicitur uitalis nisi per accidens, cum uirtus semper sui custodiam desideret, non autem destructionem. Quare cū uictus ille subministretur, qui uim habet imminuendi massam sanguineam, quæ morbum efficit, per consequens uim habet submouendi morbum, & cum ex ablatione morbi uita custodiatur, hinc fit ut uictus imminutus dicatur auxilium uitale per accidens. Absoluit itaque Hipp. in eo Aph. mira quadam aphoristica breuitate utrunque scopum, & pręseruatorium qui uim habet leniter euacuandi, & uitalē tum per se, tum per accidens, qui locum habet in arte curatiua. Et hoc est, quod docuit Gal. & in 3. & 4. Aph. primi libri. In 3. quidem cum dixit, In hoc autem aphorismo, & in sequentibus de humorum quantitate agit Hipp. In 4. uerò cum dicat sententiam Hipp. esse de uictu ægrotantium disserere. Verùm Hipp. nedum utrunque auxilium proponit, sed simul ac semel eadem bre-

uitate

uitate vtrunque definit,ſpecificũ & appropriatum reddit, immò virtute indicati vtrunque indicans ſignificat nempè virtutem, & eoſdem humores, etenim eadem quandoque vim habent indicantis quandoque prohibentis, quandoque permittentis, proponit etiam quod cauſæ vehementiam, vel mãſuetudinem,& clementiam deſignat, nempè morbum,vel longum vel breuem, & ſic proponit quantum agendum, & materiæ applicat, vt vnicuique videre licet verba Hippocratis rectè computanti. Quibus ſic explicatis nemo eſt, qui non videat morbum ab Hippòcrate conſiderari, vt eſt ſignum grauitatis & vehementiæ, vel benignitatis, & clementiæ cauſæ morboſæ ſui quantitate peccantis, nec non virtutis ſatis robuſtæ,quæ talem diætam ſuſtinere poſſit.

Videtur etiam longitudo, & breuitas morbi plurimum conferre ad opportunitatem purgationis indagandam quemadmodum Gal. I. Aphor. 24. nobis ſignificare videtur, cum dicat in longis ſemper morbis coctionem expectare oportere; In acutis verò cum materia turgeat ab initio uti ſolemus purgantibus medicamentis,vt ſcribit Hippoc.aphor.22.primi libri, & Gal.in lib.quos,& quando purgare oportet. At ſi lõgitudo,& breuitas morbi purgationis opportunitatem indicãt, ergo & purgationem indicabunt, quoniam ab eodem diuerſimodè cõſiderato quid agendum, & rectus materierum vſus demonſtratur.ſed longitudo,& breuitas morbi non indicant quid agendum,ergo neque rectam materierum adminiſtrationem.

Ad Galenum itaque & Hippocratem dicendum eſt longitudinem morbi per ſe,neque auxilij ſpeciem aut ideam,neque auxiliorum vſum indicare; ſed eſſe ſigna vt ſuprà diximus materiæ crudioris in aliqua parte exiſtẽtis,quæ ad motum inepta ſit:quare non longitudinẽ aut breuitatem morbi tanquàm ea,quæ primo purgationem indicant,ſed tanquàm ſigna materię indicantis ſpectare debemus. Verùm de his copioſius vbi de cauſa morboſa ſermonem habebimus.

Tempora morborum, quem vſum ad inuentionem auxiliorum præbeant. Cap. XXXXVI.

NEdum longitudo & breuitas morbi in perquirẽdis auxilijs locum habere videtur, verum etiam quattuor tempora morborum: etenim ſi rationem cibandi quæras, duo tibi ſunt ſpectanda morbi vigor,& ęgrotantis vires:etenim ſi morbus in ſuo vigore cõſtiterit victu tenuiſſimo uti oportet, tum propter uirtutis debilitatem, tum propter morbi coctionem. ergo unum (dicet quis) à duobus indicabitur nempè à morbo,& à uirtute.

Hoc loco eandem ferè reſponſionem afferre licet, quam ſuperius adduximus, hoc eſt morbum eſſe ſignum humorum, tunc temporis cum virtute pugnantium, & propterea etiam uirtutis, ſi non per ſe ſaltem per accidens debilis: fieri ſiquidem poteſt, vt virtus per ſe ſit ſatis robuſta, ad humores tamen quos conuincere, & exornare debet relata imbecillis iudicabitur:quare nõ licebit naturam diſtrahere ad cibos recenter

aſſumptos

assumptos conficiendos: si tempora itaque ut signa spectabimus in omnibus morbis, in quibus summus uigor, & iudicatio primis quattuor diebus futura est, modo uires sint ualidæ integrã inediam seruabimus, quæ uictus est in extremo tenuissimus, dummodo ægrotans parcè uiuere fuerit assuetus, quòd si liberalius uixerit ab extrema illa inedia tibi cauendũ est. Quòd si non ultra primam hebdomadam producatur morbus, uiribus ualidioribus existentibus, uel solo melicrato, uel paulo pleniori pro consuetudine, uti sufficiet, hic enim uictus erit tenuissimus, non tamen in extremo. Quòd si uiribus non fidamus, ptissanæ succo nutriemus, uel pane loto.

Ex his itaque ratio diætandi in ęgrotantibus hoc modo erit instituenda, vt in principiis morborum æger plenius cibetur quàm in cæteris temporibus, in incremento paulatim detrahatur. In uigore tenuissimus uictus adhibeatur, nisi occurrat aliquid, quod uim habeat exoluẽdi uires, cuius causa rationem cibandi permutare cogamur. In declinatione tandem uictum paulatim reficientem subministrare oportebit.

Quòd si alterare uolueris eadem quoque tempora spectabis, quoniam in principijs febrium acutarum frigidissima non sunt administranda, raro etiã in augmento. In statu uerò apparentibus signis coctionis tutò administrare potes, ueluti aquã frigidã, & quæ ad extinguendum iecinoris feruorem, & incendium præcordiis admouentur, quæque uigiliarum causa, uel propinantur, uel capiti, fronti, naribus, temporibus, manibus, & pedibus ad somnum conciliandum adhibentur, siue sint inunctiones, siue fotus, siue lotiones, & balneationes.

Sed in tumoribus hæc temporum diuersitas maximopere seruari debet, siquidem incipientibus inflammationibus fluenti materiæ debetur reuulsio, deriuatio, repulsio, interceptio. In augmento materiæ iam fluxæ discussio. In uigore qualitas mitigatoria, laxatoria concoctoria; in declinatione discussoria magis. Tempora itaque morborum qualitatem remediorum indicare uidentur, cum tamen sint signa materiæ, hoc uel illo modo peccantis.

Quòd si purgationem spectabis, eadem quoque quid agendum sit demonstrare uidentur, siquidem Hipp. 2. aphoris. 29. dicebat cum morbi inchoant, si quid uidetur mouendum; moue; Cum uerò consistunt, ac uigent melius est quiescere. hæc enim tempora significant uirtutem, uel debilem, uel robustam, etenim circa initia, & fines omnia symptomata sunt leuiora, huius generis sunt accessiones, uigiliæ, dolores, fastidium, sitis & id genus alia, quare cum uirtus non sit admodum oppressa, tunc licet, si quid mouendum est, mouere. At in uigore cum eadem symptomata sint grauiora, & sæuiora, melius est quiescere, quoniam tunc uirtus defatigata talem purgationem, uel sanguinis euacuationem nõ sustineret, quare tempora hæc in purgatione docent uirtutem, uel permittentem, uel prohibentem huiusmodi euacuationem; Conferunt itaque ad inuentionem remediorum, ut signa.

Idem de particularibus morborum accessionibus dicendum est, quoniam cum tria sint capita, quibus uictus ratio comprehenditur, vt inquit Gal. primo, aphoris. 19. quantitas ciborum, qualitas, & utendi modus,

ad qualitatem, & quantitatem inueniendam non conferunt acceſſiones; ſed ad utendi modum, ſiquidem docēt modum in tempore, etenim ut uirtus cuſtodiatur, indicat ut cibus offeratur, & quandiu indiget ſui cuſtodia, tandiu indicat tunc temporis cibum eſſe offerendum; ſed quoniam periculum eſt, ſi quolibet tempore ſine ullo diſcrimine cibus offeratur, ne uirtus ſuccumbat, ob id modus eſt adhibendus, quare admonet Hipp. ne in acceſſionibus nutriamus, quod idem animaduertit Gal. in primo acutorum cum diceret in acceſſionis tum principiis, tum incremētis ingeſtam alimoniam lædere admodum natam eſſe, & ob id exhibitionem differre oportere, quãquàm corpus ipſum iam iã indigere uideatur, quare ſubdebat Gal. optimũ tempus dandæ alimoniæ languentibus eſſe cũ moderatiſſimè ſe habuerint, tum thoraxtum uenter; deterrimum cum deterrimè; deterrimè habent in acceſſionibus, dum incipiunt, moderatiſſimè in declinationibus. Conſtat igitur optimum cibi miniſtrandi tempus in ęgrotantium declinationibus eſſe: acceſſionis autem principium fit calore omni toto ex corpore ad cor thoracemque concurrente. Incrementum cum paulatim ad extremas corporis partes ſeſe expandit: ſtatus cum ex æquo corpus totum occupat. Declinatio perſpirante caliditate, atque medium corporis relinquente, quod fit cum ad pedes calor deſcendit, & ſuperiora linquit.

At uideo aliquem nobis obiicere authoritates Galeni 10. Meth. 3. & 4 11. Meth. 21. & lib. de cauſis procat. primo quibus in locis videtur velle, ægrotantes interdum ſub acceſſione, interdum in principio, interdum etiã in ipſo vigore cibari debere, quare contradictio manifeſta uidetur.

At non eſt exiſtimandum uiros doctiſſimos, quales fuerunt Hipp. & Gal. adeò inconſtantes eſſe, vt in re tanti momenti pugnantia inter ſe proferant: ad optimum itaque ſenſum illorum verba ſunt reuocanda. ſiquidē viri iſti doctiſſimi rei ueritate cognita communem opinionem adamarunt, & notiora quæque perſecuti ſunt.

Cognouerunt quidem acceſſiones, ut ſignificant tempus, nihil eorũ quæ dicta ſunt indicare; ſed eſſe ſigna materiæ morboſæ, ſeu præparationē, ſeu exornationem, & euacuationem expetentis, & cruditatem prohibentis; ſed veritatem hanc ſubticuerunt, quoniã non exiſtimarunt homines eò demētiæ uenturos, ut monſtrum hoc meditarentur; attamen cum his temporibus ſint nonnulli, qui neglecta rei natura, & ſcriptorum verbis nimis addicti non uereantur tueri ab uno plura, & à pluribus unum per ſe indicari, ob id coacti fuimus longum hunc laborem ſuſcipere, ut & hi reſipiſcerent, & alii dormientes ex ſomno excitarentur, iiſque obſequeremur, qui quæſtionibus neglectis facilitate gaudent. Diximus itaque acceſſiones ſignificare nobis materiam morboſam ſui concoctionem indicantem, & cruditatem prohibentem, quæ cruditas cum fiat ob nouam excremētorum generationem ab ingeſto nouiter alimento ſuſceptam, nec non ob diſtractionem uirtutis à concoctione illius materiæ, hinc fit, ut materia illa ciborum oblationem prohibeat: quare ubi uirtus non erit adeò debilis, ut pugnando cum materia morboſa uſque ad paroxiſmi inclinationem poſſit cõſiſtere, ciborum oblatio in declinationem erit reiicienda. Quòd ſi uirtus fuerit adeò debilis,

debilis, vt periculum sit ne in conflictu succumbat, quemadmodum in his cõtingere solet, in quibus corporis intemperies ad siccum, & calidum cõuersa febres accendit, tunc virtus, & causa inter se pugnabunt, quare confugiendum erit ad magnitudines, tum virtutis, tum causæ, cum indicantia paria numero existant; atque magnitudines, tum ex dignitate, tum ex recessu à naturali statu, nec non ex facultatibus erunt æstimandæ: & quoniam satis constat magnitudinem indicantis vitalis, quæ oritur ex dignitate, præferendam esse magnitudini indicantis præseruatorij, quæ ex illius dignitate oritur, sequitur, vt hac perspecta tantum magnitudine virtuti semper magis attendendum sit quàm causæ: quod si huic magnitudini accedat, & illa quæ oritur ex declinatione à naturali habitu, non est dubitandũ, quin virtutis indicatio sit preferenda, & multo magis, si accederet magnitudo ex facultatibus: siquidem interdum contingere potest, vt aliquis temperaturæ calidæ, & siccæ incidat in febrem, vel ex insolatione, vel defatigatione, ira, labore, inedia, vigilijs, tristitijs, curis, solicitudinibus, & alijs id genus causis, quæ vim habent corpus exsiccandi, & humores acres, & mordaces procreandi: fieri etiam potest, vt ingruente accessione humor biliosus ad os ventriculi transmittatur, vt inde morsus, & animi deliquia, angores, molestiæ, & alia id genus symptomata, quibus facultates corpus gubernantes valde lædantur, vt magnitudini ex dignitate, & recessus à naturali statu accedat, & alterum magnitudinis genus: quo loco quis est, qui non uideat neglecta aliquantisper causa hoc est succis acrioribus excalfactis, & attenuatis, uirtuti esse consulendum, plus enim potest uirtus ad indicandum quàm causa ad prohibendum, non enim materia est admodum copiosa, neque lenta, crassa, & viscida, immò eius generis, vt merito qualitatis solamen aliquod ex humidiori, ac frigidiori alimento suscipere possit: quare si accessione incipiente aliquod ex illis symptomatibus succedat, iis pręstabit paulo ante accessionem si fieri poterit, aut etiam in ipsa accessione sorbitionẽ aliquam exhibere, uel ex alica, vel cremore hordei, uel pane raso loto, & sorbili, vel etiam exiguum quid panis ex vino albo tenui diluto, & calente porrigere, & si stomachus picrocholus fuerit aliquid immiscere quod uim habeat leuiter adstringẽdi, cuiusmodi est succus granatorum, uel cotonei, uel exiguum quid omphacii, vt ventriculo robur indatur, ne à materia biliosa facilè lædatur.

At si materia, quæ facit febrem, copiosa fuerit, crassa, lẽta, uiscida, & quæ obstructiones pariat, aut etiam putrescat, aut adsit inflammatio, vel in ventriculo, vel in hepate, aduentantibus accessionibus, aut in accessionibus ipsis nihil omnino est exhibendum, nisi fortè in accessionibus ipsis aliquid acrioris succi ad ventriculum dilabaretur, cuius causa cardialgia, vel anxietudo aliqua subsequeretur, quoniam tunc nõ erit inutile ante accessionem os ventriculi corroborare. Quod autem hoc tempore cibi oblationem prohibet nihil aliud est, quàm materia morbosa, cuius magnitudo, quæ oritur ex recessu à naturali statu plus potest, quàm magnitudo virtutis, quoniã in huiusmodi febribus rarò, aut nunquàm contingit, vt virtus sit adeò debilis, vt pugnam, quæ fit in accessionibus, sustinere nequeat: non enim in his fit

tanta

tanta exſiccatio, neque tanta uirium reſolutio, quanta in illis fieri ſolet; quæ oriuntur ex ſuccis acrioribus excalfaſtis & attenuatis in corpore admodum calido, & ſicco, in quo, dum febricitat, uirtus non poteſt eſſe robuſta, ut rectè monuit Gal. 10. meth. 5. uirtus itaque perpetuo in cibandis febricitantibus eſt ſpectanda, necnon cauſa, quæ febrem inducit.

At dicet quis non uidetur eam fuiſſe Galeni ſententiam in primo acutorum 46. ut tempus cibi offerendi ſumeretur à cauſa; ſed à morbo cum diceret. Cibi offerendi tempus ex morbo non prohibente inueniri: acceſſiones itaque non cauſam, ſed morbum uidentur referre debere.

Huic authoritati primo ratione, deinde Galeni authoritate ſatisfieri poteſt: ratione quidem quoniam Gale. per morbum nihil aliud intelligere potuit, quàm cauſam: non enim eſt dubium ibi Galenum ſermonem habere de febribus cum materia: at febris, ut febris, & propterea, ut intemperies calida, & ſicca non prohibet alimoniam: quoniam quid uetat quominus offeratur cibus, qui uim habeat refrigerandi, & humectandi? febris itaque, ut febris non prohibebit, ut cibus hoc tempore potius quàm alio quouis offeratur, quare ſi prohibet, uel permittit non ob aliam cauſam id præſtat, quàm ut morboſam cauſam definit, id quod ſignificauit Galen. 1. Aph. 17. ubi enumeratis ijs omnibus, quæ ad inuentionem auxiliorum contemplanda uidebantur, in poſtremis uerbis illius commenti admonet omnia, quæ dicta fuerant, ad duas primas intentiones referri debere, & per eas intelligit virtutem & cauſam, ut ex eiuſdemmet uerbis probari poteſt, quoniam, ut cauſam redderet cur ea omnia ad duas primas intentiones eſſent referenda, ſubdit hæc uerba. Singula enim, quæ diximus, aut fortes, aut debiles uires efficiunt, & corpus reddunt aut ſuperabundans bonis humoribus, aut ſufficientibus carens, aut vitio humorum deprauatum, quòd uerò inter illa paroxiſmos enumerarit Galen. ex illius uerbis ſatis conſtat, quare ſi paroxiſmi prohibent ciborum oblationem non prohibent, ut morbum, ſed ut cauſam deſignant.

Plurimum quoque prodeſſe videntur ad purgationis tempus deſcribendum, quando in acceſſionibus fit motus materiæ ad ſuperiora potius quàm ad inferiora, quo fit ut interdum uomitus excitentur, quandoque ſanguis è naribus ſtillet, nonnunquam dolores capitis contingant, quibus de cauſis purgantia in diebus acceſſionis, & multo minus in acceſſione non ſunt exhibenda, etenim ratione motus contrarij ad purgationem inepta redditur materia, & uirtus eiuſdem materiæ motu exagitata labefactatur, ut periculum ſit, ne ui purgationis adeo exoluatur, ac debilitetur, ut tandem ſuccumbat: quare ſi aduentantibus acceſſionibus euacuatio vlla tentari debet, ut in angoribus, & moleſtijs uentriculi quandoque contingit, tunc opportunè uomitus prouocabitur, in declinatione verò ſudor & urina, quando non paucis intermiſſione facta, aut lotium, aut ſudor, aut aluus fluat.

Facultates medicamentorum, & influxus corporum cæle-stium methodo medendi quem usum præ-beant. Cap. XLVII.

HIsce scopis alios duos adiunxerunt quidam, quorum alterum a medicamentorum facultatibus, alterum a lumine, & influxu corporum cælestium desumpserunt, quos a præsenti speculatione reiecimus. nam & si facultatum medicamentorum cognitio ad curationem morborum multum conducat, nihilominus cum ad inuentionem remediorum non alia ratione conducat, quàm eo modo quo supra diximus ob id ab hoc doctrinæ genere uidetur excludenda. Siquidem cognoscere facultates medicamentorum, utpote quæ calida, quę frigida, quę humida, quæ sicca, quę attenuãtia, quæ incidentia, quæ detergentia, quæ roborantia, quæ repellentia, quæ inspissantia, & incrassantia, quæ lenientia, quæ purgantia, quæ benig na, quæ maligna, quæ validiora, quæ leuiora, & alia id genus propemodum infinita ad methodum medendi non pertinet, sed ad artem, quam medi camẽtariam uocant, in qua optimus medicus diu multumque uersari debet, vt vniuscuiusque medicamenti nedum manifestas qualitates, verum etiã occultas proprietates intelligat, sic enim tenebit, quæ singulis partibus conferant, uel infesta sint.

De potestate uerò corporum cælestium nihil omnino dicturi sumus, nõ quod negemus uarias illorum figuras & aspectus, qui ex motus, & orbium cælestium multiplicitate contingunt ad curationem conferre posse, quando præter experiẽtiam Gal.3.de cris. 3. 6. 9. & 12. huic opinioni assentire videatur, nec non Hipp. in libello de aere, Aquis, & locis sub finem, & Arist. in 1. de historia animalium, & in opere de physiognomicis speculaminibus referente Galen. in libr. quod animi mores 7. Sed ob eam causam ab hoc labore libenter supersedemus, quoniam tota fere Astroloiatrica, & iatromathematica ad pręsagiendum potius quàm inuenienda opportuna remedia sit accommodata. Accedit etiam quod de hac re plura scripserit Ptolomæus, Abenrageles, Regiomontanus, Ioanes Hasfurtus, Hermes Trismegistus, & tota Astrologorum familia, ad quam lectorem reijcio.

Vsus Aeris in methodo medendi. Cap. XLVIII.

QVo verò ad aerem pertinet. Cum probatum fuerit superius aerem nobis circunfusum ad inuentionem auxiliorum nullo modo per se cõferre posse, quemadmodum etiam ætas, cõsuetudo & id genus alia; nunc institutum nostrum erit tantummodo ostendere quam vtilitatem medicis in perquirendis auxilijs præbere possit, quod vt omnes intelligant illud prius statuendum est, aerem dupliciter considerari posse, vno modo ut refertur ad id qđ est secundũ naturã, altero modo vt refertur ad id

quod

quod eſt præter naturam:ſi conſideratur, vt refertur ad id, quod eſt ſecundum naturam,vel ei ſimile,vel diſſimile apparet; ſi fuerit ſimile nihil omnino indicabit, ſed uim habebit cuſtodiendi id quod erit ſecundum naturam, quare non iniuria quis appellabit materiam victus ſalutaris, cum vim habeat cuſtodiendi organa uitalia, quare ſi temperatura natiua, vel aduentitia fuerit, calida vel frigida, humida vel ſicca, vel ex his compoſita, & aer huiuſmodi temperaturæ ſimilis & concors fuerit, conſeruabit ipſam, & ſic rationem materiæ ſubibit. Idem dicendum de ſpiritu, & calido ingenito, ſiquidem his omnibus & conueniens pabulum, & refrigerationem præſtat, immo ſi purus, tenuis,ac temperatus fuerit, ſpiritus colluſtrat, ſanguinem attenuat, cor hilaritate perfundit, appetentiam, concoctionem, & alias omnes functiones naturales ſuſcitato calore uiuidiores, ac uegetiores reddit: quod ſi rebus ſecundum naturam diſſimilis fuerit in intima quæque penetrans ſuo contactu humana corpora commutabit, propinquiora, & aerea magis prius alterando, quemadmodum alia quæque inanima permutare ſolet, cuiuſmodi ſunt ligna, lapides, metalla, & alia, quæ ex alteratione aeris afficiuntur. Quare non immerito Galen. primo de ratione victus in acutis quadrageſimo quinto, dicebat locum ad notitiam uirtutis plurimum conferre poſſe, quando loci caliditas velociter, & confeſtim virtutem quantitate uacuationis ſoluit; quare interdum vim habebit materiæ cuſtodientis virtutem, interdum ſignum erit virtutis debilis, vel robuſtæ.

At ſi referatur aer ad id quod eſt præter naturam, vel erit concors cū eo, vel diſcors, ſi cum eo concors fuerit, uim habebit cauſæ morbificæ; vt ſi quis febri laboret in aere calido & ſicco, aer ille vim habebit cauſæ morboſæ, vt Galeno placuit 9.meth.14.& 15.& 11. meth.1.a qua tamen cauſa non ſumitur indicatio,niſi per accidens,ea ratione qua definit receſſum a naturali ſtatu; at ſi diſſentiens ac diſcors fuerit uim habebit materiæ ſanantis,ut ſi ex.g.quis febri afficiatur in aere frigido,& humido, hic aer frigidus,& humidus cum vniuerſum corpus permeare poſſit,uim habebit caliditatem illam & ſiccitatem remittendi.

Verum quia non mutatur aer niſi merito locorum, regionum, temporis anni, & cœli ſtatus, ob id locorum differentiæ, in quibus decumbit, vel habitat æger primo loco ſunt nobis conſiderandæ. Etenim nedum in vna regione, verum in una & eadem vrbe immo in vna & eadem domo uariæ, ac diuerſæ ſunt locorum differentiæ: ſi quidem cubiculi alij alijs ſunt, vel calidiores, vel frigidiores, vel humidiores, vel ſicciores, ſubterraneę namque habitationes æſtiuo tempore, quæ in Septentrionem perforantur ſi perflabiles fuerint aerem frigidiorem, ac humidiorem reddunt febribus omnibus; & præſertim hecticis, & ardentibus maxime accommodatum, quòd ſi editiori loco meridiem verſus poſitæ fuerint, aerem calidiorem, ac ſicciorem faciunt, & præſertim per æſtatem, quo fit vt febricitantibus aduerſarius, & incommodus exiſtat: vnde qui habitationes commòdas non

habent coguntur aerem ipsum alterare, ut uim habeat materiæ sanantis.

Dicimus præterea loca luminosa insanientibus, uertiginosis, hemicranicis, ophtalmicis, colicis, Iliacis & quibuscunque alijs cruciatibus esse inimica. Apoplecticis verò veternosis, syncope correptis ualde opportuna, nō quia aerem calidiorem, uel frigidiorem efficiant, sed potius tenuiorem; & propterea maximam vim habentem alia corpora aerea, ac tenuissima disgregandi, ac dissipandi: etenim sicut maior flamma minorem absumit, & extinguit, sic aer valde pellucidus spiritus disgregat, & absumit, ut mirum non sit si in huiusmodi affectibus, in quibus spiritus maximè patiuntur, accedente aeris splendore multo magis oblædantur, a tenebris verò, & obscuritatibus ualde recreentur.

Solemus quoque dicere loca montana, edita, maritima & alia id genus, quæ aeris siccitatem inducunt, distillationibus, ortophnæis, & omnibus capitis, ac thoracis affectionibus subuenire, paludosa verò, subterranea, interclusa, & quæ sunt huius generis humiditatem redolentia esse valde molesta, & sic aerem interdum vim habere causæ morbosæ, interdum materiæ sanantis.

At video statim aliquem sic argutari, locus non potest esse causa efficiens ex Arist. 4. phy 11. quoniam tunc aliquid esset in seipso, ergo non potest esse causa, ut aer commutetur.

Huic non aliter respondere debemus, ac respondet Gal. Sophistis, satius esse communem, & usitatam loquendi rationem sectari, quàm perpetuò de uerbis contendere & de proprietate loquendi litigare, non ignari tamen in philosophia rem aliter se habere: quare in arte medica res ad viuum non sunt resecandæ dummodo ad finem artis conducant; non enim ignoramus locum non esse causam agentem, sic enim accidens per se uim haberet immutandi substantiam, sed esse signum huius, vel illius constitutionis aeris, idem quoque de regione, anni tempore & cęli statu dicendum est.

Siquidem regionis diuersitas aeris diuersitatem significare videtur. At uariantur regiones pro uarietate Zonarum, in quibus, & sub quibus constitutæ sunt: physici nanque Astrologi, Geographi, & poetæ tam cœlū quàm terram in quinq; plagas, seu interualla quinque circulis minoribus distinguunt, ut propterea aliæ sint plagæ, seu Zonæ cælestes; aliæ terrestres, quæ cælestibus directè subijciuntur: has tibi demonstrabit totius orbis descriptio, seu globus artificialis. Ex his una est quæ torrida uocatur, cuius medium est sub æquinoctiali circulo, ubi uterque polus est in horizonte, termini huiusce plagę utrinque sunt, ubi eleuatio poli tam meridionalis quàm septentrionalis est graduum uigintitriū, minutorum uerò ferè triginta. Inde capiunt aliæ duæ Zonæ, seu plagæ initium, quæ temperatæ dicuntur, atque utrinque se extendunt, & porriguntur ad eum locum, vbi eleuatio poli est sexaginta sex graduum, & minutorum triginta, qui locus est frigidarum, Zonarum principium; quarum latitudo est uigintitriū grad. & triginta ferè minut.

Hac

Hac habita diſtinctione quære in globo artificiali, ſeu in Orbis deſcriptione, quæ regiones, quæ prouinciæ quæ oppida in hac, uel illa poſita ſint, ſic enim habebis hominum, & varias temperies, & mores. Siquidem populi illi, qui ſub ęquinoctiali habitant, omnium calidiſſimi, & ſicciſſimi exiſtunt, qui uerò Zonas magis temperatas incolunt magis, & minus calidi dijudicantur, prout a Zona torrida magis minuſve recedunt, poſtremò qui frigidiores plagas poſſident inæquali temperamento viſuntur, vt quibus exteriora frigeant, interiora atque in his viſcera immodicè vrantur. Inæqualitatis autem harum plagarum cauſa inde habitur, quòd Sol, qui nunc in hanc, nunc in illam mundi partem ſub Eclipſica ſe flectens terræ ſuos diſſeminat radios, nunc magis, nunc minus perpendiculares, & propterea rectiores; vel minus rectos angulos in terra conſtituentes: ex qua angulorum diuerſitate, nunc maior, nunc minor uiget in hac, vel illa plaga caliditas. Etenim cum in torrida Zona magis recti fiant omnium calidiſſima cenſetur; reliquę verò magis minusve calidæ prout anguli magis, vel minus fiunt obliqui: & hoc eſt quod ſignificare voluit Gal. primo. de natura humana 36. vbi dicebat ſolem eſſe cauſam caloris, vel frigoris ex diuturnitate, vel breuitate temporis, quo ſuper terram fertur.

Verum non ſat eſt medico diuerſitatem plagarum cognouiſſe, quoniam in eadem plaga ex ſitus varietate diuerſa quoq; oboriuntur hominum temperamenta: montoſę namq; regiones, vt diximus frigidiores ſunt, & ſicciores quàm planæ, ſicciores maritimę quàm paluſtres; immo inter planas regiones ſub eadem plaga prorſus exiſtentes varios hominum mores, & ob id varia temperamenta licet obſeruare: id quod cum neq; in motum ſolis neque in locorum varietatem referre valeas, non erit fortaſſe ab re ſi ad varios aſtrorum aſpectus, & figuras referamus.

Ventorum quoq; dominium ſpectandum arbitramur, quando ex vnica ventorum qualitate, aeris quoque conſtitutio maximè mutari ſoleat.

Perſpecta itaq; quamfieri poteſt diligentiſſimè, tum regionum tum particularium locorum natura, de aeris qualitate non erit difficile iudicare, & ex ea determinatam cuiuſque corporis temperaturam cognoſcere, vt & in qualibet alteratione, & euacuatione, ac nutritione quantum ſit agendum perſpicere valeas: id quod vt certiori coniectura conſequi poſſis, & anni tēpora, & cœli ſtatum conſiderabis.

Quatuor anni tempora ſtatuerunt philoſophi, & medici, quę inter ſe diſtinxerunt caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate; ſiquidē æſtatem, quæ ab ortu Pleiadum ducit principium, calidam, & ſiccam naturaliter eſſe dixerunt: Autumnum verò cuius initium oſtendit Arcturus, inæqualem, hic enim matutino tempore frigus uiget, meridie magnus fit æſtus, qui rurſus ad crepuſculum ueſpertinum tranſit in algorem: dominatur tamen in eo ſiccum humido, & frigidum calido.

At hyemē cuius principiū adducit Occaſus Pleiadū humiditate alijs frigoreq; pręſtare voluerunt. Hyemem ſequitur Ver, cuius exordiū prębet Aequi

noctium, huius constitutionem alii calidam,& humidam statuerunt, Gal. uerò primo de natura humana 36.temperatam esse uoluit, non quidē simpliciter, sed facta cum aliis temporibus comparatione: hæc enim sensu, & ratione probabat, sensu quidem, quoniam sensus demonstrat uer omniū anni temporum esse maximè temperatum; ratione uerò quoniam si caliditas eius frigiditatem multo excederet, uel humiditas siccitatem, & putredini esset obnoxium, & morbis maximè omnium opportunum; sed hoc absurdum est, cum omnium anni temporum suaptè natura sit saluberrimum: non est itaque tempus hoc calidum, & humidum; sed potius temperatum.

Hæc itaque cum ita sese habeant, & unicuique tempori suus respondeat humor, uere sanguis abundabit, æstate flaua bilis, autumno humor melancholicus, hyeme pituita; & quia se consequuntur anni tempora, ætates, & regiones, ob id adolescentia ueri similis erit, iuuentus æstati, declinans autumno, & senectus hyberno; eodem modo regio temperata ueri, calida & sicca æstati, frigida, & sicca autumno, frigida, & humida hyemi; hæc itaque ita se consequuntur, ut quæcūque de uno audiueris ad reliqua duo per similitudinem transferre liceat, ut monuit Gal.8. de pla.6. his omnibus si addas inquit Gal. contrariorum contrarias esse curationes iam habebis artis elementa ab Hippocrate tradita, quibus tanquàm syllabas adiunxit morbos, qui singulis temporibus, & ætatibus uigere solent, de quibus cum copiosissimè fuerit locutus 3.aphor.20.21.& 23.& Gal. in expositione illorum Aphorismorum, & 8.de pla.6. longiori ratione totam hanc doctrinam fuerit persecutus, ad breuitatem multum conferre arbitratus sum, si ad ea loca lectorem reiicerem, præsertim cum institutum non sit hoc loco omnes morborum causas enumerare, & multo minus quæ ad præsagiendum sunt accommodata; sed ea tantum declarare, quæ aliquo modo ad inuentionē auxiliorum, & rectam eorum administrationem uidetur pertinere, id quod ut certiori iudicio assequamur, rursus unumquodque tēpus in tres partes, seu differentias secare licebit, quarum media illius temporis naturalissimū, ac syncerissimum temperamentum designabit; reliquæ uerò duæ differentiæ prout copulatæ fuerint, uel antecedenti, uel subsequenti tempori huius uel illius naturam quodammodo redolebunt; ut ex. g. uernum tempus in tres partes distribui potest, & unicuique parti mensis unus accommodari; primus mensis, eo quia cum hyberno tempore coniungitur, minus temperatus erit; item & tertius, quia cum æstate connectitur: medius uerò quia ęquè ab utrisque distat erit omnino temperatus, idem quoque de reliquis temporibus dicendum est.

At neque solum temporis differentias contemplari debet, verum etiam lunares motus, quippe qui uarias aeris temperaturas inducere possunt. siquidem eandem rationem in motibus lunę habet primus septenarius à nouilunia, quam in quattuor anni temporibus uer habet, Eandem alter septēnarius, usque ad plenilunium, quam ęstas, Eandem tertius decrescente luna, quam Autumnus. Eandem quartus, & ultimus deficiente luna, quam hyems, quemadmodum testatum nobis reliquit Gal. 3. de dieb. decret. 5.

Verùm non ſolum in motibus lunæ id obſeruare licet, uerum etiam in diurno,& nocturno motu; ſiquidem matutinum tempus temperatum eſt; ſicut uer; & ob id omnium diei horarum ſaluberrimum, ut mirum non ſit, ſi plerunq; matutino tempore corpora febrientia ſubleuantur, & melius habent. At meridianum tempus æſtati adſimilatur. Crepuſculum Autumno; Veſpertinum hyemi; idem quoque de nocte dicendum eſt, ut prima pars ueri; altera æſtati, reſpondeat, & ſic de reliquis, quo loco neque ortus caniculæ, neque aliorum ſyderum aſpectus negligendus eſt: Hæc enim quantam uim habeant in his iuferioribus alterandis ſatis manifeſtè nobis ſignificauerunt Hipp. & Galen. ut ſupra dixi?

His diligentiſſimè exploratis, & acri iudicio penſitatis neminem futurum arbitror, qui non uideat quantam utilitatem cognitio hæc temporum tum ad auxiliorum inuentionem, tum ad rectam illorum adminiſtrationem ſit allatura, ſiue alterare, ſiue euacuare, ſiue nutrire uolueris: Et enim ſi ſermo ſit de alteratione docet anni tempus quantitatem nedum formalem uerum etiam ut ita dicam materialem, quemadmodum & magnitudo corporis, ætas, regio, & quæcunq; his cognata exiſtunt ut uerbis apertiſſimis docuit Gal. 7. per loca 2. ubi confectionis papaueris uſum propoſuit; augebis autem inquit Gal. magis, & minus huius confectionis doſim pro magnitudine corporis cui exhibiturus es, ætatem præterea, regionem, & anni tempus ſpectabis, ut quoniam ut ſupradiximus ex Gal. quæcunq; uni ex his accommodantur, cæteris quoq; accommodari debent: ob eam cauſam præceptum hoc ad alia quoq; cognata referenda diximus.

At ſi quiſpiam quærat, quonammodo anni tempus, & reliqua id genus medicamenti doſim definiant, non aliter reſpondere debemus, ac ibi reſpondet Galen. cum ait. In omnibus enim his frigidioribus minimum dabis, calidioribus amplius, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet quoniam magnitudo corporis ſignum eſt maioris uel minoris caliditatis, & uirtutis, magis uel minus robuſtæ, & maioris uel minoris copiæ materiæ, & ſic ætas, regio, anni tempus, & reliqua, ob id opus erit remedio quod uim habeat incraſſandi, & exſiccandi magis uel minus pro neceſſitate indicantis, cuius materia cum poſſit eſſe papaueris confectio hoc uel illo modo parata, & in maiori quanto ſit maior uirtus ob id hanc uel illam doſim uſurpabis: & hoc modo idem, quod indicat quantum agendum formale per ſe, idem indicabit quantum agendum materiale per accidens. Quare dum alterare uolueris primo corporis temperamentum, deinde quæ hanc temperiem commutare poſſunt, obſeruabis, hac enim perſpecta ſignorum congerie in remediorum delectu minus errabis.

Quòd ſe euacuare uolueris, ex anni temporibus humores redundantes habebis, ſi tempus agendi, & quantum agendum amabis, hæc tibi demonſtrabunt uernum tempus maxime omnium opportunum, ut ſcribit Hipp. 6. Aphor. 47. & 7. aph. 53. tunc enim mouentur humores, &

fluctuant , & uirtus minus prohibet , cum tempus illud fit maxime omnium temperatum opportunum : vbi namque viget caliditas , aut frigiditas , aut aliqua alia immoderata qualitas , uirtus insignem euacuationem non sustinet : tempore siquidem æstiuo vires nimis exoluuntur ob aeris caliditatem , & multo magis ante Canem ,& post Canem, quo tempore dicebat Hipp. quarto, Aph. quinto difficiles esse medicationes tùm propter exuctam naturam , quæ purgantium acrimoniam non sustinet , tum propter calorem aeris ambientis ad exteriora trahentis , & sic motum medicamento contrarium efficientis .

Autumni verò tempore cum sanguis paucissimus in homine euadat vt placuit Hipp. primo de natur. humana trigesimaquart . & trigesimaquint. idque ob aeris siccitatem , & iam humana corpora refrigerare incipientem non licet sanguinem audacter euacuare , aut purgationes insignes moliri : præsertim uerò cum autumnus omnibus ætatibus sit malus , & ob id etiam naturis, ac regionibus tum propter inæqualitatem, tum propter praui succi abundantiam ; tum etiam quia æstiuo succedit tempori , in quo multi quidem humores assati fuerunt, quibusdam verò, & vires debilitatæ .

Accedit etiam humorum motus ad interiora ob ambientis frigiditatem, cuius causa fit,vt in qualibet euacuatione maxima spirituum copia dissipetur,& inde uirtus collabatur.

At multò minus hyeme tentandæ sunt euacuationes , siue sanguinem euacuare, siue reliquos humores purgare volueris , idque uirtutis imbecillitate, tum propter frigiditatem , & humiditatem illius temporis contracta , tum propter reuocationem caloris ad interiora , reuocato namque in profundum calore si sanguis per uenæ sectionem euacuetur , aut reliqui purgentur humores , tunc maxima spirituum copia vt euacuetur est necesse : & propter motum uiolentum, quia tunc temporis quiescunt humores, interdum fiunt tormina , interdum uertigines , nausea, pulsus malus , exolutio , & difficultas, quo fit , ut uirtus & maxime debilitetur , & eo magis quia calor innatus a frigore circunstante superatur tam ab eo , quod extrinsecus od ingruit frigore , quàm abillo , qui per inspirationem attrahitur.

Neque est , quod quispiam dicat uirtutem tunc temporis esse robustissimam , & ob eam causam quamlibet insignem euacuationem sustinere posse, & quia dixerit Hipp. primo, aph. decimoquinto uentres hyeme, & vere calidissimos esse: quoniam & si uirtus hoc anni tempore sit robustissima, quemadmodum etiam illis contingit , qui partes Septentrionales inhabitant, nihilominus propter vim quæ infertur humoribus, dum motu violento moueri coguntur, & propter maximam spirituum euacuationem, virtutem lybernio magis quàm uerno tempore pati consentaneum est , præsertim cum hoc tempore naturam potius aduersariam & repugnantem quàm adiutri-

iutricem habeamus, quoniam humores fluentes potiusquàm quiescentes & fixos purgare debemus.

At urgente necessitate quocunque tempore, & sanguinem mittere,& reliquos humores purgare licet: quare si contingat, ut humores hyeme sint purgandi, per inferiora potius quàm per superiora purgabis; contra uerò tempore æstatis, ut monuit Galen. in libro quos & quand. purgare oportet ex Hipp. sententia, quarta aph. quarto, & ratio est inquit Galen. quoniam hyeme pituita, æstate uerò flaua bilis redundare solent, & hanc per superiora, illam per inferiora educere oportet, nisi fortè in uentriculo pituita, in intestinis coaceruata, seu congesta bilis extiterit.

Accedit etiam quod æstiuo tempore tota natura propter ambientis caliditatem magis ad superiora mouetur, hyberno uerò ad inferiora magis: at quælibet superfluitas eo quo uergit ducenda est per loca conuenientia; cum tamen atra bilis ob sui prauam qualitatem per inferiora sit semper educenda. tempus itaque anni ad locum opportunum indagandum conducit, ut signum humoris in hanc potius quàm in illam partem inclinantis.

In ægris quoque cibandis non minori cura tempus anni contemplabimur, quando, & quantitatem & qualitatem uictus nobis præscribere possit: quandoquidem si hyemem spectemus pre alijs temporibus plurimum cibi, & minimum potus concedemus, quæ tamen uim habeant calefaciendi, & exsiccandi, ni adsit aliquid, quod impediat: quare si contingat, ut quis tempore hyberno febricitet, cautius frigida exhibebis, immò quamprimum signa concoctionis apparebunt, uini aliquid albi,& oligophori concedas oportet, quam animaduersionem qui negligunt morbos longiores reddere solent.

Vere ineunte paulò plus potus, quàm cibi offerendum est, qui & magis dilutus sit quàm tempore hyemis oportet, neque affatim, sed sensim est assumendus: cibi sint molliores, & pauciores, & cibaria sicca tum actu tum poteſtate sunt subtrahenda, quare assa in elixa sunt commutanda.

Aestate cibis mollioribus, nec multis, potu uerò diluto simulque multo, & obsonijs omnibus elixis vti oportet, quare minimum cibi, plurimum potus administrare debemus, quæ omnia uim habeant refrigerandi & humectandi, quoniam tempus illud est signum temperaturæ calidioris, & siccioris, & subinde uirtutis imbecillioris, quoniam eo tempore maxima fit uirium exolutio.

At in autumno cibi maiori copia, & sicciores sunt exhibendi, & obsonia eadem ratione; pocula verò pauciora, & minus diluta docuit hoc Hipp. in libro de salub. diæta 2. 3. & quarto aphorismo, quo loco significauit nobis in cibis perquirendis nedum substantiam uerum etiam qualitatem esse spectandam, vt latius suo loco disputabitur.

Et quoniam cœli status non uno modo dicitur, sed quandoque tum natu-

naturalem aeris ſtatum, tum regionem, tum anni tempus complectitur; quandoque verò ab his omnibus diſtinguitur; ob id Gal.9.Meth.9.admonebat in præſcribendis auxilijs ſtatum hunc aeris vnà cum alijs non eſſe prorſus contemnendum, quando & ipſe vim habeat naturam corporis virtute ambientis immutandi.

At per cœli ſtatum hoc loco non intelligimus ſtatum aeris naturalem, quoniam ſi aeris naturalem ſtatum cõtemplemur, is profectò perpetuo humidus, & calidus eſt, quamuis in eo humiditas dominetur, vt ait Ariſt.2.de gener.23.& 4.Meteo.10. At ſi particularem, & aduentitium aeris ſtatum ſpectemus, is non erit perpetuo calidus, & humidus, neque ſemper humiditas dominabitur; ſed interdum erit calidus, & ſiccus, interdum frigidus, & humidus, quandoque naturalem ſtatum obtinebit, vel idem augebitur; nonnunquàm frigidus, & ſiccus erit; huiuſce autem varietatis cauſa in pluuias, in nubes, in uapores, ſeu exhalationes, & potiſſimum in ventos, ne dum uniuerſales, verum etiam particulares, & locales eſt referenda: etenim prout venti ex partibus frigidioribus, vel calidioribus ſpirant, uel per loca calida, vel frigida pertranſeunt, ſic frigiditatem, vel caliditatem, vel aliam quamlibet qualitatem aduehunt, quo fit vt aeris ſtatum ſibi ſimilem inducant, quare cum cœli ſtatus ſit ſignum huius, vel illius qualitatis aeris, non aliam in inueſtigandis auxiliis ab aere præbet utilitatem.

In his ſcopis proponendis libenter multum operæ inſumimus, quoniam propter horum negligentiam miſeri patientes quandoque maximum uitæ diſcrimen ſubire ſolent. Et ego memini me vidiſſe adoleſcentem quendam nobilem calidæ temperaturæ, & ſubinde facilè reſolubilem æſtiuo tempore, cœli ſtatu calidiori uulneratum fuiſſe; quem medici ſpectantes tantummodo vulgatam illam ſententiam nempè frigus uulneribus inimicum in cubiculo calidiſſimo collocarunt, qui etiam multo calidior frequentia perſonarum reddebatur, quo factum fuit, vt ardenti febre corriperetur, ſubſequerentur vigiliæ, mox deliria, & vulnerum labra exſiccarentur; atque ita vt vitam cum morte commutaret; reus uocatus fuit in iudicium, accuſatus fuit de dolo malo, quod ut probaretur arma ueneno infecta fuiſſe dixerũt. Inuenti ſunt qui ob uulnerum ſiccitatem, nedum hoc uerum eſſe ſuſpicati ſunt, uerum etiam iure iurando teſtati ſunt, non animaduertentes ob inſignem caliditatem, & ſiccitatem arida uulnera conſpici conſueuiſſe, quãdo harum qualitatum cauſa humiditas non ſolum natiua, uerum etiam aduẽtitia exſiccari poteſt. At quæ maior caliditas, & ſiccitas eſſe potuit, quàm in febre ardentiſſima in adoleſcente ſuborta æſtiuo tempore, & cœli ſtatu calidiſſimo, & in cubiculo feruẽtiſſimo, quibus omnibus acceſſerunt uigilię, ac phrenitis, quorum omnium cauſſa tandem occubuit? Hoc itaque exemplum propoſui, ut diſcant illi, qui ſcopos hos contemnunt, quàm turpe ſit inutilia quæque ſectantes, res verò utiles, ac ſalutares inanes, ac leues exiſtimare.

Affectæ particulæ quam vtilitatem in Methodo medendi præbeant. Cap. XXXIX.

HIs explicatis superest, ut loquamur de parte, quoniam etsi quodãmodo probatum fuerit superius nullam indicationẽ ab illis tribus seiunctam subministrari posse, nihilominus non est, ut quispiam existimet utilitatem, quam suggerit partis contemplatio, leuem aut nullam esse, quando Gal. in arte medicinali. 94. dixerit inuentionem auxiliorum partim ex affectu, plurimum uerò ex ipsis particulis mutuari, id quod confirmare uidetur 13. Meth. 10. cum diceret tantam esse, quæ à partibus sumitur, vtilitatem, vt si quis illarum indicationem adimat, nihil obstare, quominus artem medicam non sex mensibus, sed sex diebus totam perdiscas.

Cùm itaque tanta sit contemplationis partium utilitas, non ab re fore iudicauimus, si ea, qua fieri poterit diligentia, quid in iis spectandum sit ad inuentionem auxiliorum accommodatum, contemplaremur, quod ut fieri possit, hoc unum tanquàm fundamentum eorum quæ dicenda sunt statuere oportet, nos per partem intelligere non quodlibet in corpore existens; sed partem uiuentem corporis ægrotantis: pars itaque hoc modo considerata, uel est similaris, uel dissimilaris, quare quædam huius, quædam illius peculiaria, quædam utrisque communia esse debent: utraque pars hoc unũ commune habet, ut uiuat, & animæ, seu facultati subiiciatur, ut uiuit ei debetur actio, usus, & passio, & perinde sensus, de quibus in præludiis nostris anatomicis locuti fuimus; ut uerò subiicitur facultati in utraque raritas, & densitas consideratur: & hoc est, quod docuit Gal. 13. Meth. 10. cum diceret; sunt etiam aliæ indicationes quæ tum instrumẽtalium, tum similarium communes existunt, sicuti cum actionem earum inspiciemus, & subinde passionem etiam, & usum. Præterea an rara sit an densa, an acuti, an hebetis sensus, an omnino sensu careat. Ad quæ omnia intentum esse oportet, qui rectè curare studet.

Propositis iis, quæ utrique parti communia sunt, nunc superest, ut huius, & illius peculiaria definiamus: hoc autẽ ut cognoscamus, ad facultates agẽtes necesse est, ut confugiamus, siquidem alia sunt, quæ à sola facultate alteratrice, alia, quæ à sola formatrice prodeunt; à sola uirtute alteratrice partes habent, ut sint, uel calidæ, uel frigidæ, uel humidæ, uel siccæ, ex quarum omnium qualitatum mixtione singularem quandam proprietatem nanciscantur à sola formatrice, ut hac uel illa magnitudine, hoc situ, numero, & conformatione donatæ sint, ex quorum omnium operum compositione proprietas quædam compositionis consurgit. Hæc itaque sunt illa, per quæ partes ad sanitatem recuperandam conferre putamus, de quibus omnibus singillatim, & quantum proposito nostro facere uidetur, disputabimus à communibus exordiendo.

Actio

Actio partis præstantis quem usum habeat in Methodo medendi. Cap. L.

ET primo quantum ad actionem pertinet, quod est dignitatem, seu partis præstantiam considerare, iam superius dictum fuit non alia ratione ad inuentionem auxiliorum conferre, quàm vt est signum roboris, vel infirmitatis virtutis. Id quod vt vnusquisque intelligat considerandum erit, nũquid actio partis affectæ omnibus animalis partibus seruitium præbeat, an soli parti cuius est actio famuletur, quoniam si particula sibi soli deseruiet signum erit uirtutis robustæ, quod si officium habebit commune, adhuc videndum erit, nunquid commune sit omnibus partibus, an quibusdam, quoniam partes illę, quæ communem omnibus animalis partibus habent vtilitatem, robustiorem, quę vero paucioribus partibus inseruiunt non adeo robustam virtutem desiderant: de quarum partium dignitate, ac pręstantia in præludijs anat. dictum est. & Gal. satis superque locutus est 7. meth. 13. 2. ad Glau. 2. & Aui. 4. primi, cap. 1. vtpote qui inter partes præstantiores cor, cerebrum, hepar numerarunt, quibus proximas esse voluerunt ventriculum, uterum ac testes; pulmones verò, asperas arterias, fauces, renes lien, vtranque vesicam cum vasis, & alia id genus adiunxerunt non propter actionis, sed vsus, seu ministerij necessitatem: quæ ab hac dignitate minus recedunt illas esse dixerunt, cum quibus principes facile compatiuntur, reliquæ vero partes si ad commodè viuendum tantummodo fuerint progenitæ, nec vllam habeant cum principibus affinitatem, merito vitæ nullam dignitatem, seu præstantiam habebunt. Quare qui rectè, seu ex arte mederi desiderat is omnium particularum, tum functiones, tum vsus intelligat oportet, quæ omnia cum anatomica disciplina doceat, non videtur illa ieiunè, nec sola αὐτοψία seu oculari ostensione tractanda.

Perspecta itaque partis affectæ dignitate, ac pręstantia, videndum erit nunquid sola intemperie afficiatur, an præter intemperiem materiam quoque adiunctam habeat, quoniam si sola intemperie laborabit, tunc à parte nulla sumitur indicatio, sed singulæ particulæ pro morbi portione, vel refrigerari, vel calefieri, vel siccari, vel humectari, vel per coniugationem horum quiduis pati desiderant: eatenus enim redeat ad naturã quodque necesse est, quatenus a natura recessit, ac veluti quadam uia retroferatur, quæ opponatur ei, quę facta est in ipso, transmutationi, siue in parte nobili, & præstanti, siue ignobili fiat alteratio.

Neque est quod quispiam nobis obijciat Auicennę authoritatem 4. primi, cap. 1. vbi admonet nedum in euacuationibus, verum etiam in alterationibus partis præstantiam, seu dignitatem esse spectandam, quoniam Aui. in alteratione ipsarum partium admonet, ne vehementi refrigeratione utamur, & per vehementem refrigerationem non intelligit, quæ fit pro portione morbi, sed quę magis refrigerat, quàm uis morbi requirat, quemadmodum nobis significauit Gal. 2. ad Glau. 2. vbi dicebat, quæ supra modum

dum refrigerant, natiuum calorem extinguunt. quare idem est, ac si dixisset Aui. in refrigerandis partibus dignioribus cauendum est à uehementi refrigeratione, quoniam cum gradus declinationis à naturali statu medico sit ignotus, periculum est ne plus iusto partes refrigeres, & sic natiuus calor extinguatur, & uirtus debilitetur, quæ tamen propter actionem communem, uel facultatem, quam cæteris partibus impartiuntur, omni studio custodiri debet; quare si error ullus in quantitate remediorum præscribenda est committendus in partibus hisce alterandi, ad defectum potius quã ad excessum uergat, oportet, hoc enim est, quod nobis significare uoluit Aui. & Gal. cum eo.

Ex his satis constat quàm uoluntaria, & commentitia sit distinctio illa, quam excogitarunt nonnulli ut hanc apparentem contradictionem tollerent: siquidem dixerunt Gal. de dosi materierum sermonem habere, Auicennam uerò de remedio specialissimo, & appropriato uerba facere, ad quod inueniendum partis præstantiam summopere cõferre arbitrati sunt, quippe quæ uirtutem describat nobis omni studio custodiendam, & propterea remedium pro morbi portione non esse eligendum.

Sed uideant docti, & in Galeni doctrina uersati quàm longe à rei ueritate aberrat huiusmodi opinio; quid enim quæso significauit nobis Gal. cum dixit singulas partes desiderare, vt vel refrigerentur, uel calfiant, uel siccentur, uel humectentur, uel quiduis horum per coniugationem patiantur pro portione morbi? nihil aliud sanè docuit quàm eatenus esse refrigerandum, quatenus morbus à naturali statu recedit, qua remedij quantitate cognita statim sese offert, ut suprà diximus dosis medicamentorum: non igitur de dosi, sed de quantitate formali medicamentorum loquitur Galen. quam isti nec ineptè quid agendum specificum & appropriatum appellant.

Nec præterea illud est concedendum quod isti ex authoritate Auicẽnę non omnino intellectũ tuentur, in alteratione partium nobilium, ut inueniatur quid agendum appropriatum, partis præstantiam esse spectandam tanquam illam quæ remedium hoc appropriatum definiat, quoniam si hoc præstaret, vel definiret recessum a naturali statu, vel prohiberet id quod indicat morbi declinatio, at neutrnm facit, non quidem describit recessum vt planè constat, nec prohibet quod indicatur a morbi recessu, quoniam si pro morbi portione alterabis nequaquam uirtus patietur, imò ablato morbo robustior euadet: partis itaque præstantia in alterationibus non aliter, ac diximus est spectanda.

Præterea in hoc aberrasse videntur, quoniam si uoluerunt partis præstantiam ad inueniendum quid agendum appropriatum plurimum conferre, ad dosim uerò medicamentorum perquirendam nullam utilitatem præbere, debebant causam reddere, cur partis præstantia huic non illi conferat, qua ratione utilis esse dicatur: quod cum factum non sit a viris alioquin diligentissimis credendum est causam nullam inueniri potuisse, & ob id subticuisse. hoc autem admonere volui, vt omnes discant non ita facile unicuique rationi, aut distinctioni esse assentiendum.

Actio itaque partis, seu pars præstans, præstantiave partis aut virtus dicã tis vt vultis cum in alteratione nullam præbeat vtilitatem, videndum est nũ quid in euacuationibus illius ratio sit habenda.

Iam constat inter nos partis præstantiam sub methodo medendi non alia ratione cadere posse, quàm vt designat uirtutis imbecillitatem non per se, sed per accidens, quoniam partes, quò nobiliores eò uirtutem robustiorem habent, at ubi affectę sunt uirtutem debilem habere dicuntur, eo quia facultates cæteris impartiuntur, vel pręter facultates actionem quoq; communem habent, præterea est sibi pugna cum morbo : ut itaque officio ad uitam adeo necessario fungi queant uirtus admodum robusta desideratur, quare ex quouis leuiori morbo imbecillis debet appellari : quo iacto fundamento cum in quacunque euacuatione siue sit sanguinis, siue excrementorum, spirituum portio aliqua inaniatur, & maior, & minor, pro maiori, vel minori euacuatione, fieri non potest, quin uirtus magis vel minus exoluatur: quare dicebat Gal. 7. illo meth. 13. & 2. ad gla. 2. & Aui. 4. primi c. 1. validiora euacuantia non esse administranda, neq; vtrunq; euacuare oportere, quemadmodum ex pulmonibus, asperis arterijs, faucibus, renibus, liene, utraque uesica & alijs id genus euacuare licet.

Etenim si cor affectum spectemus, quemadmodum in palpitatione contingit, cum summa sit illius dignitas, & summa omnium necessaria, cautio maxima in discutiendis flatibus est adhibenda, ab insigniter itaq; laxantibus cauendum est: quare laudabat Gal. & Auic. unà cum cæteris optimis medicis, vt laxantibus subadstringentia iniungantur, ne cum uirtutis detrimento innati caloris exolutio contingat, quod idem animaduertendũ est, cum materiam, quæ tumorem iecinoris facit, discutere uolueris, quòd si deiectorijs, vel diureticis eadem tibi sit euacuanda, a ualidioribus, & generosis medicamentis ob causam supradictam cauendum est, quamuis hic audacius agẽdum sit quàm in affectibus cordis. quoniam iecinoris opus nõ adeo perpetuam necessitatem habet, sicut cordis. Rursus multo liberius & maiori cum fiducia ex cerebro euacuare licet, quoniam & si cerebrũ ad uitam par habeat momentum cum corde, vt refert Gal. 7. meth. 13. nihilominus in ægrotis æquale robur non desideramus, cum omnibus non sit necesse neruorum, ac musculorum opera uti, sed sat est si tantum roboris seruetur, ut respirationis munus commode fieri possit: licet itaq; & sensibiliter, & insensibiliter, & per sedem & per os, & nares, & aures euacuare, ita tamẽ vt tantum roboris seruetur, quod sit satis pro usu facultatis.

Ab eodem instituto non est recedendum in euacuatione uentriculi, uteri, ac testium, nec non earum partium, quæ cũ principibus consentiunt, quę si laborabũt, originis quoq; rationẽ habebimus, ut uirtus subministrari possit, quare cum partes aliquę sensu motuq; priuabuntur, spinali medullę, ac cerebro remedia quę roborent, applicabimus, cum nutrimento destituentur, firmabimus iecur, cum uitali spiritu, cur roborabitur, si ex horũ fontiũ imbecillitate affectionem fieri coniectabimus: uirtutis itaq; ratio habenda est maxima ne in expugnatione morbi natiuæ membrorum uirtutes offendantur cum totius corporis offensione.

At

At reliquę partes, quæcunque uel cum prę stantibus non conſentiunt, uel ſuapte natura ignobiles exiſtunt, uel ad meliorem uitam ſolum conducũt, ſiue alterare, ſiue euacuare uolueris, audacter id facere licet. Cum uerò ſubdit Galen. 7. illo meth. 13. uirtuti tamen etiam ſis attentus, admonere voluit ne uirtus omnino negligatur, quoniam ſi fuerit abſceſſus in parte ignobili, & pus copioſiſſimum fuerit aggregatum, totum pus quamuis ſit quid præter naturam non erit euacuandum, quemadmodum neque aqua tota in perforatione abdominis, quoniam, ut ſupra diximus unà cum pure maxima ſpirituum copia euacuatur, quo fit ut uirtus totius ualde lędatur, quare de uirtute totius non autem de uirtute partis loquebatur Gal. quomodo itaq; partes per ſui actionem ſeu prę ſtantiam conferant ad inuẽtionem auxiliorum ex dictis ſatis conſtare arbitror.

Senſus facilitas & difficultas quem uſum habeant in methodo med. Cap. LI.

ET quoniã inter indicationes, quę capiuntur a uirtute partis facilitas & difficultas ſenſus enumerari poteſt, ob id uidendum eſt, quam utilitatem prębeant partes, ad auxilia opportuna inuenienda merito acutatis, & hebetudinis ſenſus. Hoc autem ut intelligamus ſtatuendum eſt, ex partibus humani corporis alias ſenſum acutum alias obtuſum habere, quę acuti ſũt ſenſus eas quam maximè citra dolorem curare tentandum eſt, ut ſuadebat Gal. 4. meth. 7. quoniam earum uires dolore reſoluuntur, ut monuit idem Gal. 7. meth 13. ui namque doloris inſignis fit motus in parte, ad quem accurrit ſanguis & ſpiritus, cuius maxima copia diſſipatur, & ſic uirtutẽ exolui dicendum eſt. Ne itaque partes admodum ſenſibiles cum dolore curentur, cauendum eſt a medicamentis acribus, quoniam acria medicamẽta partem ualde ſentientem mordent & uellicant, quo fit ut ob ſolutionem illã continuis dolor excitetur, hoc autem facile probari poteſt ex humore acri in ore uentriculi contento, ui cuius ſępius homines ſyncope corripiuntur, nonnunquam languore, ac nauſea, quandoq; uomitu, unde humoris infeſtantis excretio ſubſequitur, interdum uerò fruſtra agitantur, & loco ſtare nequeunt, idem quoq; confirmatur ex dolore oculorum ubi ad eos acris humor confluxerit, quo fit, ut præter acerbiſſimum dolorẽ interdum quoq; puſtulæ vlceroſæ, quę difficulter curationem admittũt, excitentur. Hę itaq; particulæ ob eam, quam habent ad ſenſum facilitatem, acrium medicamẽtorum contactum, & uiciniam tolerare nequeunt, quinimo hę particulę nihil extrinſecus aggrauans ſuſtinent, & oculus minus uẽtriculo, quippe qui nonnunquam ẽt ab ijs, quæ inunguntur, grauatur. Quare pars, ut habet acutum ſenſum eſt ſignum uirtutis prohibentis talẽ medicamentorũ acriũ adminiſtrationem, contra uerò quæ ſenſum hebetem, ac obtuſum habent; me dico itaq; cognoſcendę ſunt partes, quę facile difficileve ſentiunt, & propterea quę pluribus paucioribusve neruis donatę ſunt, qua in re quantum ualeat anatomica ſpeculatio, nemo eſt, qui non uideat.

Quòd ſi quiſpiã quęrat nunquid acuties ſenſus vt vim habet cauſæ morbificæ

bificæ ſui ablationem indicet, ut quidam exiſtimarunt, huic non aliter reſpondere debemus atque reſpondet Galen. Empiricis 10.meth. 16 qui cũ negarent a conſuetudine indicationem eſſe capiendam, eo quia abſq; indicatione nos intelligimus, quando corpus ægrotantis lęditur, uel non læditur à frigidæ potione, concedit totum illorum argumentum, & uerum fatetur eſſe de ijs conſuetudinibus, quæ adeo euidentem utilitatem offenſamve habent, vt nemo etiam ante methodum non nouerit; quod ſi ſic eſt, cum nemo ſit, qui neſciat in acerbiſſimis doloribus poſt irritam adminiſtrationem eorum, quæ uerè & proprie anodyna dicuntur, neceſſario confugiendum eſſe ad narcotica, quæ uim habent hebetandi ſenſum, non eſt ut inferamus, ergo acutus ſenſus ut vim habet cauſæ morbificæ ſui ablationem indicat; immo ut ſuprà diximus potius inferendum eſt retuſionem ſenſus uim habere materiæ ſanantis.

Conformatio, & ſitus partium quam uſum habeant in methodo medendi. Cap. LII.

DE conformatione, ac ſitu partium tanquã de peculiaribus indicationibus partis inſtrumentalis hoc loco nonnulla dicemus, quę ſuperius breuiter attigimus, propoſita tamen prius altera indicatione, quæ ſumitur a parte. Siquidem Gal.4.meth.ultimo dicebat communem omnium internarum partium indicationem eſſe, ut fiat delectus eorum, quæ naturæ maxime ſint familiaria ſiue ſint cibi, ſiue medicamenta, fugiãtur verò reſpuanturque contraria, quam indicationem dixerunt nonnulli non pertinere ad methodum medendi neque propriè, neque impropriè; ſed ad artem potius diæteticam, vel medicamentariam, quod quàm uerum ſit ex hoc unuſquiſque iudicare poteſt. Etenim ſi ea omnia, quæ conferunt ad inuentionem remediorum & rectam illorum adminiſtrationem, nec non ad methodum compoſitionis medicamentorum comparandam ad methodum medendi referenda ſunt, ut placuit Gal. pleriſque in locis & præſertim 6. per genera 2.& ad lib.ſimp. pertineat illorum uirtutem tradere, & ad totam artem medicamentariam nos in particularibus materijs parandis exercere: cum indicatio familiarium & fuga contrariorum maximè conferant ad inuentionem auxiliorum, eò quia ſimilia ſimilibus conſeruentur, & natura partium internarum indicet id quod eſt familiare, & reſpuat contrarium: quis negabit hanc naturam non conferre ad inuentionem auxiliorum, & ſic ad methodum medendi pertinere? quam uirtutem eſſe putamus, ut ſedem habet in ſpiritibus, à quibus tamen calidum innatum non omnino excluditur. Etenim ſi in ulceribus gulæ, aut arteriæ, aut uentriculi adminiſtrabis ea, quæ uim habent exſiccandi, & adſtringendi, ita tamen ut non ſoluant continuum, virtus hæc medicamenta ſuſtinebit, cuius generis ſunt hypociſtis, balauſtium, citini, galla, malicorium & id genus alia, quæ proponuntur a Gal. loco nuperrimè citato: quòd ſi ærugine, uſto loto, ſquama & quæ ſunt huius generis vti volueris, quæ ſua nimia ſiccitate uim habent ſoluendi con-

di continuum, proculdubio uirtus hæc medicamenta non sustinebit, quod si dixeris naturam humanam non solum desiderare quæ sibi familiaria sunt secundum qualitates manifestas, verum etiam secundum occultas, quæ familiaritas ex totius substantiæ proprietate oritur ut placuit Gal. 3. simp. 6. hoc non negamus.

Sed proprietas hæc dicet quis non est nota intellectui, ergo non debet indicare; & hoc fatemur: at sequitur ne ob id ut præceptum hoc non pertineat ad methodum medendi vt similia similibus gaudeant, fugiātq; contraria? nemo certe vt arbitror audebit hoc affirmare; at cognoscere quænam sint hæc familiaria quæ ue contraria proculdubio non pertinet ad methodum medendi, sed ad artem vel diæteticam uel medicamentariam pertinere putamus.

At cum Gal. eodem loco dicat in agglutinatione ulceris gulæ austera glutinosa, & quæ minime mordeant esse eligenda, non est, ut quispiam credat hæc omnia à methodo medendi esse ableganda, non quidem austera quoniam hæc non indicantur à materia alimentali ut affluit, nondum tamen apposita est, ut nonnulli existimarunt, sed si rem ipsam ad uiuum resecemus materia potius debent appellari remedii auertentis indicati à materia ipsa alimentali, quæ superuacua dicitur non quod sit excrementitia; sed quoniam in agglutinatione nullo alio materiei genere indigemus quàm eo quod in carne subiectum reperitur, quare materia illa alimentalis quoniam uim habet impediendi agglutinationem, ideo est ab eo loco auertenda, cuius materia opportuna est illa, quæ uim habet reprimendi qualis est austera.

At glutinosam qualitatem vt quid distinctum ab adstrictoria facultate non à uirtute, non à morbo, non à materia alimentali demonstrari existimamus; de morbo, & uirtute non est dubitandum; at de materia alimentali quispiam dubitare posset, nunquid ab ea ut difficile patitur glutinosa medicamenta indicentur.

Scio opinionem hanc nonnullis plaucuisse, quibus tamē nequaquam assentiri possum, quoniam vt supradictum fuit à passione indicantis nulla sumitur indicatio. Præterea si uerum est actionem omnem fieri per contactū cum ulcus gulæ in ea parte positum sit, ut illius situs, & figura non permittat medicamentum adhærere, atq; diutius firmari, ob id necesse fuit, ut & medicamenta, & cibi humidis exciperentur, ut paulatim, & assidue lamberent ulcus, hæc uerò glutinosa esse debuerunt, & propterea crassa, & lenta ut adhærerent, atq; ita concrescerent, ut à subiecto ulcere uix, & summa cum difficultate diuellerentur: non itaq, à causa, neq; à uirtute neq; à morbo hæc indicari dicuntur; sed à proprietate compositionis, & sic situ, & figura, unde non immeritò Gal. 5. meth. 4. dicebat huiusmodi indicationes, quæ à partibus capiuntur esse ueluti ἐπίμετρον hoc est additamentum, ac si dicere uoluisset hæc omnia ex abundanti ad iustam, & exactam methodi medendi mensuram fuisse iniuncta, quemadmodum eodem loco nobis significare uidetur Galen. cum dicat nos instrumentis quandoq; pro partis ipsius proprietate, aliis ad uterum, aliis ad vesicam, aliis ad

omnia inteſtina craſſa alijs ad alia organa accommodatis, cuiuſmodi ſunt etiam naſifuſoria,& fiſtulæ auriculares:hæc itaq; propriè ſub methodo non comprehenduntur,ſed ad methodum referuntur.

Cum uerò ſubdit Gal.hæc medicamenta paulatim,& aſſidue,nec tota ſimul eſſe aſſumenda,dixerunt nonnulli hoc ad modum agendi pertinere,vt indicatur à difficili paſſione, cuius ſignum eſt ſitus, & forma partis: quæ opinio nullo modo mihi ſatisfacere poteſt, tum ob ea quæ ſuperius dicta ſunt, tum quia, vt probauimus vbi de modo agendi locuti fuimus, Galen.hoc loco proponit modum tum in quanto, tum in tempore, in quanto quidem cum ait,paulatim,in tempore cum ait,aſſidue medicamenta hęc eſſe aſſumenda,aut dicendum eſt formam, & ſitum partis hanc materierum adminiſtrationem demonſtrare non,ut ſunt ſigna materię vel uirtutis,& ſic non vt propriè, ſed impropriè ad methodum medendi pertinent.

At cum iubet,ut in ulceribus faucium gargariſmatis utamur,non proponit modum agendi,vt indicatur à paſſione,ſed proponit hanc formam medicamenti,quod indicatur à ſitu,& forma partis: etenim cum hæc accedant ad exactam menſuram, & perfectionem methodi medendi, ſub methodo non comprehenduntur quamuis ad methodum referantur, ſitus enim & figura partis non patitur,vt ſub alia forma adminiſtrentur medicamenta quā ſub forma, vel lambitiui, uel gargariſmatis; quam formam nobis parabit pharmacoplacta.

Quod uerò poſtremo loco docuit in ulceribus aſperæ arteriæ patientem ſupinū iacere debere,atq; in ore quàm diutiſſime fieri poteſt medicamenta tenere,ac muſculos qui illic ſunt laxare remittereq; & hæc omnia a ſitu, & forma partis edoceri;non eſt, vt quiſpiam credat ſitum, & formam partis eſſe ſignum materiæ, quæ difficile patiatur,quoniam hæc ſub methodo niſi per additamentum comprehenduntur,etenim cum inſtitutum noſtrum ſit ulceribus trachee mederi,neq; id fieri poſſit,niſi medicamenta locū affectū contangant,ibiq; quàm diutiſſimè fieri poteſt inhæreant,idque ſitu,& forma partis non ita commodè aſſequi liceat ſi recta ceruice,& contentis muſculis medicamenta delabantur,ob id ſitus,& forma partis ſuadet,ut p atiēs ſupinus iaceat,muſculos laxet,ac medicamenta diutius in ore detineat, ut paulatim,& aſſidue aliquid per locum affectum difluat.

Quo loco nonnulli obſeruarunt perperam eos facere,qui ſuadent in catharris,ut patientes ſupini,& reclinato capite iaceant;quoniam ſi Gal.in vlceribus tracheæ admonet,ut patiens ſupinus iaceat,ut medicamēta facilius in trachęam percolentur,nonne in catharris, ſeu deſtillationibus cauendū erit ab hac figura,ſeu poſitione,ne materia in tracheam dilabatur,hoc prima facie nulla ratione uidetur negari poſſe; nihilominus ſi rem ipſam diligentius æſtimemus rem aliter ſe ſe habere uidebimus,quoniam Gal.nō ſuadet,vt patiens iaceat eo quia dubitet ſi patiens recta ceruice ſteterit medicamenta in trachęam percolari non poſſe,ſed quia timet ne recta ceruice affatim,& largius influāt,& ſic tuſſis excitetur, vt ibidem ſignificare videtur,cū inquit. Sed veluti in ſecunda valetudine ita nimirum in aduerſa cauēdum eſt,ne largius influat,quoniam tuſſim excitabit: quare non mihi uidetur ex

Galeni

Galeni uerbis concludendum esse,vt in destillationibus sit melius sublato capite quàm demisso patientem decumbere,sed potius oppositum argumẽtari nos posse video,quando,& ratio ipsa suadet,ut patientes destillationẽ supini potius, atq; dimisso capite quàm recto iaceant, quoniam nemo unquam negabit quin melius sit,ut materia,quę destillat a capite in uentriculum potius quàm in pectus,& pulmones decũbat,quoniã, & magis distat a corde,& latiores,ac plures sunt uiæ,& magis opportunæ per quas euacuari potest;quod cum ita sit,& ęsophagus sit subiectus trachęæ tanquã stragulũ, dorsoq; insideat,ratio ipsa postulare videtur, vt materia,quæ a capite in partes subiectas dellabitur, si patiens supinus, & capite demisso iaceat in æsophagum potius quàm in trachæam percoletur,qua rationi ducti solo commutato situ, & positione capitis Excellentissimus Mercurialis Germanam quandam mulierem à grauissima, & diutina destillatione liberauit; & nos anno superiori in quadam virgine insigni,ac diuturna capitis fluxione, & cũ sputo sanguinis laborante,& à uiris Clarissimis destituta, & ab omnibus deplorata hoc genus decubitus summa cũ patientis utilitate usurpauimus, atq; adhibitis optimis remediis tandem σὺν θεῷ fuit pręter omnium opinionem,& expectationem restituta.

At nedum ea quæ dicta sunt a situ, & forma sunt desumenda, uerum etiam id quod medicamentis, seu cibis admiscetur tanquam vehiculum;etenim cum pulmones ibi positi sint, quò auxiliorum materiæ non cito, & facile penetrare possunt, hinc fit, ut pharmacopæi materiebus ipsis uehiculum admiscuerint: etenim si in ulceribus pulmonum sola austera exhibebis, ea in uentriculo commorabuntur, mel itaque tanquam instrumentum, ac celeris transitu ueluti uehiculum præter alia commoda fuit admixtum, quippe quod neq; ulceri esset obfuturum,quod idem,& in uesicæ,& renum ulceribus est agendum, si quidem non solum mel uerumetiã diuretica ulcerum medicamentis sunt permiscenda.

In hac re longior fortasse quàm par sit uidebor;sed ne studiosorũ mentes perturbentur cogor Galeni authoritates aliquantulum obscuras declarare, ne quis omnia,quæ habentur in methodo medendi,putet ad methodum ipsam per se ac proprie pertinere.

De Indicationibus,quæ capiuntur a rebus præter naturam;& primo ab intemperie. Cap. LIII.

HIs expeditis superest, ut loquamur de his, quæ sunt præter naturam, à quibus ars therapeutica nomen deduxit,& hinc arrepta occasione,ut de omnibus indicantibus propriè dictis loquamur, quo loco de uirtute quoque nobis erit dicendum; at cum inter ea quæ sunt præter naturam morbus sit finis, a morbo tanquam à fine principium faciemus, & quoniam, ut supra diximus in inueniendis auxiliis atque in iisdem administrandis medicus nedum suprema genera, uerum etiam subalterna specifica, & appropriata nouisse oportet, hinc fit, ut non solum à mor-

bo ; ſed ab eius quoque differentiis ſpecificis , & appropriatis indicationes ſint hauriendæ : quare a morbo tanquam ab eo quod eſt præter naturam remedium indicatur , quod uim habet morbum expugnandi .

Verum quia vbi de natura morborum locuti fuimus diximus tria eſſe morborum genera in intemperie, ſ. mala compoſitione, & ſoluta vnitate, ob id de intemperie primo loco dicetur.

Hæc autem ſi illius genus ſpectemus indicat remedium quod uim habet eam reuocandi ad ſtatum naturalem , ſin ſpecies per contrarias qualitates curabitur , & ſi fuerit ſimplex per ſimplices , ſin compoſita , per compoſitas, ut ex. g. calida per frigidam , & frigida per calidam , & ſic de ſingulis , uerum huiuſmodi indicatio quamuis vtilis ſit non eſt tamen artificioſa, quare Gal. 1. ad Glau. 1. admonebat, ut fieret diuiſio morborum quouſque ad eam ſpeciem deſcendimus , poſt cuius diuiſionem in unum numero , & indiuiduum definerernus , neque ſatis eſſe curatori ea penſitare , quæ ſunt præter naturam , ſed ea quoque eſſe adhibenda quæ ſunt ſecundum naturam , ſub quo genere non naturalia quoque complectebantur , quare non erit ſatis medico nouiſſe corpus humidum laborare hac uel illa intemperie ſimplici , uel compoſita , ſed neceſſarium erit conſiderare ſeiuncta ne ſit , an cum materia coniuncta . atque totum an partem corporis obſideat ; & ſi totum a qua cauſſa producatur , vnde ſeſe offerunt quamplurimæ febrium differentiæ , quoniam aliæ nullam , aliquæ cauſam aliquam neque unius generis adnexam habent.

Exploratis itaque ſingulis ſpeciebus ſpecialiſsimis intemperiei conſtabit quidem utrum magis an minus ſit alterandum ; ſed nondum alterationis gradum, nec manſionem perſpectam habebimus , quare declinatio a naturali ſtatu nobis erit obſeruanda . Hanc demonſtrabunt tum ea quæ ſunt præter naturam tum ea quæ ſecundum naturam , nec non ea , quæ non naturalia dicuntur : quare ſi cauſa cum intemperie fuerit coniuncta , uidendum erit , quæ nam ſit illa , quam uim habeat , & ſi calefaciendi an per ſe an per accidens , ut ſuo loco dicetur : pręter cauſam ſymptomata quoque curator obſeruabit : ab his ad ea quę ſunt ſecundum naturam accedet , atque in ęgrotante contemplabitur quænam fuerit illius temperatura naturalis quando ęgrotare cæpit , eaque tum natiua , tum adſcititia , tum totius , tum partis , ſi pars aliqua intemperie laborabit , hęc enim eſt illa quę demonſtrat receſſum a naturali ſtatu , & quoniam temperatura hęc qualis , & quanta ſit cognoſcitur perſpecta ſuarum cauſarum natura , ob id illius quoque cauſas ſpeculari oportebit : quare conſuetudo , ętas , ſexus , uitæ genus , nec non aer , regio & quę his cognata ſunt tibi erunt conſideranda , vt proſpecto gradu & manſione ſi fieri poteſt declinationis a naturali ſtatu remedium appropriatum inuenire valeas : quare , & denſitatem , & raritatem , propinquitatem , & diſtantiam partis affectę , nec non illius proprietatem ponderabis de quibus omnibus ſuperius dictum

eſt ; hinc etiam non erit difficile intemperiei magnitudinem cognoſcere, præſertim ſi cuiuſque magnitudinis genus in memoriam reuocabis.

At perſpecto gradu, & manſione declinationis à naturali ſtatu quantum humana ratio conſequi poteſt, quiſpiam quæret fortaſſe nunquid remedia pro portione morbi ſint adhibenda cum ab æqualibus non fiat actio ex Ariſt. 1. de generat. & corr. 46. & 2. de gener. 48. quare ſi totum, vel pars aliqua corporis recedat à naturali ſtatu per duos gradus caliditatis non videtur duobus gradibus frigiditatis ad ſtatum naturalem reuocari poſſe, quoniam cum æquales ſint gradus qualitatis, ab his actio nulla perueniere uidetur.

Pro hac difficultate dirimenda duo ſunt nobis ſtatuenda, quorum alterum eſt Ariſtotelem ſano modo eſſe intelligendum; etenim cum dicit ſimile non pati a ſimili loquitur de his, quę ſpecie non autem genere ſunt ſimilia, quoniam, vt fiat actio neceſſe eſt, vt agentia & patientia genere ſint ſimilia, ſpecie diuerſa, & contraria, alioquin nulla fieret actio, vt monuit Ariſt. 1. de generat. 50. Alterum eſt actionem duplicem eſſe, alteram quidem cum alterum agẽs ita dominatur alteri, vt illud vincat, & in ſui naturam commutet, alteram uerò cum ex illorum actione nulla ſequitur uictoria, ſed ambo ita refranguntur, debilitantur, ac remittuntur, vt ad mediocritatem quandam deueniant, quemadmodum duobus Athletis contingeret, qui paribus viribus inter ſe luctarentur, ex quorum diurino labore defatigati a luctatione ſine uictoria deſiſterent.

Hoc loco quis dubitabit de athletarum actione, niſi enim laboraſſent, vt alter alterũ deijceret, proculdubio nulla laſſitudo nulla defatigatio fuiſſet ſubſecuta, idem quoq; probari poteſt ex mixtione aquæ feruentiſſimæ, & gelidiſſimæ, ex quarum mixtione ſeruata quantitate, temperata, & moderata quædam qualitas conſurgit. Ex his itaque non eſt dubitandum quin intemperies calida per duos gradus a qualitate pari gradu contraria ad naturalem ſtatum reuocari poſſit, dummodo etiam in quantitate ſeruetur proportio, non enim ex drachma una ſucci lactucæ exceſſus caliditatis remoueri poteſt. In actione itaque ex qua mediocritas exoriri debet deſideratur ſimilitudo in genere, contrarietas in ſpecie, & proportio in quantitate: falſam ergo illorum opinionem conſtat, qui exiſtimant remedia contraria ſuperiori gradu eſſe adhibenda, nam ſi hoc eſſet uerum nunquam corpus intemperatum ad ſtatum naturalem cæteris paribus reuocari poſſet, ſed ſemper in morbum oppoſitum deduceretur. Conſequentia adeo eſt manifeſta, ut non indigeat probatione. quòd ſi aliquando alterantia pari gradu non exhibemus id non fit, quia intemperies, ut ad ſtatum naturalem deducatur id non exigat, & virtus non permittat ; ſed quia parem menſuram certa quadam ratione conſequi non licet, & propterea ne ignorantibus nobis, vt ſupra diximus, determinatum, ac definitum gradum, & manſionem, tum indicantis, tum indicati, tum materiæ medicamentariæ, plus iuſto alteremus cum graui totius corporis detrimento ; ob hanc cauſam

 inter-

interdum ad alterantia vehementiora, & præfertim frigida non defcendimus rati fatius fore, vt fi qui error fit committendus in defectum potius quàm in exceffum inclinemus, tutius enim eft morbos aliquo temporis interuallo expugnare, dummodo uis morbi det nobis inducias quàm audacter cum maximo patientis difcrimine remedia nimis generofa experiri.

Neque nos mouere debet authoritas Gale. 2.aph.29.ubi dicebat in quibus fpes aliqua falutis futura fit per initia maiora remedia effe adhibenda, quoniam per remedia maiora non intellexit, quæ plus poffunt quàm indicans poftularet; fed per remedia maiora intellexit venæ fectionem, & purgationem, quæ præ aliis medicamentis maiora nuncupantur.

Neque eft quod quifpiam dicat Hipp.2.in acutis primo non feruare paritatem, cum per initia in dolore lateris leuioribus medicamentis utatur, cũ iufmodi funt calidæ fomentationes, quoniam non vtitur calidis fomentis, vt morbum omnino expugnet; fed ut dolorem leniat, ac fimul dubius de humorum copia, vt experiatur nunquid aliqua fubfit in corpore infignis humorum redundantia, cuius caufa remedia maiora fint adminiftranda, qualia diximus purgationem, & venæ fectionem effe, quare quod dicunt nonnulli Hippocratem experiri nunquid dolor ex flatibus tantum oriatur an potius ex inflammatione id totum a Galeni doctrina diffentire videtur.

Neque ad hanc ueritatem infirmandam quidquam valet ratio illorum, qui dicunt in partibus diftantibus, vel profundis medicamenta validiora quàm affectus poftulat, effe adminiftranda, quoniam, vt fuprà diximus id non fit quia id in omnibus fit agendũ; fed quia vis medicamenti in itinere remittitur, & hebetatur: fed hæc & alia multa funt huius generis, quę paritatem hanc perturbare videntur, quæ fi acri iudicio & optima ratione penfitentur facile, vel diluuntur, vel ad optimum fenfum traduci poffunt, quemadmodum etiam alia multa, quæ contrarietatem tollere uidentur, cuiufmodi eft adminiftratio mellis in agglutinatione vlceris gulæ, & veficæ, nec non aperientium in reiectatione fanguinis, vel propter anaftomofin, vel diapedefin: & aceti in inflammatione cerebri, & aliorum quamplurium id genus, quoniam & fi hæc aliquam difficultatem iis facere poffunt, qui in methodo medendi parum uerfati funt, iis tamen, qui aliquantifper doctrinam hanc deguftarunt non erit difficile dubitationem omnem dirimere, quoniam non fequitur in his affectibus hæc funt adminiftranda ergo contrarietas non eft perpetuo feruanda, quoniam fi hæc fola ad hos affectus tollendos effent idonea, proculdubio contrarietas non haberet locum; fed, & a Galeno, & ab optimis fcriptoribus non vfurpantur fola, fed cum contrarijs permifcentur, neque vt illa, quæ uim habent fanandi, fed remedia fanantia ad locum affectum deuehendi, vel aliorum acrimoniam demulcendi contrarietas: itaque perpetuo locum habere debet.

Hoc loco non expectetis, ut in fingulis intemperierum differentiis methodum

dum hanc exerceam, quoniam non eſt præſentis inſtituti curationem morborum particularium edocere, ſed uniuerſalem quandã methodum, & veluti formam, ut ſuprà diximus tradere, qua unuſquiſq; in ſingulis affectib. opportuna remedia eorumque materias, & uſum inuenire poſſit, ut ſcribit Gal. 11. meth. 2. ſiquidem finis methodi curandi eſt principium artis medicamentariæ. hæc itaque de indicationibus, quæ capiuntur ab intemperie dicta ſint.

De Indicationibus quæ capiuntur a mala compoſitione, & primo a ſitu. Cap. LIIII.

SVpereſt, ut loquamur de indicationibus, quæ capiuntur à mala compoſitione, quæ cum non unius ſit generis, ſed plures habeat differentias, ob id in generica indicatione non eſt diutius immorandam, quis enim eſt ille, qui neſciat compoſitionem, ſeu ſtructuram præter naturam ad naturalem ſtructuram eſſe reuocandam? quare cum hæc indicatio ſit prorſus inutilis ad utiliores diuidendo eſt progrediendum: mala itaque ſtructura, vel pertinet ad ſitum, vel ad quantitatem: ſi ad ſitum cum aliqua alicuius inſtrumenti particula ſitum mutarit, indicat, vt ad priſtinum, ac natiuum locum reuocetur, quare ſi os aliquod à propria ſede exciderit reponendum eſt, ſi inteſtinum in ſcrotum decumbat, ſi anus, ſi uterus prociderit, unumquodq; in ſuum locum eſt impellẽdum, quemadmodum ſignificauit nobis Gal. in lib. art. med. 98. & quamuis nonnulli dixerint remedium ſitus deprauati eſſe duplex impellens nempe, & alliciens, & impellentis materiam eſſe manus chirurgi, allicientis verò eſſe materias odoratas, nos tamen exiſtimamus ſicut unum eſt indicans, ita quoque unum eſſe indicatum, & remedium, quod uocauit Galen. impellens, ſiquidem alliciens remedium quod iſti proponunt non arbitror indicari a malo ſitu, neque ullibi apud Galenum reperiri poſſe arbitror uterum, & ſedem ad locum unde exciderint ſolis odoratis redijſſe: præterea omnia medicamenta localia, quæ vteri, vel ſedis procidentiæ conferunt, orificio, & intra orificium utriuſque partis admouentur, hic enim locus eſt magis opportunus, quàm ſi ſupra pubem adhiberentur, etenim cum intercedant nedum muſculi abdominis, uerum etiam corpus veſicæ uirtus medicamentorum non ita facile penetraret; cum itaque intra pudenda inijciantur, ſi uim haberent alliciendi potius attrahendo ad partem exteriorem nocerent, quam prodeſſe poſſent, quare odorata ipſa non ui odoris ſuauiſſimi, ſed quia uim habent exſiccandi, & adſtringendi conuenire dicuntur, ut Galeno placuit 9. per loca 6. immo ſi odorata conuenirent odoris gratia, odor ille ingratus potius quàm ſuauis eſſe deberet, ut praui odoris gratia partes illæ intro ſe referrent, & ab ipſa praua qualitate refugerent: ſed ſi proprie loquamur hæc remedia non morbum, ſed morbi cauſam reſpiciunt, quemadmodum nobis ſignificaſſe uidetur Galen. in lib. art. med. loco citato, ubi admonebat ſitum duplici ratione deprauari, vel violenta

 tentio-

tentione,& impulſu,uel dilatatione, & relaxatione, quæ ob intemperiem partis humidiorem contingere ſolet. Et enim ex affluxu materiæ humidioris interdum ligamenta adeo humectantur,& laxa redduntur, ut corpora, quæ prius arctè uincta ſitum naturalem obtinebant è propria ſede collabantur: at uiolentæ tentioni, & impulſui, oppoſita intentio, & impulſio aduerſatur, dilatationi uerò ſeu relaxationi, quæ fit ob humiditatem, remedia, quæ uim habent firmandi,& ſolidiorem partem affectam reddendi, cuiuſmodi ſunt illa, quæ uim habent exſiccandi, & adſtringendi; quare unico indicanti unicum remedium eſt adhibendum.

De Indicatione quæ ſumitur a morbo in numero Cap. L V.

QVòd ſi mala compoſitio ad quantitatem pertineat, vel ad continuam, uel ad diſcretam pertinebit; ſi ad diſcretam,& propterea ad numerū in hoc uel exceſſus uel defectus obſeruabitur, ſi exceſſus ſeu redūdantia fuerit eam reſecare oportebit; ſin defectus danda erit opera ut regeneretur id quod deficit, quod in partibus carnoſis perbellè ſuccedere poteſt: quod ſi ſubſtantia eiuſdem ſpeciei regenerari non poterit, alteram ſubſtantiam loco illius erit reponenda quemadmodum in partibus ſeminalibus, & præſertim in oſſium diminutione contingere ſolet, cuius loco callus quidam nec oſſeus nec carnoſus inducitur: at ſi nec ſubſtantiam eiuſdem ſpeciei, nec ſimilem regenerare licebit, decorem quendam inueniemus, id quod artis exornatoriæ munus eſſe uidetur. Sed tota hæc indicatio cum non ſit principium proximum perquirendæ materiæ accommodatum, quæ opus hoc præſtare poſſit, cum id totum ad naturam ipſam pertineat, ob id quantum fieri poterit, ſubſidium naturæ feremus, quæ cum ſit agens,& propterea inſtrumentis accommodatis ad opus abſoluendum egere videatur, cuiuſmodi eſt calor natiuus, temperatura,& compoſitio, & præter hæc ſit neceſſaria materia ex qua, ob id medicus procurabit, ut inſtrumenta uirtutis natiuum ſuum ſtatum obtineant, & materia ſuppeditetur idonea pro regeneratione illius, quod deficit,& ſtudebit, ut omnia impedimenta ſubmoueantur, qualia ſolent eſſe humiditates ſuperfluæ in regeneratione carnis, uel calli, cum in qualibet concoctione duo potiſſimum generentur excrementa nempe craſſum ac tenue: quo fit ut in quocunq; ulcere qua ulcus eſt, ſi utilem indicationem ſpectemus mediocriter exſiccantibus uti neceſſe ſit, cum opus ſit ſola carnis regeneratione; in uulnere uerò magis exſiccantibus; adhuc magis in obducenda cicatrice: de quibus omnibus latius ſuo loco diſputabitur.

Pręterea ut materia naturæ partis affectæ idonea ſubminiſtretur, uidendum erit cuius nam temperaturæ ſit pars illa, quæ regeneranda uenit: ut cibaria opportuna, & quæ ſanguinem idoneum generare ualeant inueniri poſſint: quare in fracturis oſſium ut inducatur callus cibaria illa exhibemus, quæ ſuccum craſſum,& glutinoſum generant, cuiuſmodi ſunt pe-

des

des uitulini, suilli, & aliorum id genus animalium, orizam quoq; & far concedimus, & alia id genus multa de quibus Gal. in lib. de alim. fac.

Hoc autē loco non possum errorem nonnullorum subticere, qui in curandis ulceribus ac uulneribus ita prohibent uinum, ut etiam si nulla sit suspicio febris nec inflammationis, & caro sit regeneranda, vinum non exhibeant, cum tamen ad generationem carnis vinum rectè administratum sit maxime accommodatum.

De Indicatione quæ sumitur à magnitudine præter naturam. Cap. LVI.

QVòd si mala compositio quantitatem continuam indiferentem, & proinde magnitudinem spectabit, hæc uel aucta, uel imminuta obseruabitur; si auctam spectemus, uel erit huiusmodi quia substantia ipsa plus iusto creuit, quemadmodum contingit cum in uulnere, uel ulcere caro succrascit, uel quia substantia non crescit, sed ob uaporem uel materiam humorosam in maiorem molem sublata conspicitur, quemadmodum in inflammationibus, & aliis id genus, tumoribus obseruatur, in quibus magnitudo nihil utile indicat; sed tota indicationis utilitas ad materiam illam, quę tumorem facit est referenda, cum ad illius ablationem auferatur tumor: at magnitudo altera, quæ fit dum augetur substantia, indicat utile quoniam sui ablationem desiderat, id quod uel ferro, uel sola medicamentorum siccantium ope, non autem naturę beneficio perficitur, ut docuit Gal. 3. meth. 6.

Nec obstat quòd Gal. in lib. de opt. secta ad Tras. cap. 25. dicat non morbum sed causas medelam indicare, quoniam ibi loquitur Gal. de morbis qui a suis causis ita dependent, ut à sola causa utilis sumatur indicatio, quemadmodum de tumoribus diximus, 3. uerò illo meth. 6. non de tumoribus sed de eo genere magnitudinis loquebatur, in qua substantiam auctā esse uidemus, quæ ad ablationem causæ non remouetur. At si magnitudinē imminutam spectemus, uel totum corpus uel partem aliquam extenuatam obseruabimus, atq; ita ut actio uel totius uel partis oblædatur, alioquin magnitudo illa imminuta ad artem curatiuam non pertineret: in iis enim, quę secundum naturam deficiunt, id quod expetitur nec primò nec per se, sed propter actionem, & ex accidenti, siue secundario desideratur, ut monuit Gal. 14. meth. 14. ubi ergo corpus, uel pars aliqua ita fuerit extenuata uel imminuta, ut munere suo fungi nequeat, sui crassitudinē, & sublationem in tumorem indicabit; sed cum id intelligant, & fœminæ, ob id ad utiliores, & magis artificiosas indicationes descendere licet, quod ut fieri possit, illud prius animaduertendum est magnitudinem imminutam uel natiuam uel aduentitiam esse, si natiua fuerit siue ad totum, siue ad partes pertineat, adhuc dupliciter consideratur, quoniam uel est imminuta secundum partes carnosas uel solidas, & seminales, si secundum seminales ad iustam magnitudinem, & secundum naturam deduçi non potest, neq; enim caput

plus

plus iusto paruum, aut manus, uel pes, uel crus, uel alia quæuis pars corporis breuior, aut secundum partes seminales tenuior, seu gracilior quàm par sit, nequaquam refici potest; at si secundum partes carnosas fuerit gracilior proculdubio ad iustam magnitudinem deducere licet, quod idem dicendum est de his, qui post ortum secundum partes carnosas extenuati sunt. Cum itaq; statutum fuerit corpora gracilia, & extenuata refici posse, ut indicationes utiles, & artificiosæ hauriri possint, videndum est, cur uniuersum corpus uel pars aliqua extenuatur: hoc autem non erit cognitu difficile, si statuamus extenuationem seu gracilitatem morbosam, atrophiam concomitari, atrophiam uerò fieri quandoq; læsa facultate, quandoque ob externum errorem, & si læsa facultate interdum labefactata, nonnunquam impedita, quòd si ob externum errorem uel à causa interna, uel externa deductum; si labefactata facultate ob intemperiem nimis calidam, uel frigidam uel humidam, uel siccam uel simplicem uel compositam; sin impedita uel propter obstructionem, uel densitatem uel alium instrumentalem morbum, quare si contingat ut fiat atrophia, & per consequens magnitudo imminuta totius uel partis labefactata facultate ob intemperiem calidiorem, & ficciorem, ui cuius maxima fit nedum spirituum, & humorum euacuatio, uerum etiam solidorum colliquatio, tunc oritur indicatio refrigerandi, & humectandi, & sic omnes intemperies ad statum naturalem per sua contraria deducendi; quòd si facultas impedita fuerit ob uitium instrumenti ad indicationes reliquorum morborum instrumentalium confugiendum est. Verùm si ob externum errorem à causa externa desumptum id accidat, & sic propter ineptam sex rerum non naturalium administrationem, in his ferè omnibus, & quantitas, & qualitas est obseruanda; quæ omnia sunt quoque consideranda in errore, qui à causa interna originem ducit, de quibus omnibus copiosius ubi de uirtute disputabitur; quoniam indicantia uitalia, & materiæ uitales, si morbi expulsionem spectemus uim remedii curatorii, & materierum remediorum habere uidentur, ut non sit inconueniens alimentum, uno, & eodem tempore uirtutem custodire, & morbum propulsare, atque vtrunque primario, & per se diuersa tamen ratione præstare posse, ut perpetuo non sit uerum remedium superare, & alimentum superari debere, nisi intelligatur propositio illa de remediis quæ alimenta esse non possunt; sed hæc obiter propter curiosos dicta sint.

De Indicationibus quæ capiuntur à superficie, & figura præter naturali. Cap. LVII.

AT si quantitatem determinatam spectemus, quæ partes externas obsidet, & uitium sit in superficie, hæc erit vel leuior, uel asperior: si leuior fuerit ita ut actio lædatur, quemadmodum aliquando in interiori uentriculi, intestinorum, & uteri tunica contingere uidemus, tunc indicabit remedium asperitatem inducens, erit autem huiusmodi quod est acre, acidum, & adstringens ut admonet Galen. primo in acutis 18. quòd si fuerit asperior cuiusmodi aliquando esse solet guttur, oculi, palpebræ, os, arteria, uesica, & quæcunq; alia, quæ asperitatem præter naturam sortita sunt, medicamenta læuigantia indicabit, qualia sunt pinguia, & lenta quadam humiditate donata.

Quòd si uitium fuerit in figura, quæ ad partes externas pertinet, id multiplex esse potest, & per sui contrarium semper emendari desiderat, & si natiua fuerit, ut plerunq; accidere solet a primordio generationis, uitium hoc est corrigendum: at si figuræ vitium internas cauitates obsideat, si plures fuerint ductus quàm par sit, uitium hoc emendari non potest; sin pauciores ueluti contingit in illis, qui fecali foramine carent, foramen illud est efficiendum; quòd si numerus meatuum secundum naturam fuerit, sed cauitates ipsæ latiores quàm par sit extiterint, per opposita ad statum naturalem erunt reuocandæ. Verùm cum hę indicationes sint inutiles, & genericæ magis ob id ad causas reclusionis erit confugiendum, recluduntur autem uasa vel per diæresim, uel diapedesim uel anastomosim, quę cum sub soluta unitate comprehendantur ex Galen. 4. meth. primo ob id de his suo loco dicetur. At si fuerint angustiores sui dilatationem, seu reclusionem postulabunt, quod cum fieri non possit, nisi causa tollatur; ob id tota curationis ratio ad causam erit referanda; qua de re ubi de causis, disputabitur.

De Indicationibus, quæ capiuntur à soluta unitate. Cap. LVIII.

POstremò si soluta fuerit unitas sui unionem, & sic remedium glutinans indicabit, cuius materia cum per se, & propria nulla sit, quemadmodum nec generans carnem; sed hoc totum ex Galeni 2. per genera 21. sit naturæ committendum, ob id uidendum erit subsit ne aliquid, quod naturæ opus impediat; naturam autem impediri, & propriomunere destitui putamus, quando uel uitium aliquod est in instrumentis, vel error aliquis externus adiungitur: si uitium fuerit in instrumentis vt pote in intemperie, vel mala compositio-

ne

ne, per id quod eſt contrarium uitium illud eſt ſubmouendum ut ſuo loco diximus; at ſi fuerit error externus, quicunq; ſit ſiue ab externa, ſiue ab interna cauſa deſumptus, emendari deſiderat: quare ſi intra vulneris labra fuerit uel aliquod fruſtulum ligni, uel ferri, uel terræ, vel oſſis, uel alterius materiæ qnicquid ſit, ut omnino auferatur oportet; at ſi error hic ab interna cauſa originem ducat, cum totus à materia pendeat, materia hæc uel erit alimentalis, uel excrementitia, ſi alimentalis ut ſanguis, uidendum erit nunquid redundet, an potius deficiat, deficit quidem quoniam non ſuppeditatur tanta ſanguinis copia, quæ ſatis eſſe poſſit ad labra inter ſe diſſitentia unienda, quemadmodum contingit in admodum emaciatis, & qui atrophia laborant; quare tunc temporis procurandum erit ut tantum ſanguinis ſubminiſtretur, quantum ſit ſatis ad partes ſeiunctas agglutinandas, ſi quidem ſanguis munere glutinis aut ligamenti fungitur, quando abiuncta inter ſe labra abſq; medio copulari non poſſunt; quòd ſi redundabit, quemadmodum plerunq; contingere ſolet, (uix enim fieri poteſt quin inter labra humiditas aliqua delabatur) tunc medicamentis exſiccantibus erit occurrendum, ne uerò noua materia ſuggeratur, & inter labra decidat, uaſa iam ſecta erunt recludenda; poſſunt autem occludi uel contractione, uel obſtructione, ſi contractione ſit opus, præter medicamenta ſiccantia refrigerantia quoque uel adſtringentia, & refrigerantia ſimul erunt adhibenda; ſin obſtructione Emplaſtica quoq; ſunt adminiſtranda, hæc enim magis probantur quam eſcharotica; quòd ſi materia fuerit excrementitia pariter ſiccantibus eſt agendum; ſiquidem agglutinaturo unum id propoſitum eſſe debet, ut redundantiam eius humiditatis, quæ non modo eſt præter naturam, uerum etiam ſecundum naturam conſumat; ut ſcribit Galen. loco nuperrime citato, nec non 3. meth. 5. uerum quia omnis actio fit per contactum, & in tempore, ob id labra inter ſe diſiuncta erunt adducenda ita ut ſe mutuo contangant, & adductio, ſeu contactus ille diutius erit conſeruandus; at laborum adductio, & eiuſdem conſeruatio non continentur proprie ſub methodo medendi, quamuis ad methodum neceſſariò referantur, quando natura partes ſeiunctas abſq; illarum contractione ſeu contactu nullo modo copulare ualeat.

De Indicationibus à cauſa morboſa, & primo à continente. Cap. LIX.

HActenus de indicationibus quæ capiuntur a morbo locuti fuimus, nunc ſupereſt, ut loquamur de indicatione quæ ſumitur a cauſa efficiente ſed interna, ſiue antecedens, ſiue coniuncta, ſiue per ſe, ſiue per accidens dicatur, quo fit etiam ut ſymptomata interdum uim indicantis habere uideantur, atq; ut ordine de hiſce indicationibus loquamur, prius de continentibus ſermo erit habendus, mox de contentis, poſtremo de impe-

impetum facientibus, & quoniam si continentia morbum efficere debent, necesse est ut agant, & omnis actio, uel substantia, uel quantitate, uel qualitate, uel loco finitur, continentia itaq; uel uitio substantiæ, uel quantitatis, uel qualitatis, uel loci corpus humanum ut a naturali statu detrudant est necesse: si uitio substantiæ seu formæ id fit ex Gal. 3. in 6. de uulg. morb. 2. & 14. meth. 13. sui detractionem seu consumptionem, & ablationem indicant, quoniam id quod substantia peccat si toto genere alienum est à natura atq; inutile ut nullo modo restitui possit, illud est a corpore penitus ablegandum, cuiusmodi sunt partes carnosæ, nec non seminales in Gangrena, sphacebo, & cancro, nec non ossa corrupta, quemadmodum aliquãdo accidit in ulceribus tum antiquis, tum gallicis, quæ omnia, etsi non per se, & quatenus talia, per accidens tamen ut corrupta à natura penitus aliena dicuntur.

Nec perturbare nos debet authoritas Gal. 6. aph. 45. ubi uidetur uelle os putridum, & corruptum remedium exsiccans indicare, quoniam si rectè percipiantur, quæ docet Gal. nulla erit difficultas nulla dubitatio, quoniam non est dubitandum quin os corruptum sui ablationem indicet; sed nulla datur materia, quę huic separationi propriè per se, & perfectè satisfacere possit, siue sit os in extima parte denudatum, siue in penitiore occlusum, etenim si serra uel forcipe uel alio quouis instrumento partem ossis putridam a sana detrahere uolueris hoc unum tibi succedet, ut portionem aliquam eximas, quando totam absolutè, & perfectè ut separes fieri non possit: cum opus hoc uni naturæ sit demandatum, hæc enim sana tuetur, & morbosa pellit, neq; feliciorem successum sperare debes ex igne, quoniam, & ferro, & igne, & aliis medicamentis succurrimus naturæ, ut facilius, id quod reliquum est perficiat, & absoluat. Et enim natura numquam sanum ab ægro separare potest, nisi remoueantur impedimenta, uirtute quorum à proprio munere distrahitur: at nullum est maius impedimentum quàm humiditas quædam saniosa ex osse corrupto irrruente quæ interdum uirulentam etiam quandam qualitatem adiunctam habet, quare merito huiusce humiditatis exsiccantia remedia sunt adhibenda, alioquin ui huiusce materiæ saniosę in dies magis calor naturalis obrueretur, & maior ossis putredo subsequeretur, at humiditate hac saniosa exsiccata calor innatus uiuidior ac robustior factus elementorum hnmiditatem tuetur, & conseruat, & quod est præter naturam deserit, & quodammodo expellit, & sic ossa squamantur, & sanum ab ægro separatur, præsertim dum adest partis corruptio; quare non est, ut dicamus medicamenta exsiccantia desiderari, ut humiditas elementaris ossis integri, & sani absumatur, eo quia per accidens uim habeat causæ morbificæ, quatenus coniungit sanum cum ægro quemadmodum quidam imaginati sunt, quoniam si hoc esset uerum butirum non esset materia idonea ad escharas per exuctionem in partibus sanis excitatas eximendas, immo corruptum os nunquam à sano separari posset; sed potius in dies magis corrumperetur, & fieret fimus, & cinis.

At

At quiſpiã hoc loco dubitare poſſet arrepta occaſione ab eo quòd ſcribit Gal.14.meth.13. ubi dicebat ſi locus affectus eſt, pars aliqua naturalis prima indicatio eſt ut affectus ſanetur; ab hac ſecunda ſi inſanabilis ſit, ut unà cum uitio pars ipſa quoq; excidatur, ſicut in cancro, & omnibus ulceribus, quæ curationem reſpuunt, in herniis, uaricibus, in polypo naſi, dentium carie, & aliis id genus, cum nullum ſit ex his, quod ad naturalem habitum redduci poſſit; e contrario uerò in ſuffuſione quod hypochyma uocant, quoniam cum primæ indicationi nullo modo ſatisfieri poſſit, oculum, aut tunicam non effodimus, ſed humorem illum cõcretum deponimus. Quod cum ita ſit, licet quærere, quid ſit illud quod perſuadet, ut locus affectus interdum etiam unà cum aliqua partis ſanę portione auferatur, quando de ſola portione a toto genere præter naturam non ſit dubitandum, & quid hortatur non ut auferatur hoc uel illud, ſed ut quod eſt præter naturam, & lædit actionem tranſponatur.

Huic quæſito ſic ſatisfieri poſſe arbitror ſi dicamus ablationem partis ſanæ a nullo indicari; ſed accidere ut ad ablationem corruptæ, & ipſa quoq; auferatur; etenim in canero, & in quibuſdam ulceribus cum ægrum cum ſano permixtum ſit, alterum ſine alterius exciſione ſeparari non poteſt.

Quòd uerò quædam cum detrahi nequeant ſui tranſpoſitionem indicent, non accidit eo quia uirtus magis poſſit ad prohibendum quàm indicans ad ablationem indicandam, quoniam ſi hoc eſſet uerum, continens ut eſt à toto genere præter naturam duo indicaret remedium ſcilicet detrahẽs atq; tranſponens, detrahens quidem ubi adeo eſſet uehemens, ut illius uitium magis poſſet ad indicandum quàm uirtus ad prohibendum; tranſponens uerò ubi uitium eſſet adeo leue ac remiſſum, ut uirtus magis poſſet ad prohibendum, quàm indicans, ad indicandum, atq; hoc modo idem prout eſſet magis uel minus uehemens hoc uel illud remedium ſpecie diuerſum indicaret, quod fundamentis artis aduerſatur, atq; dignitati philoſophiæ maxime rupugnat, quoniam magis, & minus non uariant ſpeciem. Quare nos ut perpetuo tueamur methodi principia, exiſtimamus unum ab uno ſemper indicari, & ſic ſuffuſionem, calculum, & ſi qua ſunt huius generis dupliciter conſiderari poſſe, uno modo ut a toto genere ſunt præter naturam, alio modo ut ibi ſunt, ubi non deberent eſſe; ſi conſiderantur ut aliena ſunt à natura ſui ablationem; ut uerò alterum pupillam, alterum meatum urinarium occludit, tranſpoſitionem indicant; quoniam tranſpoſitio non opponitur uehementiori, uel leuiori peccato, ſed poſitioni: quare contrarietas ſemper eſt ſpectanda.

At ſi continens quantitate peccabit ita tamen ut nõ per ſe, ſed quia morbum inducit actionem lædat, ut in naribus germen aliquod carnis, quod obſtructionem pariat, & excreſcentia carnis in meatu urinario, in arteria portio aliqua tunicæ interioris non omnino ſeparata, ſui quoq; ablationem indicabit, id quod uel medicamentis, uel inſigniter exſiccantibus, & detergentibus, uel erodentibus fieri poterit.

At ſi qualitatis uitio morbum fouebit, uel efficiet, ueluti cum morbus morbum inducit, uel fouet, ut habetur ex Gal.4.meth.3.ac 3.meth.1.& 9.

nec

nec non aliis plerisq; in locis, uel ut in ulceribus cacoethis, seu mali moris contingere solet, aut cum ex aliqua parte aura, uel qualitas aliqua uenefica ad partes nobiliores attollitur, tunc qualitas illa uel erit manifesta, & sine subiecti corruptione auferri poterit, uel erit ignota, & à toto genere præter naturã, cuius remedium cum nobis fuerit ignotum ad ipsam eradicandam, subiectũ totum absumere necessarium erit. Quare memini me uidisse superioribus annis Nobilem quendam Iuuenem cuius pollex extremus ictu catapultæ percussus adhibitis optimis remediis fuit sanatus, nihilominus in ea parte qualitas quædam uenefica impressa multis annis nobilem patientem contorsit, si quidem singulis mensibus, & in toto brachio, & in ea capitis parte dolorem adeo insignem, & acerbum patiebatur, ut se infelicissimum existimaret, à cuius molestia ut liberaretur quàm plurima, & capiti, & brachio de quibus solũ conquerebatur, adhibita fuere remedia, & omnia quidem irrita: quare se tandem contulit Patauium ubi habita cõsultatione inter uiros celeberrimos decretum fuit, ut extrema pars pollicis ubi antea fuerat percussus inureretur, quo facto domi apud nos ab ea molestia fuit liberatus, ut non sit dubitandum, quin in ea parte praua, & uenefica qualitas fuerit impressa: huius generis est Casus ille qui refertur a Gal. 3. illo de loc. aff. 7. possem ego, & alios enumerare, quos tamen breuitatis gratia prætereo: satis itaq; constat continens quandoq; qualitatis occultæ uitio morbos, uel fouere, uel parere posse, & propterea sui ablationem prorsus indicare.

Si demum peccabit continens eo quia ibi sit, ubi non deberet esse, quãuis morbus sit in situ, potest tamen esse alterius morbi causa, atq; una, & eadem indicatio ad locum scilicet naturalem deductio.

De Indicatione quæ sumitur à contento. Cap. LX.

AT si sermo sit de contento hoc duum generum esse potest, est enim quid uel secundum naturam, uel præter naturam: si præter naturam fuerit, uel uitio substantiæ alienum est à natura uel accidentis, si uitio accidentis, uel quantitate, uel qualitate, uel motu seu loco peccat, si quantitate uel copiosius dicitur quam par sit, uel minus copiosum, si qualitate uel prima, uel secunda, si motu non alia ratione peccat quàm ubi sit transitus in loco. quod si toto genere fuerit præter naturam, uel erit animatum, uel inanimatum, animatum ut uermes, inanimatum, uel solidum, uel liquidũ, & fluidum, solidum quidem, uel intrinsecus genitum, uel extrinsecus adueniens, si extrinsecus importatur est ueluti globulus plumbeus, uel sagitta, uel aliud quid huiusmodi, si generatur intrinsecus est ueluti calculus in uesica, uel renibus, mola, & fętus mortuus in utero, materia, quæ atheroma, & steatoma facit, sanguis extra uenas grumosus, & quæcunq; sunt huius generis; liquida uerò seu fluida, ut materia, quę facit melicerida, & quæcunq; alia fluida, quæ facit morbos à toto genere præter naturam, huius quoq; generis est sanguis, qui symptomatice, uel per nares, uel os, uel meatum urina

rium

rium, uel ſedem egreditur, uel qui iam putridus eſt: hęc itaq; & alia id genus quatenus talia ſunt penitus eradicanda, quòd ſi quædam ex his penitus aboleri non poſſunt, quia uirtus huiuſmodi extractionē non ſuſtineat, quēadmodum aliquando contingit in extractione calculi ueſicæ; plerunq; in extractione lapidis renalis, & ſemper in detractione ſuffuſionis, tunc conſiderandum erit utrum lapis obſtruat meatum urinarium, uel ureteres, & materia, quæ ſuffuſionem facere ſolet ſit ne ante pupillam, quoniam tunc procurandum erit ut quælibet harum materierum loco moueatur, & ſic ad locum minus moleſtum transferatur.

Video tamen hoc loco ingenioſum quempiam nobis obiicere Galeni authoritatem 14. meth. 12. ubi docet indicationes curationis atheromatis, ſteatomatis, & meliceridis eſſe communes nempe ut id quod continetur, uel digeratur, uel totum putre reddatur, uel excidatur, quod ſi ſic eſt, ergo non indicabunt, dicet ille perpetuo ſui detractionem, quoniam putrefacere non eſt detrahere, aut diſſipare.

Huic obiectioni hoc modo ſatisfieri poteſt, ſi dicamus uerba illa Galeni non coniunctim, ſed diuiſim eſſe intelligenda, quoniam idem eſt, ac ſi Galenus dixiſſet, materia quæ tumores illos facit, ſic conſideratur, ut eſt omnino aliena à natura ſui ablationem indicat, & indicatio hęc hiſce omnibus tumoribus conuenit: at quę melicerida facit tres habet conditiones tenuis eſt, humida, & corpulenta, qua tenuis eſt in halitum tranſmutari poteſt, & ſic inſenſibiliter, & per tranſpirationem euacuari, qua humida putrefieri ex Gal. 81. meth. 8. ut corpulenta per exciſionem detrahi: at quæ facit atheroma cum ſit ſebacea, & propterea corpus humidum, ut humida poteſt putrefieri, ut corpus per exciſionem extrahi, in halitum uerò cum non ſit tenuis nullo modo mutari poteſt: poſtremò quæ facit ſteatoma cū ſit ueluti pulticula quædam ob nimiam craſſitiem, & ſiccitatem, neq; diſcuti, neq, putrefieri poteſt, & ob id ſola exciſione curatur. uideatis quid dicant alii.

Nec prætermittenda, eſt hoc loco opinio illorum, qui exiſtimant ſanguinem putridum per uenę ſectionem euacuari non poſſe, eo quia ſi putreſcit ſanguis ex Gal. 2. de criſ. 12. uertitur uel in bilem flauam, uel atram, etenim quod eſt pingue ac tenue in ſanguine fit flaua bilis, quod uerò craſſum eſt, ac ueluti fex ſi immodice excalfactum exaruerit fit atra, ſed huiuſmodi humores ut aiunt non auferuntur per uenæ ſectionem; ſed ſola purgatione ut uidetur uelle Gal. 11. meth. 14. ſanguis itaq; putridus per uenæ ſectionem euacuari non poteſt.

Huic opinioni aduerſatur Gal. 9. meth. 8. ubi ait, ſi cum uiribus imbecillioribus corruptela ſanguinis acciderit, utiq; quod corruptelam auferre poteſt cum uirtutis cuſtodia pugnat, quoniam corruptela præcipit euacuādum eſſe, idq; uel uena diuiſa, uel purgatione, quorum neutrum ferre poſſunt uires imbecillæ.

In hac controuerſia ſi Galenum tueri uelimus dicendum eſt, ſanguinem putridum utroq; modo euacuari poſſe, & per uenæ ſectionem, & purgationem, neq; ualet ſanguis putridus non indicat uenæ ſectionem, ergo non

poteſt

poteſt euacuari per uenæ ſectionem, quoniam uenæ ſectio non eſt indicatum, ſed materiam, ſeu inſtrumenta concomitatur: non enim eſt inconueniens, ut remedium auferens, & eradicans per plura materierum genera expleri poſsit: quis enim eſt ille, qui non uiderit quàm ſæpiſsimè in ſectione venæ quandoque maiorem copiam, uel bilis, uel melancholia, uel ſeroſitatis quàm ſanguinis euacuari? non negamus tamen quin humores huiuſmodi purgantibus etiam medicamentis euacuari poſſent, immo ſatius eſſe euacuationem hanc purgantibus potius quàm ſectione uenæ moliendam eſſe, præſertim ubi uires non ſunt admodum robuſtæ, quoniam in ſectione uenæ unà cum uitioſis humoribus exit ſpiritus, & ſanguis, in purgatione uerò ſolus ſpiritus cum reliquis humoribus abſumitur.

Ad authoritatem uerò Galen. 11. meth. 14. ubi admonet, nec obſtructionem, nec putredinem per ſanguinis miſsionem curari poſſe; ſed alia remedia deſiderare, dicendum eſt eam non fuiſſe Galeni ſententiam, vt in febribus ex putredine humorum obortis non mittatur ſanguis, quoniam ſtatim in initio eiuſdem capitis ſuadet, ut ſi uires fuerint ualentes ſanguis euacuetur; ſed uoluit nobis ſignificare obſtructionem, & putredinem non per ſolam ſanguinis miſsionem curari poſſe; ſed alia quoque remedia eſſe adhibenda, ut maiori ex parte euacuata humorum corruptela, quod reliquum eſt motibus moderatis, & perſpiratu refrigerante ad ſymmetriam reducatur, quemadmodum ſignificauit nobis Galen. 11. meth. 8. & 2. aphoriſm. 17. & hoc præſertim ſi nondum inſignis facta fuerit ſanguinis corruptio, ſed parum à natura ſua degenerauerit: quoniam ſi corruptela adeo magnam præter naturam ſortita fuerit mutationem, ut à natura amplius uinci, ac regi nequeat, procul-dubio uires illius euacuationem per uenæ ſectionem non ſuſtinebunt, ſed eam per urinam, per deiectionem, per uomitum, ac ſudores moliemur, quemadmodum 11. illo meth. 8. docuit Galen. & 4. de tuen. quarto. vbi docebat qualisnam forma ſanguinis eſſe debeat, quæ uacuationem admittat, cum diceret, ubi paululum, uel citra ſanguinem reſtitutum, vel vltra proceſſum eſt, audacter mittendus eſt ſanguis, ubi plus, conſideratius eſt agendum; ubi plurimum, in his nullus omnino eſt mittendus.

At ſi contentum non ſubſtantia, ſed copia recedat à naturali ſtatu, poterit eſſe, tum alimentum, tum excrementum: per alimentum autem non intelligimus id quo primo nutritur uentriculus hoc eſt potiorem chyli portionem, & perfectè concoctam, quæ cum non ſit ſanguis ſemen appellari licet; ſed per alimentum intelligimus chylum, & ſanguinem, ſiquidem chylus interdum ſui copia, & quantitate obſtruit venas, & multo magis ſi fuerit imperfectus, cuius cauſa etiam fruſtratio ſanguinis contingit in uenis ex Galen. tertio, de ſympt. cauſis primo, & in libro de ſympt. differen. 4. Sanguis uerò interdum adeo redundat, ut uel uaſa diſtendat, uel uires premat, uel utrunque præſtet: & per ſanguinem non intelligimus humorem impermiſtum, ac ſim-

plicem, ſed qui vtriuſque bilis, & pituitæ particeps eſt, hic autem, ſiue in toto, ſiue in parte redundet, ſiue formam ſanguinis attigerit, ſiue parum abſit à forma, ſui euacuationem, ſeu diminutionem indicat, vt nobis ſignificauit Galen. 4. de tuen. 4. vbi dicebat in laſſitudinibus conſiderandum eſſe cum ſanguinisne copia, an cum crudis minimeque coctis humoribus, an per ſe ſolus conſiſtat uitioſus humor, qui laſſitudinem creat; nam ſi cum ſanguinis copia, aut uena erit incidenda, aut aliquid, quod tantundem ualet, erit agendum, cuiuſmodi, eſt prouocatio tum hemorroidum tum menſium, vbi huiuſmodi euacuationes fuerint ſuppreſſæ, aut malleolorum ſcarificatio, cui rei videtur aſſentire Gal. 9. meth. 5. 4. de tuen. 10. & 6. eiuſdem 13. vbi docebat optimum eſſe, vel venam ſecare, vel malleolum ſcarificare, vbi ſanguinis redundantia grauat, ac premit, idem ſuaſit 3. de lo. aff. 7. cum diceret, ſanguis melancholichus vbi in uniuerſo corpore continetur, curationem à venæ ſectione incipere oportet: idem comprobauit tertio, in primum porrhet. 49. vbi ſuadebat in ſanguinis redundantia ſectionem uenæ non uomitum, aut uentris perturbationem, ſeu purgationem conuenire. idem in libro de ſectis ad introd. 3. & 4. aph. 3. & 21. meth. 13. vbi ſtatuebat omnium euacuationum unam intentionem, & ſcopum eſſe humorum ſuperabundantiam, ut propterea in arte med. 94. dixerit Gal. quæcunq; non ſunt ex genere præter naturam, ſed quantitate damnantur, in his intentionem eſſe euacuationem, hoc eſt imminutionem.

Hoc idem rationibus confirmari poteſt hoc modo, quoniam omne quod eſt præter naturam ſui contrarium indicare uidetur; ſed euacuatio ſanguinis multitudini, & copiæ ſanguinis aduerſatur, ergo a multitudine, ſeu copia illius indicatur; maior nititur hoc principio. Contraria contrarijs curantur, minor eſt manifeſta ex oppoſitione, ſi quidem multitudo paucitati, & auctio imminutioni opponitur ex Galen. 11. meth. 13. & in libro art. med. 94. necnon 4. aph. 2. quare ſequitur concluſio ex neceſſitate.

Neque eſt quod quiſpiam dicat vnum vno modo conſideratum à pluribus indicari poſſe, quoniam antea probatum fuit unum quatenus vnum unum tantum indicare, & ſic unum ab uno indicari debere. Sanguis itaque ea ratione qua ſui quantitate peccat, poſtulat quoque ut imminuatur, & euacuetur: Sed indicatio hæc nimis eſt generica, & propterea non admodum artificioſa, quare ſpecifica, & quantum fieri poteſt appropriata, & particularis, ut reddatur eſt neceſſe, erit autem huiuſmodi ſi conſiderabimus quantus ſit receſſus à naturali ſtatu, hunc autem receſſum demonſtrabunt nobis temperatura, & aer, nec non quæ temperaturam, & aerem definire poſſunt, & alia quæcunque de quibus ſuperius dictum eſt.

Vbi autem receſſus à naturali ſtatu fuerit obſeruatus, uim, & magnitudinem huiuſce indicantis æſtimabimus non ſolum ex receſſu iam dicto, uerum etiam ex læſione partis præſtantis, nec non facultatis uniuerſum corpus gubernantis: etenim ſi magnitudo fuerit inſignis merito receſ-

ſus

ſus, vt in plenitudine quoad vaſa, vel propter læſionem partis præſtantis, veluti accidit in inflammatione, vel pleuræ, uel pulmonis, uel iecinoris, vel ventriculi, vel cordis, uel cerebri, uel uteri, uel alterius partis præſtantis, uel cum læditur facultas, ut euenire ſolet nedum in iiſdem affectibus propoſitis uerum etiam in alijs: ob nimiam namque plenitudinem ſolet interdum natiuus calor extingui, ac ueluti ſuffocari, unde uires concidunt, & collabuntur, vt in præfocationibus uteri, in ſyncope, in apoplexia, & aliis id genus contingere ſolet. Si inquam obſeruata fuerit, hæc inſignis magnitudo conſtabit quo que inſigni remedio eſſe ſuccurrendum, cuius remedii materiæ plures eſſe poſſunt, quando, & uenæ ſectione, & hemorroidarum apertione, & menſium prouocatione, ſi ſuppreſſæ fuerint euacuationes illæ, nec non malleolorum ſcarificatione ſanguinem inſigniter ſui quantitate peccantem euacuare licet, ut monuit Galen. 4. de ſanit. tuen. 4. inter has tamen materias hirudines, malleolornm ſcarificationes, & cucurbitulæ inciſæ uires minus deijciunt, & ſanguinem tenuiorem euacuant; inſtrumentum itaque generoſius erit uenæ ſectio, minus generoſum hirudines, & ſcarificatione, adhuc minus cucurbitulæ ſcarificatæ, omnium materierum chirurgicarum ſanguinem minuentium imbecillimæ ſunt frictiones, clyſteres, balneum, ſudores, & quæ ſunt huius generis. his accedit inedia, & exercitium ut ſcribit Galen. in libro de venæ ſect. 7. quare ſi contingat, vt ſanguis non inſigni quantitate peccet, quemadmodum plerunque accidit in plenitudine, quoad vires, ſicut remedium leuius deſiderabitur, ita materiæ leuiores erunt magis accommodatæ, quales ſunt illæ, quas proximè enumerauimus.

Sanguinis miſsio utrum indicetur à morbi magnitudine, & uirtute robuſta. Cap. LXI.

SEd antequam vlterius progrediamur tollendæ ſunt difficultates nonnullæ, quæ hactenus viros doctiſſimos defatigarunt: ſi quidem Galeni authoritatibus addicti exiſtimarunt ſanguinis miſſionem non à ſanguine, ſui quantitate, uel motu peccante, ſed à magnitudine morbi indicari: dicebat namque Galen. quarto, meth. ſexto, interdum ſanguinem mittendum eſſe tametſi redundantis ſanguinis concurſus non adſit, quando nemo ſit in artis operibus exercitatus, qui magno exiſtente morbo, & uirtute robuſta ſanguinem non detrahat, quam opinionem Empiricorum, exemplo illuſtrauit, quando Empirici, & in lapſu ex alto, & in contuſis vulneribus ad ſanguinis miſſionem confugiunt, etiam ſi homo ille paulo ante fuerit ſanus prorſusque redundantiæ ſanguinis expers; vnde concludit concurſum ſanguinis redundantis non eſſe illud quod mittendum ſanguinem indicet; ſed magnitudinem morbi, ac virium robur; hoc idem videtur confirmaſſe quarto. in acutis 19. vbi dicebat ſanguinem primum detrahes ſi magnus tibi videatur morbus, hoc eſt vehemens

M 2 affe-

affectus, non enim refert, siue uehementem, siue magnum morbum dixeris. Quare primum scopum mittendi sanguinis uidetur statuere magnitudinem morbi, secundum ætatem florentem, tertium uirtutem. Quare etsi non adsit plethorica syndrome uenam tamen secamus, cum dolor uehemens statim hominem prehenderit, uel pars aliqua fracta fuerit, uel os è loco pulsum sit, uel alius quispiam articulus contractus reductusque sit. His & aliis huiusmodi authoritatibus omnes ferè qui hactenus de hac re scripserunt in eam sententiam uenerunt, ut existimarent missionem sanguinis à morbo uehementi indicari; nonnulli uerò à morbo uehementi, & uirium robore, quidam, & tertium scopum addiderunt nempè ætatem florentem: fuerunt & alij, qui non misionem sanguinis ab his, sed uenæ sectionem indicari confesi sunt.

Sed ut mihi uidetur ex superius dictis authoritates hæ, & aliæ id genus ad uerum, & optimum sensum traduci possunt, si dicamus Galeni doctrinam non esse de scopis mittendi sanguinis simpliciter; sed de signis, quibus in redundantia sanguinis, siue sit uniuersalis, siue particularis, medicus uenæ sectionem administrare potest: & propterea non dicebat in misione sanguinis, ut omnes ferè transtulerunt, sed in phlebotomia, non semper desiderari syndromen illam plethoricam quam Menodotus unà cum alijs Empiricis obseruabant hoc est distentionem uasorum, ruborem, grauitatem uniuersi corporis ad motum, pigritiam, tensionem membrorum ulcerosam, & lasitudinariam tensionem, uitam otiosam, largam ciborum, & potuum ingestionem, solitarum excretionum suppresionem, calidam, & humidam intemperiem, nec non aerem calidum, & humidum, & quæcunque huiusmodi temperiem, & aerem definire ualent, & si qua sunt alia, quæ sanguinis redundantiam significare solent, de quibus locutus est Galenus in libro de multitudine primo. & in libro de curandi ratione per uenæ sectionem capit. 8. In paucissimis enim dicebat Galen. quinto, de tuen. 11. licet inuenire exactè traditas, quas Empirici syndromas, idest concursus uocant, quemadmodum in peripneumonia, laterum compunctione, & in quocunque inflammationis principio, quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit: quippe cum dolor sanguinem ad se trahat, quemadmodum toties diximus, & Galen. testatur in libro curat. per sanguinis misionem 8. absque corporis plenitudine inflammationem procreat, quare si sententiam Empiricorum sectaremur non in his morbis proxime enumeratis, & alijs id genus, sed in sola plenitudine quoad uasa sanguinem per uenæ sectionem mitteremus, quando non solum in hac, uerum etiam in plenitudine quoad vires, & non solum in plenitudine totius corporis, uerum etiã alicuius partis determinatæ, sanguis per venæ sectionem sit euacuandus: hac itaq; in re non dissentimus à Galeno.

Quod uerò dicunt Galenum asserere solam morbi magnitudinem sanguinis missionem indicare, hoc certè negamus, neque Galen. hoc dicit, neque unquam somniauit, sed admonet solam morbi magnitudinem, vbi sanguis est euacuandus indicare phlebotomiam: non enim semper Gal. di-

ſtinguit inter remedium, & materiam remedii propter ineptam loquēdi ra tionem, ſed plerunq; materiam pro remedio vſurpare ſolet; quare improprie loquitur, quoniam ſi proprie loqueretur in laſſitudinibus nunquã ſanguis euacuaretur, cum ibi non adſit morbus, euacuatur tamen ex Gal. 4. de tuen. 4. ergo à morbi magnitudine non indicatur; Quòd ſi quispiam dicat ex Gal. in lib. de curatione per venæ ſect. 9. non ſolum morbi magnitudinem præſentem verumetiam imminentem ſanguinis miſſionem indicare.

Huic reſpondere debemus neque morbi magnitudinem præſentem neque imminentem ſanguinis miſſionem, nec per ſe, nec per accidens indicare poſſe, quoniam non eſt ſignum ſanguinis redundantis, cum plures ſint morbi magni, ut apoplexia, Epilepſia, carus, lethargus, paralyſis, conuulſio, ſtupor, tumor, hydrops, & id genus alii, in quibus ſanguis non ſemper redundat. quare dicendum eſt morbi magnitudinem, & præſentem, & imminentem docere, vbi ſanguis eſt euacuandus, per phlebotomiam euacuari debere, modo uires permittant.

Præterea ſi morbus magnus ſangninis miſſionem indicaret ab uno, vt vnum, duo ſpecie inter ſe diuerſa indicarentur, nempe remedium præſeruatorium, & curatorium, & vnum à duobus ſpecie inter ſe diuerſis indicaretur, ſiquidem miſſio ſanguinis indicaretur à ſanguine redundante, & à magnitudine morbi.

Immo aliud eſſet quod indicaret, & aliud quod curaretur, neque contrarijs curarentur, quinetiam aliquando eueniret, ut idem duo inter ſe pugnãtia deſideraret, ut ex. g. intemperies ſicca uentriculi propter defectum alimenti adiectionem deſideraret, vt verò morbus eſt magnus detractionem ſanguinis indicaret, & ſic duo contraria poſtularet, idem de conuulſione, quæ fit ex inanitione dicendum eſt, falſa quoque indicationis definitio eſſet dicenda. quoniam ex apprehenſione magnitudinis morbi non comprehendimus ſanguinem eſſe mittendum.

Immo ſi uerba Galeni ſola ſpectemus videtur velle nullum dari morbũ magnum in quo non ſit ſanguis euacuandus, dummodo uirtus ſit robuſta, quod ſi uerum eſſet, ſequeretur in principio cuiuslibet hydropis ſanguinẽ eſſe mittendum cum ibi morbus ſit magnus, & uires conſtent, quippe quæ medicamenta validiora cuiuſmodi eſt elaterium ſuſtinere poſſunt, rurſus cum Gal. 4. illo meth. 6. ſub finem dicat magnitudinem morbi, vel ſanguinis euacuationem, vel purgationem indicare, ſi de proprio indicante loqueretur non autem de ſigno, quomodo à manifeſta falſitate uindicari poſſet? hæc, & multa alia incommoda ſequerentur, quibus ars tota medica corrueret, ac deſtrueretur; quare non eſt dicendum à morbo vehementi ſanguinis miſſionem indicari debere.

At dicet quis quomodo tueri poſſumus Galenum 4. meth. 6. cum ait neminem eſſe in artis operibus exercitatum, qui ualido exiſtente morbo, & ualidis viribus non mittat ſanguinem, & concludat non concurſum ſanguinis redundantis eſſe illud quod mittendum ſanguinem indicet, ſed magnitudinem morbi, ac virium robur.

Huic certe authoritati, & aliis id genus perſpecta rei natura ſic ſatisfieri

 poſſe

posse arbitror si dicamus Galenum contra Methodicos, Empiricos, & nonnullos rationales nõ de sanguinis missione simpliciter, sed quæ fit per uenæ sectionem disputare, qui existimabant solam syndromen sanguinis redundantis in phlebotomia esse spectandam, ac si uena nunquam esset aperienda, nisi cum congeries, & concursus ille signorum adesset, & facta comparatione huiusce syndromis plethorice cum magnitudine morbi, vel præsentis, vel imminentis, & virium cõstantia, ostendit hanc syndromen horũ duorum signorum præferendam esse cuilibet alteri, & sic argumentatur, syndromes illa cuicunque alteri est præferenda, quæ pauciora signa, magisque necessaria, & inseparabilia complectitur; sed syndromes magnitudinis morbi & uirtutis robustæ pauciora signa comprehendit, & magis necessaria, ac inseparabilia, ergo præferenda est syndromi plethoricę Empiricorum. Maior est manifesta; minor probatur à Galeno, & primo quòd Empirica syndromes plura numero complectatur signa quàm dogmatica ex superius dictis satis superque constat, quòd verò signa illa sint magis necessaria ex consuetudine practicantium, seu inductione probatur à Galeno cum ait neminẽ in artis operibus exercitatum esse, qui ualido existente morbo cum uirium constantia quamuis non adsit syndromes Empirica non secet venam, quẽadmodum, & Empirici ipsi facere consueuerunt, quòd sint inseparabilia patet ex hoc quoniam nunquam euenit, vt cum sanguis sit euacuandus existente ualido morbo cum virium constantia non sit uena secunda. Quod cum ita sit non uideo, quomodo uiri doctissimi ex hisce authoritatibus concludant morbum magnum per se sanguinis missionem indicare, quando potius concludendum sit magnitudinem morbi, & uirium constantiam unà cum ætate florente syndromen quandam facere, qua præsente medicus iudicat in sanguinis redundãtia uenam aperiri posse, ac debere, & hoc est quod significauit Gal. in lib. curatiuo per uenæ sectionem 9. cum diceret morbi magnitudinem, & uirium robur esse primam syndromen non plethoricam, quoniam hæc in illa compræhenditur, utpote quæ morbi magnitudinem adaugeat, Hoc idem significare uoluit 4. in acutis 19. ubi dicebat primum scopum uenæ secandæ esse morbum; secundum ætatem florentem; tertium uirtutem, etenim quid aliud voluit quàm morbi magnitudinem primo nobis repræsentare magnitudinem causæ, qua mouemur ad secandam uenam, ætatem verò sanguinis redundantiam, deinde uirtutis robur subiecti tolerantiam indicare.

Cum itaque propositum Galeni sit sermonem habere de signis, seu indicijs, quibus mouetur medicus ad euacuandum sanguinem per venæ sectionem mirum non est, si quandoque dicat magnitudinem morbi, & virium constantiam phlebotomiam indicare, quoniam si sanguis sit euacuãdus, & morbus magnus indicet magnitudinem causæ remedium magnum esse debebit, cui, ut respondeat materia, seu instrumentum opportunum uenæ sectio erit administranda. Et hæc fuit Galeni, Hipp. & omnium antiquorum consuetudo, ut neglecta illa exquisita, & nimis accurata loquendi ratione sibi non ignota per notiora semper progrederentur, id quod etiã hoc tempore faciẽdum existimarem nisi ex authoritatibus perperam intellectis pericu-

periculum eſſet,ne in quocunque morbo magno abſque ullo diſcrimine ſanguis detraheretur.

Quòd ſi quiſpiam adhuc obnixè tueri uoluerit Galenum in his omnibus locis de ueris,& proprijs indicantibus ſermonem habere,is ſciat ſe neque præcepta grammatices recte tenere quoniam non eſt dubitandum quin Galenus comparet ſyndromen plethoricam cum ſyndrome,quam ipſe proponit,hancque illi præponat: at illa quæ comparantur non ſolum ſunt eiuſdē generis,uerum etiam eandem qualitatem participare debent; ſed ſyndrome plethorica non conſideratur,ut proprium indicans;ſed ut complectitur ſigna uenæ ſectionem demonſtrantia, ergo, & ſyndrome, qua utitur Galenus conſiderari debet,ut ſigna comprehendit,quæ phlebotomiam indicare poſſunt.

His poſitis omnes corruunt difficultates,Galenus ſibi conſtans eſt,nec at tis principijs repugnat, quoniam non eſt inconueniens plura eſſe ſigna, quę per ſe cauſæ uehementiam demonſtrent,per accidens uerò remedium magnum,& ſic phlebotomiam oſtendant,& ſubinde unum ab uno indicari, quo loco uirtus uim habebit, uel permittentis, vel prohibentis ſanguinis miſſionem per uenæ ſectionem,quare cum proponitur à Gal.4.meth.6. & 4.de rat.uict.19.nec non in lib. de curand. ratione per phlebotomiam 9. proponitur,vt permittens, vel prohibens, hæc eſt uera,& germana ni fallor authoritatum illarum expoſitio, quam nemo non approbabit, qui ueritatem amabit.

Quod uerò Galenus loquatur de ſignis,quorum cauſa moueri debeamus ad venam ſecandam,unicuique conſtabit uerba græca legenti; quoniam vbi uidebit Galenum uti phlebotomiæ uocabulo, quod nobis ſonat uenę ſectionem non autem ſanguinis miſſionem, quare peroſi græcarum literarum non animaduertentes ſub ſanguinis miſſione phlebotomiam hoc eſt ſanguinis miſſionem per uenæ ſectionem tanquam ſpeciem ſub genere contineri, loco phlebotomiæ ſanguinis miſſionem ubique uſurparunt, vt etiam librum de curandi ratione per uenæ ſectionem,per ſanguinis miſſionem tranſtulerint;& ſi quandoque contigerit, quod rarò euenire arbitror, vt loco phlebotomiæ dicat magnitudinem morbi ablationem ſanguinis indicare ſemper ſubaudiendum eſt per uenæ ſectionem.

Quod uerò dicunt Galenum locis citatis probare uenę ſectionem quam uis non adſit ſanguinis plenitudo,cum dicat ſicut miſſio ſanguinis, vel propter ipſius abundantiam,uel propter morbi magnitudinem,ita purgatio, & propter abundantiam alterius cuiuſque ſucci, & propter uim morbi adhibetur: dicendum eſt uerba Gal. non ita ſonare quemadmodum linacrus trāſtulit,ſiquidem ubi textus græcus habet διά τε πλῆθος αἵματος καὶ ἰσχυρὰν νόσον quod nobis ſonat, & propter ſanguinis copiam, & morbi magnitudinem latinus legit, uel propter ſanguinis multitudinem, uel propter morbi magnitudinem: quare ſi uerba græca transferantur, ut ſunt transferanda nulla erit dubitatio, uel ſi translationem linacri ſeruare uolumus dicendum eſt Galenum per ſanguinis abundantiam intelligere plenitudinem illam, quæ per ſyndromen Empiricam, ſeu plethoricam adhibetur

in qua uena est secanda, per morbi uerò magnitudinem nobis significare nedum in hac uerum etiam in plenitudine quoad uires, uel alicuius partis determinatæ phlebotomandum esse, quemadmodum contingit in principio inflammationis alicuius partis determinatæ; quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem fuerit excitatas, quoniam dicebat Galen. in lib. curat. per uenæ sect. 8. debilitatem partium sæpe inflammationem procreare, quamuis in corpore nulla subsit uniuersalis plenitudo.

Eodem modo respondere licet authoritati, quæ proponitur ex Gal. 8. meth. 4. cum dicat vbi robur ęgro non deest secanda est uena, etiam si plenitudinis signa non adsint, quoniam per plenitudinem intelligit non quamcunque sed uniuersalem, & Empiricam.

Rursus sic argumentantur in defectu sanguinis quandoq; licet sanguinē euacuare, quemadmodum contingit in profluio sanguinis narium, uel thoracis, uel hemorrhoidum, vel vteri, vel apertionis alicuius uasis, ergo sanguinis euacuatio non indicatur a plenitudine.

Dicunt nonnulli a copia sanguinis tunc euacuationem non indicari; sed a sanguine fluente.

Sed opinio hæc reprobatur à quibusdam, quoniam dicunt sanguinis euacuationem non opponi fluxui, seu motui sanguinis, sed potius plenitudini, quare concludunt euacuationem sanguinis in huiusmodi profluio à copia sanguinis per accidens indicari, nam & si sanguis per se sit exiguus, & in minori quantitate quàm deceat, qui tamen, ut aiunt, fouere potest uasorum apertionem, ob id redundare ex accidenti dicendum est; idque exemplo illustrare conantur, dicunt enim in corpore phitisi laborante adest macies, & propterea magnitudo imminuta, nihilominus cauteria excitari solent, quæ cum sint soluta vnitas cum magnitudine imminuta, necesse est, vt indicentur à magnitudine aucta, & sic probant magnitudinem auctam ex accidenti esse in corpori emaciato, quoniam neque uidetur inconueniens, ut sanguis copiosus ex accidenti sit in corpore exangui.

Accurata nimis commentatio hæc mihi uidetur, nec ueritati omnino consona, quoniam superius probauimus fonticulos, & alias huiusmodi sectiones, quæ necessario administrantur in corpore non esse indicata, sed ueluti materias aliorum auxiliorum, & ob eam causam sub methodo medēdi cadere non posse: ad indicantia itaque non est, ut perpetuo confugiamus, quare exemplum illud de cauterio in corpore nihil probat, cum sit potius auxilii materia quàm auxilium, sicut itaque in corpore gracili, & emaciato non consideratur pars ulla neque per se, neque per accidens aucta, sic in defectu sanguinis neque in toto, neque in parte redundantiam sanguinis excogitare poterimus, quare non sequitur sanguis dum fluit, fouet apertionem uasorum, ergo copia peccat, quoniam, si hoc esset uerum ex euacuatione sanguinis, qui actu fouet apertionem uasorum, vel narium, vel uteri, uel alterius partis, emolumentum potius aliquod, & commodum quàm detrimentum, & incōmodum sequeretur; sed ex euacuatione sanguinis

guinis apertionem uasorum actu fouentis incommodum, & damnum subsequetur, ergo sanguis ille non est euacuandus: non itaq; copia peccat: cur enim ad euacuandum sanguinem peccantem in profluio narium non admouemus hirudines naribus? cur non permittimus vt fluat, quod apertionem fouet? cur in profluio mensium non admouemus cucurbitulas scarificatas vel inguinibus, vel coxis, vel musculos scarificemus? at hoc non fit, quoniam maximum detrimentum subsequeretur, ergo sanguis ille neque per se neq; per accidens redundat, quoniam quouis modo redundaret dummodo uirtus constaret per sui euacuationem emolumentum aliquod consequeremur.

Neque dicendum est uirtutem ex uno loco magis, quàm ex alio concedere ut sanguis euacuetur, immo non uidetur consentaneũ ut sanguis in uasis nariũ uel alterius partis peccet, & sanguis alterius partis euacutuer, dummodo eadem parte commode sanguinem mittere posses; nam aliud esset quod indicaret, & aliud quod euacuaretur, quod nobis persuadere uidetur Gal. in lib. de curandi ratione per uenæ sectionem 19. ubi in inflammatione gutturis laudat ut à principio uena cubiti secetur, post principium uerò uenæ linguæ aperiantur.

Dicet quis, si euacuatio sanguinis in profluio ac defectu sanguinis non opponitur fluxui, neq; multitudini sanguinis, cur igitur ad cohibendum sanguinis fluxum euacuatur sanguis? Vt hoc cognoscamus, uidendum est, cur fluat sanguis, quoniam perspecta fluxus causa non erit difficile cognoscere, cur interdum cogantur medici ad sanguinis euacuationem confugere. Fluit autem sanguis, quoniam facultas retentrix uasorum, vel labefactatur, uel impeditur, uel proprio fine frustratur: labefactatur autem propter intemperiem humidiorem, cuius causa pori, & meatus laxitate uasorum nimis dilatantur, vnde subsequitur, uel diapedesis, uel anastomosis, vel affectus uterq; simul, unde oritur indicatio exsiccandi, & adstringendi, impeditur uerò ob morbum in soluta vnitate vnde fit diæresis, & oritur indicatio vniendi; postremò frustratur, ob externum errorem ex sanguine desumptum, siquidem sanguis, uel copia peccat, vel qualitate hoc est calidi tate, ac tenuitate ex Gal. 3. in 6. de vulg. morb. 21. vel impetu, seu motu immoderato ad aliquam partem: si vitium est in quantitate conuenit sanguinis euacuatio: sin in qualitate refrigerandus, & incrassandus est: quòd si motu peccat eo quia moueatur ad partem ineptam ad oppositam partem reuocandus est, quòd si neq; ligaturis neq; frictionibus id consequi licet, neq; in itinere seu in spatio intercipi possit, tunc confugimus ad sanguinis missionem in parte tamen opposita non ut euacuemus sanguinem, qui actu fouet apertionem uasorum, tanquam redundantem; sed ut compescamus ac retardemus motum illum sanguinis, qui ad hanc, uel illam partem fluit, quare id coactè facimus non quod ab vllo indicante euacuatio illa sanguinis indicetur, usurpamus enim euacuationem illam tanquam materiam remedii, quemadmodum cum exhibemus, uel philonium, vel opium, uel aliud aliquod genus remedii, quod dum prodest, detrimentum aliquod im

por-

portare solet; sed cum maior sit utilitas quàm damnum, quod inde sequitur, ob id non dubitamus ad id genus præsidii confugere.

De Indicatione quæ capitur à sanguine ut motu peccat. Cap. LXII.

SEd postquam incidimus in sermonem de uitio sanguinis quod ad motũ, & per consequens ad transitum in loco pertinet, statui non ab re futurũ si totam hanc doctrinam satis difficilem, & fortasse à paucis intellectam explicarem; quòd ut fieri possit prius mihi videtur reiicienda opinio illorum, qui existimant materiam nullam ea ratione, qua mouetur in loco, quidquã indicare, quod ut probent hac ratione utuntur.

Id quod aufertur ad ablationem alterius non indicat; quemadmodum de symptomate diximus.

Sed motus, & quies ad ablationem principii motus, & quietis tolluntur, ergo motus, & quies non indicant.

Quo iacto fundamento astruunt isti cum Gal. 1. aph. 21. materiam nõ ut mouetur, uel quiescit quidpiam indicare, sed ut potest moueri, uel ut habet in se principium inclinationis mali motus; hoc idem confirmant pluribus aliis Galeni authoritatibus, siquidem in lib. quos, & quando purgare oportet dicebat spectãdam esse inclinationem humoris tanquam id à quo capitur remedium, & in lib. curat. per phlebotomiam 19. admonere uidetur easdem venas esse in præseruatione secandas, quæ in principio affectus secari consueuerunt; at in præseruatione addunt isti humores non fluunt ergo fit reuulsio, ubi quiescunt, & ibidem subdebat podagricos ex cubito euacuato; comitiali morbo, & uertiginibus obnoxios, ex cruribus, quod si sic est, ergo reuellens non uidetur indicari à materia, quæ mouetur; sed quę moueri potest ad locum remotum à loco congruo, & opportuno; idem confirmare uidetur authoritas eiusdem Galeni 4. de ratione uictus in acutis 30. cum ait in angina medicamentis collo circumpositis, quæ attractoria polleant facultate ad exteriorem superficiem reuellere oportet, quoniam melius est superficiarias quàm profundiores, & interiores partes affici, quibus uerbis constat Galenum reuellere materiam quæ non mouetur hæc isti.

Ego certe diu multumq; laboraui vt intelligerem quid uellent isti per hoc principium motus seu inclinationis mali motus, quoniam, uel motum ipsum intelligunt, uel quid à motu diuersum; si per inclinationem motum ipsum intelligunt, quemadmodum cũ dicimus aquam fluminis quæ deorsum fluit habere propensionem ad hunc motum, ut idem sit aquam moueri, & ad motum illum propensionem habere, nihil omnino contra opinionem nostram concludunt, & ratio, quæ opinionem nostram reprobat, eadem ualet ad suam infirmandam. At si per inclinationem quid diuersum à motu intelligunt, aliud erit quod indicat, & aliud quod curatur; rursus quod indicat erit ignotum nedum sensui, uerum etiam intellectui contra

natu-

naturam indicantis; quod autem hoc uerum sit probatur hoc modo,& primo quòd aliud erit indicans, & aliud quod curatur, quoniam auersio quæ reuulsione deriuatione,& repulsione absoluitur est motus quidam: sed ex horum sententia quod indicat non est in genere motus: ergo non opponitur auersioni, cum contraria in eodem genere esse debeant; cum uerò non sint in eodem genere,aliud erit quod indicat,& aliud quod curatur,quoniã auersio cum sit remedium,& sit in genere motus, remediũ erit illius quod peccat secundum motum,non autem illius,quod non mouetur.

Quòd uero ignotum sit intellectui quod indicat sic probatur, nihil est in intellectu,quod prius non fuerit in sensu : sed sensus non potest cognoscere inclinationem sanguinis ad malum motum absq; motu,ergo neq;intellectus.sit ex.g.sanguis in hepate neq; moueatur ad renes,uel intestina,vel ad aliam aliquã corporis partem,quo pacto cognoscet quis habeat ne sanguis inclinationem magis in hanc quàm in illam partem ? quod cum ita sit, quod erit ignotum indicabit; horum itaq; ratio peccat in materia, quoniã distinguit inclinationem à motu quæ sola ratione separari potest, cum sermo sit de potentia quæ stat cum actu.

Quo uerò ad authoritates Galeni, quibus isti mouentur dicendum est Galenum 1. illo Aph.21. dum exponeret Aphorismum illum quo natura uergit, admonere Hippocratem duplicem nobis proponere scopum ,hoc est partis naturam,& inclinationem humoris, quam Græci ῥοπὴν appellãt, & propterea medico diligenter obseruandam esse naturæ inclinationem, quæ si ad loca commoda fiat, ei seruiendum est; sin minus eam prohibere, simulq; reuocare,& retrahere oportet:quibus uerbis nescio uidere qua ratione isti ducti dixerint inclinationem esse quid diuersum à motu, quomodo cognoscere poterit medicus ad commoda ne an incommoda loca uergant humores,si nondum moueantur.

Præterea nonne ῥοπὴ quæ nobis motum, propensionem,inclinationem, & impetum significat de statera, seu lance proprie dicitur ? at quomodo stateram seu lancem in hanc,uel in illam partem inclinare statuendum est, ni ad hanc,uel illam partem moueatur, hæc enim ita sunt nota, ut in his explicandis non sit diutius immorandum.

Ex his itaq; constat etiam quid respondendum sit ad authoritatem Galeni in lib. quos,& quando purgare oportet.

Ad authoritatem uerò ex lib. curatiuo per uenæ sectionem 19. dicendũ est Galenum non tantum motum,aut motus inclinationem spectasse,quam sanguinis exuberantiam,& ob id dicebat. Si quis quotannis æstiuo tempore febrilibus morbis obnoxius esse solet,in eo exundantiam ceu morborum illorum causam euacuare studemus non magis ex hac quàm ex illa parte sanguinem euacuando quemadmodum etiam in his, qui omnibus articulis laborant; at quibus non totum corpus, sed pars quædam eximia ubi prius euacuati non fuerint,infestetur non ex quauis parte licet euacuationem moliri, sed eadem ratio est obseruanda,quæ obseruatur in illis,qui iam pati cæperunt, quamobrẽ inquid podagricos ex cubito euacuato, uertiginosos uerò,& Epilepticos ex cruribus.Spectauit itaq; sanguinem redundan-

dantem, huic enim opponitur euacuatio non autem inclinationi ad malū motum; quando huic auersio potius aduersetur: euacuat autem per partē oppositam tamquam per locum magis opportunum, non enim licet in his affectibus, vel qui hos affectus pati consueuerunt, ex quauis parte sanguinē euacuare, ne ad locum qui affici solet sanguis attrahatur.

Quòd uerò dixerit Gal. 4. illo de rat. uict. 30. medicamentis attractoriis in angina collo circumpositis materiam ad superficiem esse attrahendam, non magis nostrę quàm illorum opinioni aduersatur, quoniam si non mouetur neq; inclinationem habet ad malum motum cum iam fluxa sit, quomodo remedia illa indicabit? quare dicendum est materiam illam fluxam, nondum tamen firmiter impactam, & inhærentem, ad huc nutare, & in motu esse, & propterea reuocari posse.

Reiecta itaq; opinione illorum, qui existimabant sanguinem ut mouetur ad locum incongruum nihil indicare, & authoritatibus Galeni ad uerum, & optimum sensum traductis, nunc opinio, quam probamus, & rationibus, & authoritatibus Galeni uidetur confirmanda.

Ratio autem, quæ nos mouet, ut credamus sanguinem à naturali statu recedere, qua mouetur ad locum, ad quem moueri non deberet est hæc, quoniam contraria contrariis curantur; sed dantur remedia, quæ opponuntur motui sanguinis, ergo sanguis interdum sui motu à naturali statu recedit. Minor probatur, quoniam dicebat Gal. 3. in primum prorrhet. 53. si sanguis ex altera nare fluxerit uenam humeralem eiusdem manus recto trami te nari unde sanguis abunde fluit respondentis secabis; at si ex utraq; nare fluxerit utrasq; uenas secare nihil prohibebit, non enim per eas uacuationis sed reuulsionis gratia facimus sectionem: Rursus idem Galenus 6. de tuen. 12. nonne dixit decidentibus excrementis a capite in oculos, & aures, deriuationem per partes uicinas moliendam esse, & ad nasum potissimum trahendam, sin ad nasum non sequitur, ad os ipsum.

Quid aliud præterea uoluit Gal. 11. meth. 15. cum dixerit, ubi fluxio ad locum affectum fertur, reprimere, remittereq; hanc expedit, non ad ipsum attrahere.

Quid aliud sonant uerba illa ex 13. meth. 16. reprimentia in principio inflammationis conueniunt, tum quia quod affluit parum est, tum magna ex parte tenue, tum partis, quæ recipit, uirtus nonnunquam ualentior ut pote nondum lassata, tum quod in afflicta parte continetur, nondum uiolenter impactum est.

Quid uoluit Gal. 10. per loca 2. cum dixit repellentia conueniunt in fluxione ad manus, & ad pedes, circa coxendicum uerò iuncturam, id facere non licet, ne sanguis ex uicinis, & ambientibus uasis ac musculis, ad internā partem iuncturę compellatur; quid 2. illo de rat. uict. 10.

Quid monebat idem 2. in 6. de vulg. morb. 31. ubi dicebat auxiliorum reuellentium hanc vnam esse speciem consulente Hippocrate, ut oculorū fluxiones ad fauces per acria medicamenta, cuiusmodi sunt inunctiones palati. & gargarismata retrahantur.

Multas, & Gal. & Hipp. & aliorum scriptorum authoritates ad confirmā dam

dam minorem propositionem in medium afferrem, ni ab hoc labore perspicuitas rei me reuocaret.

Et enim quis est ille, qui cum Etymologiam uocabulorum spectet, non statim intelligat curationem totam ad motum inhibendum pertinere; non ne auertere dicimus quando, id quod mouetur in unam partem in aliam partem conuertimus; reuellere uerò quando retrotrahimus quæ iam ante mouentur. Deriuare quando à uia, & riuis ad latera id quod mouetur deflectimus. Repercutere ac reprimere quando contra pugnamus cum iis quæ proxima sunt ut iam premant, feriant, & percutiant, & cum quibus iã factus est congressus cuiusmodi sunt humores iam delapsi nondum tamen firmiter impacti, qua ratione dicimus etiam hostem, & exercitum esse repri mendum; postremò intercipere quando in itinere obsidemus ac retardamus id quod mouetur, unde dicimus quoq; exercitum interceptum, & obsidione cinctum, quando uię ita clauduntur ut ulterius progredi nequeat.

Cum itaq; huiusmodi omnia remedia seu materiæ ad indicans referantur vt ad aliquam partem mouetur, ad quam moueri non deberet, non est dicendum indicari à materia ut quiescit; potestatem tamen ac propensionem habet ad mouendum quamuis non moueatur.

Statutum itaq; sit sanguinem quandoq; à naturali statu recedere ut mouetur, & quoniam oppositorum eadem est doctrina, ab eodem quoq; recedere posse dicendum est, ut quiescit: si recedit à naturali statu ut mouetur, motus ille vel erit diminutus, vel redundans, si diminutus, quemadmodũ contingit in mensium stillicidio, aut in fœminis, quæ non ita cõmodè purgantur in partu, aut in alia quauis consueta purgatione, tunc motus ille diminutus sanguinis erit adaugendus, & adiuuandus: quòd si motus ille maior fuerit quàm par sit, & iustum naturæ modum excedat, tunc motus ille inhibendus, reuocandus, & quouis modo retrahendus ut scribit Gal. 1. illo Aph. 21. sub finem, quo fit ut merito motus sanguinis ad partem ad quam moueri non deberet vnica oriatur indicatio motum illum inhibẽdi, seu ab eo loco ad quem mouetur auertendi, siue auersio illa fiat per partes oppositas, & longe remotas, siue per proximas, & laterales, siue attrahendo, siue impellendo, & reprimendo; quare non possum non mirari doctrinam illorum, qui uarias in motu sanguinis indicationes introduxerunt.

Sunt enim quidam, qui existimant reuulsoria remedia indicari à motu materiæ merito termini à quo, deriuatoria vt spectat terminum ad quem; reprimentia merito eiusdem termini, sed ea ratione, qua fit per impulsionem, intercipientia tandem vt spectat spatium per quod. hunc errorem ego quoq; aliàs sum secutus, quibus verò non placet, ut sanguis indicet ea ratione qua mouetur, aliam distinctionem excogitarunt: dixerunt itaque materiam illam, quæ non mouetur sed moueri potest, & habet inclinationem ad malum motum, vel esse proximam regioni conuenienti; uel remotam: si remota indicare auxilium reuellens, sin proxima regioni conuenienti, regio illa conueniens, uel est terminus à quo, & spatium per quod,

vel eſt pars alia,ſi fuerit terminus à quo,& ſpatium indicat auxilium repercutiens; ſi fuerit pars alia,deriuans; hæc illi.

Nos tamen neutram opinionem vndequaq; probare poſſumus,non quidem priorem quoniam ſanguis ut mouetur motu immoderato uno tantum modo peccat ut ſcilicet mouetur ad locum incongruum, & importunum, & ſic merito termini ad quem,hoc autem meo quidem iudicio facile probari poteſt. hoc modo.

Contraria contrarijs curantur; ſed omnia remedia quibus curamus ſanguinem ea ratione qua inepto,& incõgruo motu mouetur aduerſantur eidem ut mouetur ad terminum ad quem non autem à termino à quo aut per quem,ergo ſanguis ut motu peccat conſideratur tantum merito termini ad quem.

Minor probatur quoniam motum illius inhibemus,uel ad oppoſita trahendo,uel ad latera flectendo,uel repellendo,reprimendo,& exprimendo, & quocunq; modo huic motui occurrimus ſemper à loco ad quem præter naturam mouetur, & ſic a termino ad quem ſanguinem,& quamlibet aliã materiam auertimus:quid enim aliud eſt reuellere quam a termino ad quẽ id quod mouetur ad oppoſita reuocare: quid aliud eſt, deriuare quàm à riuis ad proximum locum ſeu ad latera materiam deflectere: quæ ad locũ incongruum mouebatur? quid aliud eſt repellere reprimere ,& exprimere quàm materiam,quæ ad locum ineptum accurrebat retrudere,& quæ iã delapſa eſt,nondum tamen firmiter adhæreſcens exprimere, & extrudere? dum enim materia nondum uiolenter eſt impacta, ſed adhuc nutat ueluti animus in dubio huc atq; illuc impelli facile ac moueri poteſt, quod ſignificauit nobis Gal.4.illo de rat.uict. 30. ubi dicebat adſtringentia medicamenta partibus affectis eſſe admouenda ut profluentes humores retrudant, & ex his,qui iam in parte affecta firmati ſunt,non craſſos, & glutinoſos, & ualde ac firmiter inhærentes; ſed qui ſunt tenues, & adhuc facile moueri poſſunt.

Quo uerò ad inhibitionem illam motus ſanguinis, quæ fit per illa medicamenta, quæ uim habent ut iſti dicunt intercipiendi, opponitur & illa ſanguini,ut mouetur ad terminum ad quem moueri non deberet:quoniam non alia ratione incraſſatur, & refrigeratur ſanguis,denſantur, & adſtringuntur uaſa,niſi ut remoretur ac inhibeatur ſanguis,quo minus ad locum incongruum moueatur. Quã rationẽ & modum inhibendi ſi repreſſionem quoq; uocabis aut repercuſſionem non erit graue peccatum, quoniam ijſdem medicamentis in adſtrictione ac denſatione uaſorum, & incraſſatione ſanguinis ac refrigeratione utimur,quibns in repulſione, & fortaſſe, ob hanc cauſam Gal. de intercipientibus ne verbum quidem, quando ſub repellentibus comprehendi queant,& hæc ſunt, quæ uulgo defenſiua nominari ſolent. Sed de nominibus non ſit contentio.

Vnicum itaq; uitium eſt ſanguinis quantum ad motum ſuperabundantem pertinet,ergo vnicum remedium quod pluribus modis adminiſtrari poteſt; ſeu cuius plures materiæ ſubminiſtrantur, quæ pro uarietate locorum,ſeu poſitionum ut ſignificaſſe uidetur Gal.14.meth.13.uaria,& diuerſa no-

ſa nomina ſortitæ ſunt, quemadmodum etiam contingit ubi humor aliquis excrementitius præter naturam in toto corpore redundat, hic enim cum ſui purgationem indicet, ſi per ſedem euacuabitur remedium illud deiectorium nominabitur, ſin per os uomitorium, ſi per urinam diureticum, ſi tan dē per ſudorem ſudorificum. Quare ſanguis qui mouetur ad locum impor tunum cum omnibus modis, quibus fieri poteſt debeat inhiberi, quandoq; eodem fere tempore (ni adſit aliquid quod impediat) ad oppoſita retrahimus, reprimimus, inflectimus, & omnibus modis motum illum auertimus atq; inhibemus; ſed hoc nulla ratione fieri poſſet ſi uaria eſſent indicantia, & uariæ ac inter ſe diuerſæ indicationes; non ſunt itaq; multiplicanda entia ſine neceſſitate; ſed cum uno genere remedii ſatisfacere non poſſumus, ad aliud confugimus: & enim cum reprimentia non ſufficiunt, ad deriuantia, ad reuellentia confugimus.

Quod verò in eodem fluxu ſanguinis liceat uti, & reuellentibus, & reprimentibus, & deriuantibus. experientia, & authoritate comprobatur: experientia quidem, quoniam ſi fiat inflammatio in altero crure nonne omnes practicantes à principio felici cum ſucceſſu euacuant ſanguinem ſecta uena interioris cubiti eiuſdem lateris, atq; reprimentibus utuntur, cum nihil adſit quod impediat? nonne, & alterum eius ſcarificare ſolent? unius itaq; indicantis gratia reuellimus, reprimimus, ac deriuamus, maiori tamen cum utilitate interdum reuellimus, interdum reprimimus, interdum deriuamus, quemadmodum innuere videtur Gal. 4. meth. 6. quoniam ſi fluxio iā reſtitit, & in membro inhæſit, non tamen violenter impacta ſit, deriuare per uicina magis expedit, cum translatio in propinquiora promptior ſit quàm in remota. Gal. quoq; 5. meth. 3. admonebat quod per ſedem profluit, id nos per vuluam deriuare, & per partem ſuperiorem reuellere poſſe.

Rurſus in lib. de curand. rat. per uenæ ſect. in fluxionibus incipientibus reuulſiones conuenire dicebat, in iiſdem 13. meth. 16. reprimentia proponebat. Quare, & experientia, & authoritate ſatis comprobatum eſt ratione vnius indicantis nos reuellere, deriuare, ac reprimere poſſe.

Sed propter iuniores hoc idem exemplo ſatis accommodato illuſtrabimus à re militari deſumpto, cum qua methodus medendi maximam affinitatem habere uidetur. Rex Hiſpaniæ ex. g. Mediolani conſcribat milites alicuius expeditionis gratia, populi finitimi cum hoc intelligant, mouebunt ne arma aduerſus Regem anteq̄; exercitus Mediolano recedens in agrum huius uel illius populi ingrediatur, eundemq; depopuletur? nequaquam: hoc enim eſſet temere pugnare, & ueluti Crabrones irritare: hoc idē de ſanguine qui propenſionem habeat ad motum, nondum tamen mouea tur dicendum eſt, quare opinio illorum, qui dicunt ſanguinem non ut mo uetur, ſed propenſionem habet ad motum, ſui auerſionem indicare, omnino abſurda eſſe uidetur. At demus exercitum in agrum Brixienſem, ue Bergomenſem irrumpere, iamq; depredari, euertere, ſimulq; omnia miſce re, tunc Senatus Venetus ut ſe ſuaq; tueatur quibuſcunq; modis poteſt, ope ram dare debet, ut impetum illius exercitus cohibeat, reprimat, ac aliò re-

uocet;

nocet; quare si fieri poterit uno,& eodem tempore Mediolanum obsidione cinget,& in eo tumultum excitabit,ut exercitus eò reuocetur, ac reuellatur,unde prius recesserat; mouebitq;partem exercitus Cremonam uersus ut eò inimicus exercitus deriuetur, immo eodem tempore acriter cum hostili exercitu pugnabit ut si fieri potest repellatur; at quęcunq; de hostili exercitu dicta sunt, eadem prorsus de sanguine ad loca incongrua confluẽte sunt dicenda. Quibus rationibus, authoritatibus,& exemplis rem adeo claram esse arbitror,ut non sit amplius dubitandum; ualeant itaq; opiniones illorum, qui quamplurima indicantia, & indicata sine necessitate introduxere.

Et quoniam omnes illæ rationes,quibus prior opinio infringitur, & labefactatur, eisdem,& posterior facile infirmari,& euerti potest, ob id libenter ad hoc labore supersedeo,siquidem in manifestis non est tempus conterendum.

At dicet quis hoc scire est nihil scire, cum uirtute methodi non eò ductus sim,ut instrumenta,quibus motum seu fluxum hunc compescam,inuenire liceat:& enim quamuis notum sit fluxum illum esse inhibendum, retardandum,& aliò conuertendum, nihilominus quis est ille, qui ex hac cognitione protinus ad instrumenta descendat?quare ad causas motus,& fluxus confugiendum est, quibus cognitis non erit difficile instrumenta opportuna,& accommodata inuenire. Corpus itaq; fluxile ut per ductus, & vias facile feratur,necesse est,ut sit tenuis substantiæ, & propterea calidum potius quàm frigidum,& uiæ seu ductus pateant; ut uerò cum impetu feratur,uel impelli,uel attrahi debet,& nihil sibi aduersari, sed quocunq; mouetur omnia cedere ac obtemperare,quo cum cœperit fluere assiduus ille motus,& inclinatio plurimum adiuuabit,ut ex. g.si sanguis à partibus superioribus ad crura præter naturam confluere debet, quemadmodum quandoq; in inflammationibus contingere solet, ut sit tenuis substantia necesse est, quoniam succi crassiores in uenarum veluti marsupijs potius infarciũtur,& obstructiones pariunt; sed præter tenuitatem latitudo quoq; uenarũ desideratur,quoniam si uasa fuerint angustiora,& adstricta fluere sanguinẽ non permittent,& quia sanguis per se non mouetur magis in hanc quàm in illam partem, sed imperio naturæ paret; ob id ab extrinseco motore ut moueatur,oportet;hic autem,uel impellit vt diximus, uel attrahit,quod impellit est facultas expultrix ab acrimonia sanguinis irritata; quod verò attrahit est motus eiusdem naturæ uiolentus ob aliquam, uel caliditatem, uel dolorem, ut scribit Gal.13.meth.6. dum enim quod nocet expellere contendit,necessariò fit agitatio,in quo motu sanguis, & spiritus tanquam instrumenta eò accurrunt; ut uerò sanguis non repellatur, pars quæ recipit imbecillis esse debet,ne motui repugnet, & motus motu illo continuo magis impetuosus atq; difficilior ad cohibendum euadat.

Hæ itaq; sunt causæ tum positiuæ tum priuatiuæ huiusce motus, quibus cognitis non erit difficile unicuiq; instrumenta illa perquirere,quibus motum hunc inhibere possit. Si quidem cum intelligat tenuitatem sanguinis, & illius acrimoniam & caliditatẽ ad eiusdem motum plurimum conferre, statim

ſtatim aditus patebit ad materias perquirendas, quæ uim habeant ſanguinem incraſſandi, ac refrigerandi, & acrimoniam illam retundendi, quibus, & intrinſecus, & extrinſecus uti debebit: ſtudebit præterea quantum fieri poteſt, ut uiæ occludantur, & propterea, ut craſſiores, ſeu denſiores fiant, id quod cum fiat à frigore, ob id materias refrigerantes, & adſtringentes ſibi parabit, atque dolorem, ſi quis aderit, ſedabit, & pars, quæ ſuſcipit roborabitur: quibus omnibus ni cedat, ſed inclinatio illa ſanguinis, & asſiduus ille motus, & conſuetudo urgeat, ad retrahentia, & deriuantia erit confugiendum: at retrahitur ſanguis, uel deriuatur, quando uiolentia quadam attrahitur; ui autem attrahunt ſanguinem, quęcunque dolorem inferre ſolent, cuiuſmodi ſunt aſperæ frictiones, ligaturæ, rubificantia, ueſicam, ſeu bullam inducentia, ut propterea dixerit Hippocrat. 2. in 6. de vulg. morb. 9. dolorem à dolore ſedari, omnium autem maior eſt uiolentia illa, quæ à uacuo deſumitur, quoniam dum euacuatur ſanguis, ne detur uacuum, neceſſario ſanguis in eam partem conuerti debet ex qua mittitur ſanguis: & propterea in uehementisſimis fluxibus hoc remedium maxime omnium laudabat Galen. in lib. de ſectione venæ aduerſus Eraſiſt. 8.

Ex his ſatis conſtat materiam, vt mouetur ad locum incongruum, ſui auerſionem indicare, cuius materiæ ſunt multæ nempe reuulſio, deriuatio, repreſſio, interceptio, & quæ ſunt huius generis, & ab effectu tales denominantur: nam etſi motus ad oppoſita opponatur motui oppoſito, & ſic ad latera, nihilominus quia non poſſumus reuellere, deriuare, ſeu materiam mouere, niſi, vel euacuatione, vel calore, vel dolore id fiat, neque euacuatio fieri poteſt, niſi fiat venarum ſectio, & calor non excitatur, niſi materijs, quæ vim habent calefaciendi; & ſic dolor non excitatur, niſi à cauſis dolorificis, hinc fit cum ab huiuſmodi omnibus materijs reuellatur, ac deriuetur ſanguis, vt omnes huiuſmodi materiæ reuellentes, aut deriuantes dicantur: idem dicendum de reprimentibus, & intercipientibus, ſi quidem Galen. rem ad viuum non ita reſecauit: ſed hæc propter curioſos, & nimis diligentes.

Cum itaque motus ſanguinis inhibeatur auerſione, quæ fit, vel reuulſione, vel deriuatione, vel repreſſione, & reuulſio fiat ad contraria, deriuatio ad latera, repreſſio ad ſpatium; oppoſitionum differentiæ ſunt nobis conſiderandæ, quoniam, vel fiunt ſecundum longitudinem, vt ſupra, & infra, vel latitudinem, vt hinc inde, hoc eſt à dextris, vel ſiniſtris, uel altitudinem, ut ante retro: intus foras: in quibus omnibus rectitudo ſemper eſt obſeruanda: id quod vt unuſquiſque mediocris etiam ingenij cognoſcere poſſit, non graue fuit exemplis quamplurimis rem totam in gratiam ſtudioſæ iuuentutis illuſtrare.

Eſto itaque ex. g. dolor ex aliqua inflammatione excitatus in parte capitis poſteriori: ſanguis ſui quantitate peccabit, & ſi non ſimpliciter, ſaltem ſecundum quid merito partis affectæ, ut ſupra diximus: peccabit etiam motu eo, quia mouetur ad locum, ad quem moueri

N non

non deberet, quare merito quantitatis oritur indicatio euacuandi, merito motus reuellendi, deriuandi, & repellendi; hic duplex sese offert oppositio per longitudinem scilicet, & altitudinem: at quæ per longitudinem adhuc duplex est, aut proxima, aut remota, proxima uelut illa, quæ fit à capite ad manus, remota, ut illa, quæ fit à capite ad pedes; si distantiam spectemus in reuulsione, ut nonnulli existimarunt, non ex cubito, sed ex pede sanguis euacuabitur; at si uenarum κοινονιάν hoc est societatem, seu affinitatem ex cubito, quod est perpetuo obseruandum, alioquin nullum aut nimis tardum auxilium subsequitur, id quod confirmasse uidetur Gal. 1.in 6.de vulg.morb.6.cum diceret membra supra iecur cubiti uenæ sectionem postulant; infra verò crurum, vbi venæ poplitis sunt cædendæ, aut omnino saltem iuxta malleolos. Nec obstat quod scribit Hipp. 5. in 6. de vulg. morb. 21. quoniam sententia illa reprobatur à Galeno, & ab omnibus practicantibus, quare neque Hipp. est iudicanda.

Neque ab hac sententia nos auocare debent, quæ scribit Gal. 2. per loca 2. vbi admonet si ob debilitatem capitis vapores, & humores suscipiantur in totum corpus esse reuellendos, quo loco laudat, & clysteres, & ligaturas extremitatum, & partium infernarum quamplurimas confrictiones, quoniam aliud est loqui de uaporibus, & humoribus excrementitijs, aliud de sanguine; aliud de auxilio celeri, aliud de tardo, & propterea suadebat ibi Gal. interdum etiam fieri posse reuulsionem ex detractione sanguinis ex cubito, & si sanguis adhuc redundat, etiam ex naribus: quare si longitudinem spectemus in affectibus capitis posterioris uena cubiti humeraria secabitur: quòd si hęc nō fuerit conspicua, quæ inde ab ipsa ad flexum porrigitur, rursus si hęc non apparet, communis: quarto loco quę iuxta arterias procedit, quinto, quæ cubitum adit, & axillaris, ac interna nominatur; quòd si altitudinem uena frontis inter supercilia posita secabitur: etsi euacuatio per reuulsionem non sufficit, secta vena narium per deriuationem sanguis euacuabitur.

Quòd si confluat sanguis ad oculos eodem modo uena cubiti humeraria seccabitur, deinde cucurbitis in occipite scarificatis detrahetur sanguis, 3. loco ex naribus si opus fuerit, vel ex uasis, quæ ad angulos exteriores oculorum porriguntur, & hirudine potius quàm uenæ sectione, ne forte ob nimiam profunditatem fistulæ subsequantur, quod idem obseruandum erit si sanguinem ex venis ad extremas aures positis mittere volueris.

Verum si caput fuerit debile, ut sublatum sanguinem suscipiat itidem 1. vena cubiti humeraria reuulsionis gratia, mox narium gratia deriuationis secabitur, ut docuit Gal. 5. aph. 68. & 2. per loca 2. nec non 5. in 6. de vulg. morb. 9. & 13. meth. 11.

Idem quoque fieri poterit in casu ex sublimi facto, si dolor excitabitur, quoniam sæpe fit, vt partes quædam circa cerebrum, aut membranas abrumpantur, ac diuellantur.

Eadem quoque ratio erit seruanda, si fuerit in auribus inflammatio, aut dolor insignis, quoniam primo oppositio per longitudinem, deinde per latitudinem obseruabitur.

At si

At ſi qua circa fauces, palatum, linguam, columellam, tonſillas, aut denique in ore contingat inflammatio, vel per longitudinem, vel altitudinē, vel utroque modo licet reuellere: quare & vena cubiti humeraria primo ſecabitur, deinde cucurbitulæ collo, ac mento ſcarificatæ ſunt affigendæ, ꝙ ſi non cedit, ſed augeatur potius, uenæ ſub lingua deriuationis gratia ſecantur, aut iuxta oculorum angulos, nec non, quæ obſeruantur in fronte, vt monuit Gal. 6. per loca 3. nec non 13. metho. 11. quando ſub his affectibus angina quoque contineatur.

In capitis quoque dolore ſi affectio perſeuerat, vbi ſuſpicio eſt ſanguinis redundantiæ, venæ ſectio conuenit in naſo, in fronte, nec non cucurbitæ ad occiput affixę ſi obſeruabimus humores ad oculos, vel ad anteriorē capitis partem moueri: quemadmodum docuit Gal. 2. per loca 2. atque, vt uno verbo dicam vbi partes ſupra clauiculas laborabunt ſiue in collo, ſiue in capite exiſtant affectiones, vena humeraria eſt ſecanda, ſic enim magis, & uelocius euacuat; ubi verò partes infra clauiculas hoc eſt thoracis laborabunt, atque magis, quæ in ſublimi ſitæ ac præſertim in hominibus ipſis axillaria uena erit magis opportuna, ut monuit Gale. 3. de anat. adm. 6. & 2. de uict. 10. quo in loco admonebat in inflammatione partis ſuperioris membranę ſuccingentis coſtas uenam axillarem eſſe ſecandam, in inflammatione uerò partis inferioris purgationem magis conuenire.

Quòd ſi pectus, cor, pulmones, ventriculus, & iecur ſic afficiantur, ut ſanguinem mittere ſit opus, tunc interna uena ſecabitur iuxta illud Galeni 1. in 6. de vulg. morb. 6. & 13. meth. 11. cum ait membra ſupra iecur cubiti uenæ ſectionem poſtulant, infra uerò crurum, ubi uenæ poplitis, aut malleolorum ſunt aperiendæ, renibus itaque ueſica, pudendo, utero, & coxendice ſic habentibus eas, quæ in cruribus ſunt ſitæ, ac potiſſimum, quæ circa poplitē ſunt; ſin minus eas, quę iuxta malleolos: ac perpetuo quidem in omnibus eam, quæ è directo eſt ſecabis, eodem modo ſi in manibus phlegmone ſuborta eſt crura, ſin in cruribus manus uincire oportebit; uel ſi latitudinem ſpectabis altero crure, uel manu laborante alterum crus, uel alteram manum ſecabis, uel ſcarificabis: ad quæ exempla ſi medicus aduertet animum in loco deligendo nunquam aberrabit.

De indicatione, quæ ſumitur à ſanguine, vt quiete, & qualitate peccat. Cap. LXIII.

HActenus locuti ſumus de ſanguine, ut forma, quantitate, & motu peccat, nunc ſupereſt, ut loquamur de eodem, ut & quiete, & qualitate à naturali ſtatu recedit: quieſcit namque ſanguis qui ſecundum naturā mouebatur, quoties ſupprimuntur menſes, aut hemorroides, aut euacuatio aliqua conſueta deſierit, quare indicat, ut motus prouocetur, uerum cum huiuſce remedij materiæ non reperiantur, ob id ad cauſas iſtius quietis confugiendum eſt, quæ cum cauſis fluxus immoderati opponantur, non erit difficile eas inuenire: etenim ſicut cauſa fluxus erat tenuitas, caliditas, & acri-

monia ſanguinis, ſic quietis cauſa erit craſſities, frigiditas, & ueluti quædam dulcedo, quare ad ea, quæ uim habent calefaciendi, & attenuandi confugiendum erit, & ſicut merito uaſorum latitudo fouebat fluxum, hic exiſtimandum eſt anguſtiam motum tunc impedire, quæ cum à multiplici cauſa prodire poſſit, ut dictum eſt, ubi de differentijs morborum, & cauſarum locuti fuimus, cauſæ illæ per ſui contraria ſunt depellendæ, & ſicut inclinatio illa ſanguinis, & motus aſſiduus ad fluxum conferebat, ſic quies illa diuturna ſanguinem ueluti torpidum, & ineptum ad motum reddit, quare ad ea, quæ uim habent attrahendi confugere oportet: at ui attrahunt ſanguinem, ut ſupra diximus quæcunque calida ſunt, ac dolorem inferre ſolent, huius generis ſunt aſperæ frictiones, ligaturæ, & quæcunque ſunt huius generis, de quibus ſupra diximus, omnium tamen maior, ut ſtatuimus, eſt uiolentia illa, quæ fit, ne detur uacuum, & ſicut motus aſſiduus fluxum fouebat, ſic euacuatio ſanguinis ex pedibus plurimum proderit ad quietem illam perturbandam, ad motum irritandum, & prouocandum, & ob hanc cauſam laudabat Galen. ut ſingulis menſibus aduentante purgationum tempore uena tali, uel malleolorum, uel poplitis aperiretur, uel malleoli ſcarificarentur. Concludendum eſt itaque ſanguinem, uel non moueri, uel non ritè moueri, ſi non ritè, uel deprauatè mouetur, ueluti cum mouetur eo tempore, quo moueri non deberet, uel eo quo non oporteret, uel diminutè, ut in ſtillicidio menſium accidere ſolet, uel pluſquam oporteret, ut in eorundem profluuio.

Quo uerò ad qualitatem attinet, ſanguis interdum fit, uel calidior, uel frigidior, uel humidior, uel ſiccior, prout ſanguis optimus, uel biliosior, uel pituitoſior, uel ſeroſior, & aquoſior, uel magis melancholicus redditur, ut ſcribit Galen. 1. de ſanit. tuen. 9. & in 3. de alim. fac. 28. & in lib. de attenuante uictus rat. 12. quare oritur indicatio, uel calefaciendi, uel humectandi, uel exſiccandi, uel coniunctim qualitates illas caſtigandi, & quoniam ſecundę qualitates primas conſequuntur, ob id qui craſſus, & uiſcidus erit attenuabitur, ac detergetur, qui uerò tenuior incraſſabitur. Et hęc de materia alimentali dicta ſunt, ut à naturali ſtatu recedit, & uim cauſæ morbificæ ſubit.

De indicatione, quæ ſumitur ab excrementis primæ concoctionis. Cap. LXIIII.

SVpereſt, ut de materia excrementitia loquamur, quæ & ipſa, uel eſt uaporoſa, & fumoſa, uel humoroſa, ſeu aquoſa, & limoſa ex Galen. 9. de uſup. 1. hæc autem quęcunque ſit, uel in prima, uel in ſecunda, uel in tertia concoctione ſe prodit, ac ueluti generatur; In prima quidem tria obſeruantur excrementorum genera, ſi uerum eſt excrementum, ſeu ſuperfluum illud omne nuncupari, quod in nutrimentum non abit tanquam uitioſum: at cum in uentriculo poſt perfectam, & elaboratam illius concoctionem, præter optimum chilum, & perfectè concoctum, tria excre-

mentorum genera ſuperabundent omnia quidem naturalia ſi ſtatum naturalem ſeruent, ob id tria in eo genera fieri dicendum eſt: quorum duo ciborum excrumenta merito dici poſſunt: aliud uerò ad ventriculi corpus pertinet. Ciborum excrementa feces, & ſeroſitatem ſtatuere oportet, ſiquidem prius fit rudis quædam ſecretio, in qua feces tanquam excrementum craſſum ſegregatur à cibo, & à ventriculo ad ieiunum, & à ieiuno ad tenue inteſtinum virtute ſolius facultatis naturalis protrudi-tur ex Gal. 6. de lo. aff. 4. atque inde virtute peritonei, & ſepti tranſuerſi veluti à duabus manibus ſuperne vnitis conſtrictum exprimitur, & plu-rimum adiuuante facultate naturali expultrice foras propellitur, vt no-bis ſignificauit Gal. 4. de vſup. 9. & 6. de lo. aff. 4.

Segregatur à cibo, & alterum excrementum tenuius quod ſeroſum appellatur, non enim ex ventriculo in venas commodè tranſumi pote-terat chimus iam ex cibis factus, neque facile pertranſire venas, quæ ſunt in hepate, & multæ & anguſtæ niſi tenuis quædam, & aquoſa humiditas tanquam vehiculum quod ὀχηματροφῆς appellat Hippoc. fuiſſet admixta, quem vſum præſtat animalibus aqua, ſiquidem ex ea nulla particula nu-triri poteſt; hæc autem ſuperfluitas officio ſuo perfuncta cum iam venis onus futurum eſſet, renes ex vtraque parte cauæ uenæ poſiti ſunt, ut ab hoc humore ſanguis expurgaretur, ut ſolus purus per totum corpus per-mearet pauco omnino ipſi admixto aquoſo humore, cum non egeat am-plius ſane multo hoc uehiculo, cum illinc per amplas uias eſſet laturus, & iam fluxibilior redditus propter tum hepatis tum cordis caliditatem.

Tertium excrementum vocabat Gal. 3. de ſymp. cauſis 2. cibum ſemico-ctum, quod cum nulla ratione exornari poſſit, & in optimum alimen-tum commutari vel ex praua cibi natura, vel ex uentriculi inteſtinorum-que imbecillitate ad iecur & inteſtina deportatur, hoc excrementũ Gal. 5. de vſup. 4. pituitoſum nominauit, cum diceret ſe alibi comprobaſſe pi-tuitoſi excrementi neceſſariam eſſe in ventriculo generationem quamuis excrementum illud propriè pituita nominari non poſſit; ſed nomen illud ſortitum ſit eo: quia refert pituitæ qualitates, cum illud album, frigidum, & lentum obſeruetur, & propterea exanguem membranoſamque uentri-culi & inteſtinorum ſubſtantiam redolens.

Hæc omnia excrementa ſi cõſiderantur, vt ſunt opera, & effectus actio-nis, uel naturalis, vel præter naturam, vim habent ſignorum, & à metho-do curatiua excluduntur; at ſi conſiderentur non, ut opera, & effectus; ſed vt, vel ſymptomata, uel morbos efficere ualent, ab his indicationes præſeruatiuæ deſumi poſſunt.

Quare ſi ſermo ſit de fecibus hæ cauſæ inſalubres fieri poſſunt, ſi uel quantitate, uel qualitate, uel motu à naturali ſtatu recedant, uel altero modo, uel omnibus modis.

Si qualitatem ſpectemus, ut in ijs, quæললbilioſæ ſunt, uel atrabilares, & propterea uim habent abradendi atque dyſenterias, ſeu inteſtinorum excoriationes ſui acrimonia excitare ſolent, hæ nedum ſui euacuationem uerum etiam refrigerationem deſiderant, quare nedum clyſteria facul-

tatem hanc habentia conueniunt, uerum etiam ſerum caprinum, & alia huiuſmodi medicamenta per os exhibita plurimum conferre poſſunt.

Quod ſi earundem duritiem, & præter duritiem copiam, & immobilitatem contemplemur obſtructionem inteſtinorum tenuium interdũ faciũt, vnde, uel repentina ſuccedit ſuffocatio, uel voluulus, & ſic motus importunus, ut recte monuit Gal. 3. de ſymp. cauſis 2. & 6. aph. 44. quare ſui emollitionem, & euacuationem indicabunt, & motus inhibitionem: merito itaq; duritiei clyſteria emollientia, & pinguia erunt accommodata, ut uerò euacuentur ad excitandam facultatem expultricem acria erunt opportuna, quibus fieri poterit fortaſſe ut feces, quæ ad locum importunum mouebantur deorſum reuocentur, & ſic motus ineptus ille reuocetur ac retrahatur, feces itaq; interdum uim habere poſſunt cauſæ morboſæ.

Quòd ſi ſeroſitatem illam ſpectemus totidem modis, & illa peccare poteſt, ſi quidem, uel frigidior quàm par ſit fieri poteſt, ut in his obſeruare licet, qui gelidam immodicè bibunt; uel calidior, vt in his, qui cibis putreſcentibus aut praua, & venefica qualitate affectis abettuntur, quare aut virtus uentriculi alteratrix labefactatur, aut expultrix irritatur, aut retentrix laxior reddita leuitatem inteſtinorum inducit, quare nunc calefacientibus, nunc refrigerantibus, & exſiccantibus nec non adſtringentibus erit occurrendum.

Quòd ſi quantitate peccabit, periculum erit ne hydrops aſcites ſubſequatur, quemadmodum contingit illis, qui cum longo labore ſudauerint, & iam corpus totum exæſtuauerit largam gelidæ potionem hauſerint, ſi quidem fieri poteſt, ut hepar, & alia uiſcera interiora propter calorem iam exſiccata humiditatem illam, & frigiditatem nedum ſuſcipiant, uerum etiã oblectationis gratia trahant, & amplexentur, ui quorum calor innatus cum obruatur, ac ueluti ſuffocetur, uaſa illa omnia laxiora redduntur, unde ſeroſitatis, quæ alioquin ad ueſicam per renes deferebatur, pars aliqua in ab domminus capacitatem transfundatur, quo tempore nedum potum, & humiditatem circumſcribimus, uerum etiam ſeroſitatem iam collectam omnibus modis euacuare ſtudemus: & quoniam eodem tempore motu quoq; a naturali ſtatu recedit, quando eò mouetur, quò moueri non deberet, ob id procuramus ut diureticis deriuetur.

At ſi cruditates illas ſpectemus, quæ ulteriorem coctionem deſiderant ſi fuerint copioſæ diætam præſcribemus, qualitatem, & quantitatem ciborum immutabimus, ut cibus ille ſemicoctus perfectam concoctionem conſequi ualeat; quòd ſi maior fuerit copia, quàm ut exornari poſſit, euacuationem inſtituemus, ne obſtructiones inducat, ſenſim enim auctæ ui caloris quandoq; ita craſſeſcunt ac veluti lapideſcunt, ut difficilium morborũ cauſæ exiſtant, immo a nonnullis obſeruatum eſt, quandoq; veluti ſolidum quoddam corpus clyſteris beneficio excretum fuiſſe: quare merito duritiei emollientibus, merito quantitatis euacuantibus erit agendum.

De Indicationibus, quę capiuntur ab excrementis ſecundæ concoctionis. Cap. LXV.

QVòd ſi excrementa ſecundæ concoctionis ſpectare uolueris, tot numero videntur ſtatuenda quot in prima: ſiquidem duo ſecernuntur excrementa, quorum alterum craſſum ad lien tranſmittitur, qui melancholicus humor nominatur; alterum tenue per ueſicam felleam expurgatur, & bilis flaua dicitur, tertium uerò nihil aliud erit quàm cuiusq; humoris ſeroſitas, quod uero ſerum cuiuſq; humoris ſit excrementum docuit Gal. 2. de fac. natural. ultimo, & 2. in 6. de uulg. morb. 37. quod uerò ſit ſecundæ concoctionis per inductionem ſic probari licet, non eſt primæ, nec tertiæ, ergo ſecundæ, antecedens manifeſtum eſt, quoniam in prima concoctione generatur ſeroſitas illa, quæ chilum ad iecur deuehit, deinde ad ueſicam per renes percolatur præter exiguam quandam portionem, quæ permixta cum ſanguine uenas ingreditur; ſed hæc portio non dicitur ſerum magis huius quàm illius ſucci, quare ſeroſitas humorum ab hac eſt diuerſa: non generatur itaq; in prima concoctione, nec in tertia, ut unicuiq; notum eſt, ergo in ſecunda, qua functa ſuo munere partim per inſenſibilē perſpirationem excernitur, partim ad iecur retrocedit, & inde per renes expurgatur, ut urina ſit excrementum nedum primæ, uerum etiam ſecundæ concoctionis, & cum hac ſecunda concoctione licet etiam enumerare exornationem illam, quam ſuſcipit ſanguis in uenis: ſed hæc obiter dicta ſunt.

Cum itaq; triplicia ſint excrementa ſecundæ concoctionis ut refert Gal. 3. de ſymp. cauſis. 2. quæ operam medicam quandoq; deſiderant, nempe flauabilis, humor melancholicus, & ſeroſitas, ſiue cuiuslibet humoris ſuccus ichoroſus: ſi ſermo ſit de flauabile, cum & ipſa tripliciter à naturali ſtatu recedere poſſit qualitate, quantitate, & motu, ſi qualitate recedat ita tamē ut ſpeciem non mutet, tunc acrior, & mordacior redditur, quo fit ut ſi ad inteſtina tranſmittatur lyenterias excitet, ſin ad cutim lichenas, fauos, herpetes, Eryſipelata, & alia huiuſmodi morborum genera pariat, ut medicus coactus ſit medicamētis refrigerantibus illius humoris acredinē, & mordacitatem retundere, & iecinoris feruorem extinguere.

Quòd ſi adeo accendatur, ut putreſcat, tunc procurandum eſt, ut quod putridū eſt eradicetur, & quod parum abeſt, quin propter caliditatē putreſcat refrigerantibus medicamentis corrigatur: ſi quantitate peccabit, euacuetur, ſi craſſior fuerit quā par ſit, attenuabitur, ſin tenuior incraſſabitur, poſtremo ſi eò moueatur, quò moueri non deberet, queinadmom cōtingit cum ad os uentriculi mouetur, & cardialgiam, ſeu cardiacam paſſionē excitat, aut ad totius corporis ambitum, & icteritiam affectionē parit, tunc motus hic erit inhibendus, quod facile ſuccedet, ſi cauſas, quæ motum naturalem perturbant ſubmouebimus: ut autem bilis ad os uentriculi moueatur, cauſa interdum erit inedia, vt in picrocholis obſeruare licet, interdum obſtructio pori fellei cuius cauſa fit ut bilis per uenas ad ambitum totius trāſmittatur, & præſertim ſi meatus ille, qui ad ieiunum inteſtinum porrigitur

fuerit occlusus,quo tempore feces albidiores, & ueluti gypseæ conspiciuntur:quare interdum cibis medicatis motus ille cohibebitur, interdū medicamentis attenuantibus, & aperientibus recludentur, ut sublatis impedimentis motus ille omnino præter naturam tollatur.

At si ea contingat bilis flauæ alteratio, ut aliud nomen assumat, quemadmodum cum eadem tenui, & aquosæ substantiæ, aut tenuiori parti sanguinis admiscetur, quoniam ex admixtione illa dicitur, uel pallida, ue rubra, ex spissitudine uerò uitellina, ut notauit Gal. 5. in 6. de uulg. morb. 14. & 10. simp. cap. de felle, & in li. de atra bile 2. 3. de rat. uict. 2. ubi uoluit hęc tria bilis genera in uasis generari, cum iisdem modis quibus diximus à naturali statu recedere possit, & eosdem morbos procreare, tunc, & eadem remedia, ut administrentur procurabis.

Quòd si ea fiat alteratio, ut non solum nomen, uerumetiam speciem cōmutet, & fiat omnino præter naturam, tunc fit, uel porracea, seu prassina, æruginosa, & cærulea, seu Isatodis glasti colorem referens: quæ gignuntur interdum in uenis, & in iecinore ob grauissimos, & uehementissimos morbos, qui ob insignem calorem bilē uitellinam exurunt, & in hęc genera permutant perniciosa quidem, & lethalia, plerunq; tamen generantur in uentriculo, ubi cibaria quędam uitiosa, & praui succi, cuiusmodi sunt allium, porrum, cæpa, nasturtium, selinum, sinapi, dracunculus, & præsertim eorū folia nequeunt à uentriculo ita permutari, ut in chilum conuertantur, sed colorem suum magna ex parte retinent, & primum ex illis fit porracea, quæ ob illius moram, & uentris incendium in ęruginosam commutatur, & hæc demum in eam interdum, quæ cæruleū, seu glasti colorem refert, omnium pessimam: quæ quidem bilis genera cum omnino sint præter naturam semper sui ablationem indicant, & si ad locum nobiliorem moueantur, sui auersionem ad locum minus nobilem postulant.

His succedit excrementum illud crassum, quod humor, seu succus melancholicus nominatur, qui nō omnino inutilis est, sed benignus, & naturalis dummodo à naturali statu non recedat, quòd si quantitate, aut qualitate, aut motu peccabit illius uitia per sui contraria erunt corrigenda; quòd si ui caloris putrescat aduratur, & ueluti in cinerē conuertatur tunc fit atrabilis, quæ omnino præter naturam existit, & ab humore melancholico differt, ut fex usta ab non usta: diximus autem ueluti in cinerem commutari, quoniam non ita exuruntur humores in corpore, ut omni liquore prorsus exuantur; sed per commutationem in cinerem, summam, quam possunt in corpore consequi siccitatē significamus: hæc aūt nedū ex adustione humoris melancholici generatur, uerumēt exustione pituitę salsę, & bilis cęruleę, quę adeo perniciosa, & maligna deprehēditur, ut in terrā impacta hanc adurat, & æstu quodā iactet, & excutiat, quare mirum non est si parti corporis affixa, & adhærescens eam corrodit, & exulcerat. Cum itaque sit omnino prętér naturam, quocunque modo peccet semper est eradicanda, & si mouetur ad locum nobilem ad ignobilem est deriuanda.

Præter hæc sunt humores ichorosi, qui & si naturales existant, quandoque copia, quandoque qualitate, quandoque motu, interdum duobus interdum

terdũ omnibus modis,ut in diabete, peccare poſſunt: quare perpetuo per contraria occurrendum eſt;quòd ſi quandoque putreſcunt veluti contingit aliquando in febribus tunc penitus ſunt elidendi.

De Indicationibus excrementorum tertiæ concoctionis. Cap. LXVI.

POſtremo ſi excrementa tertiæ concoctionis contemplemur, hic tria quoque genera obſeruare licebit, nempe craſſum, tenuiſſimum, & medio modo ſe habens; craſſum quidem non in qualibet corporis parte eodem nomine uocatur, ſi quidem quod generatur in ore, uel potius in glandulis ipſis ſalíualis humiditas nominatur, quod uerò in pectore exornationem ſuſcipit, ſiue inibi generetur, ſiue à capite ad pectus detrudatur, atque tuſſi per os excernatur, ſputum conſueuit appellari: quod in capite per nares excernitur, mucus, & impropriè pituita: quod per aures ſordes, quemadmodum etiam quod in reliquis corporis partibus ad cutem detruditur, cutique adhæreſcens inhęret: tenuiſſimum verò illud dicitur, quod per inſenſibilem perſpirationem euacuatur, & uapor, ſeu halitus dicitur; Tertium eſt ſudor, ſi quidem, vt diximus ſeroſitas illa tum primæ, tum ſecundæ concoctionis vbi munere ſuo perfuncta fuerit partim extra corpus per ſudorem excernitur, partim ad iecur retrocedens ad renes, & ueſicam tranſmittitur.

De pituita ſalſa, & acida non loquor, quemadmodum, nec de uitrea, & gypſea; quoniam ſalſa fit ex ſanguine pituitoſo putreſcente, acida ex eodem ubi exiguus eius calor fuerit debilitatus, ac diſsipatus; vitrea cum mucus tantam fuerit adeptus craſsitiem, ut in partibus concluſus poſsit adhæreſcere: tandem gypſea prodit cum tenuis ille mucus, & aqueus, qui à capite ad articulos, ad pulmones, ad renes, & ueſicam detruſus concreuerit, & lapidoſam, ſeu gypſeam ſubſtantiam acquiſierit, unde tophi, & calculi prodiere: hæc omnia excrementa cum omnino ſint præter naturam opportunis medicamentis ſunt extirpanda; quæ omnia unicuique patebunt, qui mediocriter in hac methodo fuerit uerſatus, ne in iiſdem ſæpius repetendis inepti videamur, & lectorem nimis rudem conſtituamus: & hæc de materia excrementitia humoroſa dicta ſint.

De Indicationibus quæ capiuntur à materia uaporoſa. Cap. LXVII.

AT ſubſtantia humoroſa cum ſit ueluti fomes, & minera fumoſæ, ob id materia fumoſa, ſeu uaporoſa, & halituoſa naturam ſui fomitis redolere debet, à quo non excludo partes ſolidas, & carnoſas dum putreſcunt, nam & ſi perpetuo à materia humoroſa excitentur vapores, quandoque tamen dum humiditas ex partibus ſolidis effluit, & in hali-

tus

tus conuertatur, eadem ſolida in aeream ſubſtantiam, & uaporoſam commutari uidentur. Hic autẽ uapor quicunque ſit, & qualitate, & quantitate, & motu peccare poteſt: & ſi qualitate, & ſubſtantiali, & elementari id quod de cæteris omnibus audiendum eſt, ſi elementari & prima, & ſecunda, ut interdum, & alexiterijs, & alexipharmacis, & calidis, & ſiccis, & propterea attenuantibus, & diſcutientibus ſit agendum. Euacuantia uerò laxantia, mollientia, & loco mouentia, quandoque ſi non per ſe ſaltem per accidens adminiſtrare debemus.

Sed occurrit difficultas de uaporoſis, & humoroſis excrementis, quæ oritur ex doctrina cuiuſdam uiri clariſsimi. Siquidem dicebat ille uaporoſam materiam ſui copia peccantem per inſenſibiles meatus ſui euacuationem deſiderare, humoroſam uerò per ſenſibiles: quam ſententiam nonnulli, nec ineptè reprobaſſent, ſi vir ille clariſsimus exiſtimaſſet vaporoſam materiam per ſolos inſenſibiles meatus euacuari debere, uerum quia hoc de uiro clariſsimo affirmare non licet, ob id exiſtimandum eſt uirum illum indefinite potius fuiſſe locutum: etenim quis eſt ille qui neſciat, & quotidie experiatur flatulentam materiam, & per os, & ſedem, immo per nares, & aures euacuari. Sed quod fortaſſe in eo notari poſſe uidetur illud eſt, cum inquit uapores euacuationem indicare, quando ut ſupra diximus ſolis humoribus propriè conueniat euacuatio, uaporibus verò, aut attenuatio, aut diſcusſio: etenim ſi craſſiores fuerint attenuari debent, & quia ſunt præter naturam impropriè euacuari, ſeu diſcuti debent, cuius materia nulla fuerit alia quàm illa, quæ uim habet laxandi, & aperiendi: etenim cum proprium ſit uaporis continuo moueri præſertim cum exiſtens in corpore uirtutem expultricem ſtimulet non eſt dubitandum quin recluſis uiis ſponte non erumpat, ut proprie loquendo à vapore non ſit capienda indicatio euacuandi uaporem, ſed attenuandi abſumendi, ac diſsipandi, cuius materia non eſt reperire, ſed ſi qua eſt, non eſt alia quàm illa, ut diximus quæ uim habet, tum calefaciendi tum laxandi, quemadmodum euacuandi ſanguinis non eſt alia materia quam uenæ ſectio; ſed conſuetudo loquendi non patitur, ut hanc exquiſitam dicendi rationem ſectemur, præſertim cum, & antiqui ipſi rarò proprijs nominibus uſi fuerint, quos poſteriores ſecuti exiſtimantes hoſce propriè fuiſſe locutos, inania, & inter ſe pugnantia protulerunt. & hæc de cauſis, ſeu indicantibus præſeruatiuis dicta ſint.

A ſymptomate utrum ſumatur indicatio. Cap. LXVIII.

INter cauſas, & ſymptomata quandoque numerare debes: ſi quidem ſymptoma, ut ſymptoma hoc eſt per ſe, & ſecundum naturam ſuam non indicat, ut monuit Gal. 11. meth. 12. & ratio eſt, quoniam cum ſit in fieri, & affectum tamquam umbra corpus ſequatur ad illius ablationem, & ipſum aufertur, quemadmodum etiam notauit Galen. 12. meth. 1. ubi dicebat ſym-

ptoma

ptoma qua ſymptoma,nec curationis rationem indicare,nec primum im mutare, ex accidenti tamen curandi rationem immutare poſſe, cum ſci-licet uim cauſæ ſubeat, ſi quidem actionis, vel exeuntis lęſio interdum adeo inſignis eſt,ut cogat medicum affectu relicto huic uni ſubuenire, quemadmodum cum propter vigilias, uel dolorem, aut immodicam ua-cuationem uires reſoluuntur, quibus tamen non uehementer reſolutis, ſed adhuc reſiſtentibus ſymptomati tantum ſuccurrimus,atque id quàm primum ſubmouere maturamus; ſin iam reſolutæ vehementer fuerint, non modo ſymptoma ſedare, ſed etiam illas firmare properamus,at ſi eo-dem remedio tum ſymptoma leniri, tum morbus curari poteſt, utiq; non fuerit ſymptoma reſpicere, aut ſymptomatis cauſa remedia ſumere; ſed omnes eiuſmodi auxiliorumm ſpecies planè morbi curatio eſt: ſed tunc ſymptomatis tantum ratio habetur, quando contra ſymptoma pugna-mus morbo tunc temporis neglecto,ut cum in dyſenteriarum deiectioni bus ubi corroſio eſt inſignis, & propterea dolores acerbiſſimi, ut uires ma xime reſoluantur,tragi ſucco,uel hircino ſeuo, vel roſaceo cerato per in-feriores partes indimus,quibus pręſidijs exulceratio ipſa inteſtinorũ non ſanatur,ſed potius augetur,ſiquid putredinoſum eſt;vires tamen interim conquieſcunt.hoc itaq; modo ſymptoma per accidens dicitur uim habe-re indicantis præſeruatorij.

Verum cũ tria ſint genera ſymptomatum actio læſa,exiens mutatum,& qualitas mutata,non quodlibet ex his poteſt indicare in arte curatiua, quando non omnia ita urgent, vt aut vires exoluant, aut morbum adau-geant, cuiuſmodi eſt qualitas mutata,ex hac enim ægrotantes nihil patiũ-tur quàm deformitatem,aut turpitudinem quandam,cuius correctio non ad artem curatiuam, ſed ad comptoriam, ſeu exornatoriam pertinet. Nec eſt, quod quiſpiam obiiciat colorem citrinum in oculo, nam & ſi huius cauſa vitietur, ſeu deprauetur viſio, illius tamen vis non eſt tanta, ut ad ſe curationem alliciat; præterea etiam ſi eſſet eius generis, vt ſui curatio-nem deſideraret, nihilominus cum auferri non poſſit niſi ad ablationem humoris citrini, hinc fit,ut nihil omnino indicet,nec per ſe,nec per acci-dens, ſola itaque ſymptomata illa, quæ ad actionem læſam, & ad exiens mutatum pertinent vim cauſæ morboſæ ſubire poſſunt: quare ſi quod exit, uel non omnino exierit, uel diminutè, vel plus iuſto, vel per locum indecentem exierit ſui contrarium indicabit, cuius mate-ria ſi non reperiatur ad cauſam illius ſymptomatis confugiendum erit.

Verum ſi actionis lęſio adeo vehemens fuerit, vt vires labefactet, ac profternat, quemadmodum in acerbiſſimis doloribus contingere ſolet actioni occurrendum erit, vt illius uis remittatur, ac miteſcat: quoniam ſi prius illius actionis cauſę conſulere voluerimus,accidet interdum, vt collapſu virium pars dolens pereat,& natiuo calore deſtituatur.

At quiſpiam meritò quærere poſſet, quodnam ſit illud, quod huic a-ctioni aduerſatur: Huic facile ſatisfieri poteſt ſi dicamus huic actioni ad-uerſari, quod aut actionem omnino prohibet,aut illius uim remittit; ſed

huius remedii materia nulla datur, quare confugiendum ad illius actionis causam proximam, quæ cum multiplex esse possit indicata quoque anodina multiplicia esse possunt: actionis itaque deprauatæ causę numero sunt quatuor, alteratio partis ab obiecto improportionato continuum soluente, quæ à sensu exteriori suscipitur, quo tempore duplex obiecti oritur cognitio vtraq; spiritalis, altera quidem, vt obiectum est sensibile, & propterea, aut calidum, aut frigidum, & siccum continuitatem dissoluens; altera verò vt idem obiectum est ingratum, & iniucundũ, vi cuius cognitionis etiam phantasia nominari potest; ad quã duplicem cognitionem sequitur appetitus fugæ eiusdem sensus operatio, quæ tamen tria ita prodeunt à sensu exteriori, vt non sit existimandũ sensum exteriorem esse quid à sensu interiori ita distinctum, vt perpetuo virtus ab eo non subministretur, & quamuis in quibusdam sectis truncato capite obseruetur sensus tactus, & propterea dolor, & appetitus fugę, non est tamen dubitandum quin in his partibus sectis non vigeat virtus sensus interioris, quæ quamdiu perdurauerit, tandiu dolor, & appetitus perdurabit: in Zoophitis verò quamuis non adsit sensus interior, est tamen quid proportione respondens ipsis partibus sensitiuis: at in animalibus perfectis ueluti est homo, & alia quædam existimare debemus sensum exteriorem suscipere obiecta, quà sensibilia, eadem uerò iudicare, ut molesta, vel grauia, & ab ijsdem refugere, atque hanc facultatem continuò per neruos vim ab interiori facultate suscipere: quod nobis illud persuadere potest, quoniam si artuum nerui comprimantur, partes inferiores torpescunt, & sensu quasi priuantur; sed hac de re latius, vbi deo dante de solutione continui disputabimus. Quod itaque remedium indicat esse potest obiectum, seu species obiecti tristabilis, quæ potest considerari sub ea ratione qua tristabile, quare indicat remedium delectabile, cuius materia potest esse multiplex, si quidem interdum erit animi dolor, seu timor, quoniam quandoque dolor est medicina doloris, ueluti si quis aliquo dolore premeretur, & repente significaretur, vel totam domum ardere, vel inimicos adesse, hic dolor, seu timor esset materia remedij dolorem propulsantis, vel saltem sopientis; interdum huiusmodi materia potest esse gaudium magnum, vt si quis nunciaret ægrotantem, vel Cardinalem, vel Pontificem esse creatum, uel aliquod nuncium bonum afferretur, etenim quamuis hæc materia non omnino tollat obiectum illud tristabile, ita tamen obruitur, & sopitum iacet, vt non animaduertatur; siquidem fit, ut appetitus vehementior, vel huius, uel alterius sensus exterioris, vel etiam facultatis internæ appetitum debiliorem languidioremq; moueat, & quodammodo rapiat non ita tamen, ut debilior suum motum deserat, & sicut indicatũ est spiritale, & remedium, seu materia remedij spiritalis esse debet nempe species alterius obiecti vim alterius retundẽtis.

Verum quia in demulcendo dolore nedum obiectum spiritale consideratur, verum etiam causa illius obiecti: propterea cum causa immediata sit siccitas, si uim causæ principalis subibit, humidis erit agendum; sin rationem habebit causæ sine qua non, tunc impressa fuerit ab intemperie vel

vel calida, vel frigida, si ab intemperie calida remedia erunt frigida, & humida, sin à frigida erunt in passiuis humida, & in actiuis, vel tempera-ta, vel calida: at si siccitas illa vi cuius soluitur continuum fiat à materia, hæc erit, vel humorosa, vel vaporosa; si vaporosa remedia debent actu esse humida, & calida, vel temperata, nec non tenuis substantiæ, humida quidem meritò siccitatis quæ à uapore indicatur, vt soluit continuum, calida, seu temperata, ut calor natiuus, vel conseruetur, vel adaugeatur, tenuis substantiæ, vt flatus discutiantur. quod si materia fuerit humorosa, quot modis à naturali statu recesserit tot modis erit occurrendum: & quoniam interdum obiectum adeò vehementer agit atque tanto impetu, vt remedia, quæ vel ipsi, vel causæ aduersantur locum non habeant, aut vtilitatem, quam speramus non præbeant, ob id ne præ dolore virtus collabatur, relicta causa, & obiecto, confugimus ad ea, quæ vim habent facultatis sensitiuæ, tum communis, tum determinatæ uirtutem remittendi, qualia sunt illa quæ calorem natiuum, ac temperiem partis retundũt, & frigidiorem reddunt, ui quorum cum facultas sensitiua non viuificetur, hinc fit, vt illius actio remittatur, ad narcotica igitur, & obstupefacientia confugimus, quare interdum conciliamus somnum com pil. de cynoglossa, cum philonio Romano, cum sem. Iusquiami, & alijs id genus, uel parti dolenti insigniter frigida admouemus, quæ non indicantur à calore natiuo, aut à temperatura, neque vt sunt secundum naturam, quoniam sui custodiam desiderãt, neq; ut præter naturam, quoniam ad hæc remedia non confugimus eo quia calor natiuus, vel temperatura partis à naturali statu recesserit; sed necessitate coacti quando minus malum habeat rationem boni; immo si rem ipsam ad uiuum resecemus, refractio, seu hebetatio illa caloris natiui, ac temperaturæ, vim potius subibit materiæ remedii dolorem sedantis. Sed aliàs fusius de hac re disputabitur, vbi declarabimus, quæ nam sint impropriè anodina, quæ vè propriè, & quæ propriissimè, authoritatemque illam Galeni 5. simp. 19. a paucis, ut arbitror intellectam explicabimus, vbi videbimus anodina calida in primo, tenuisque substantiæ non administrari propter spiritus animales qui ad partem confluant; neq; propter vapores, aut humores tenues, qui eò ui doloris confluxerunt, vt opus, & effectus doloris, vt quidam voluerunt, non enim omnia in omnibus.

Virtutis vsus in methodo medendi. Cap. LXIX.

SVperest, vt de indicationibus vitalibus loquamur, postquam locuti fuimus de curatiuis, & præseruatiuis. Vt autẽ cognoscamus quæ quotve sint indicantia uitalia, videndum est, quot quæue sint illa, quæ primo, & per se vitam custodiunt, ac tuentur, quando indicantia uitalia non ob aliam causam vitalia nominari debent, nisi quia vitam primo custodiunt, & conseruant, & cum vita nihil aliud sit quàm vires, aut ipsarum actiones ex Gal. 9. meth. 13. hinc fit, vt quæcunque vim habent primo

custo-

custodiendi vires, aut illarum actiones dũmodo existant in corpore indicantia vitalia nominari posse, & per uires intelligo nedum naturales, verum etiam uitales, & animales ex Gal. 9. meth. 10. vbi dicebat has facultates seruare nihil aliud esse quàm vitam seruare. Neque est quod quispiam miretur cur hęc indicantia potius vitalia, quàm naturalia, aut animalia nominemus, quoniam cum institutum nostrum sit Galeni doctrinam quantum fieri potest imitari cum Galeno hæc indicantia maluimus vitalia quàm alio quouis nomine appellare, præsertim cum virtus omnis custodiat vitam, vel indiuidualem, vel specificam, vel eandem meliorem reddat. Rursus per vires non debemus intelligere propriè uires, sed uiriũ instrumenta, quibus anima vires suas, & facultates exercere potest; quando remedia, seu auxilia non ad vires, sed ad organa formæ sunt referenda: si quidem humana forma cum multas, & inter se diuersas operationes exercere debuisset, necesse quoque fuit, vt summus rerum opifex multa, & diuersa organa operationibus illis accommodata effingeret, atque formaret: non enim quia talia fuerunt organa, ideo talis debuit esse forma; sed contra: vnde non est mirum si quàm sæpissimè Gal. attribuit formæ tanquam agenti primario quod proprium est materiæ; si quidem materia est illa, quæ patitur non autem forma, verum cum ad perturbationem organorum forma suas operationes, vel exercere non possit, vel male, hinc fit, vt à viribus indicationes sumendas esse dixerit Gal. & cum eo tota schola medicorum.

His itaque sic positis, & constitutis videndum est, quot sint organa, quibus forma in operationes descendit, quod non erit difficile scire si confugiamus ad ea quæ scripsimus in præludijs nostris anatomicis, si quidem ibi demonstratum fuit ad operationes obeundas necessario desiderari tẽperaturam, magnitudinem, numerum, conformationem, & vnitatẽ, nec non spiritus omnes: & ex his demonstratum fuit, quæ primo, & per se, quę secundario, quæ perfectè, quæq; imperfectè concurrerent ad operationes celebrandas, & quomodo seu qua ratione id præstarent, vt hoc loco non sint eadem temere repetenda.

Cum itaque tot sint organa, quæ desiderantur, vt forma in operationes descendat, videndum est cur Gal. 1. in acutis 44. dixerit virtutem solam alimoniam indicare, cum virtus neque augeatur, neque imminuatur secundum molem, cum sit substantia quædam corporis expers, & organa virtutis eam alimoniam desiderent, & sint illa, quæ supra diximus, quomodo ipsam desiderabunt? quoniam temperatura non nutritur, neq; compositio, neq; vnitas, nec spiritus ipsi.

In hac re quid sit dicendum non est facile cuiuis iudicare, præsertim cũ dixerit Galen. 9. meth. 13. custodiam virtutis potissima ratione seruari, vbi quod de substantia earum uacuatum, vel alteratum fuerit, vel dissolutum emendabitur, ac si Gal. uoluerit uirtutem custodiri non solum alimonia verumetiam alteratione, & vnione, seu aggregatione.

Ego certe in hac re difficili, vt dicam quod sentio existimarem, ut supra diximus uirtutem pluribus modis considerari posse, uno modo pro potẽ-

tia,

tia, & facultate quadam, quę ex omnibus rebus secundum naturam consurgit, qua ratione custodia rerum naturalium ad indicationem genericam est referenda; altero modo arctius pro facultate quæ ex iusta, & debita tum quantitate, tum qualitate substantię spirituum partium solidarum, & carnosarum completur, sub qua qualitate complectimur etiam eorundem spirituum motum, de qua uirtute locutus est Gal. 9. meth. 13. postremo loco uirtus considerari potest pro facultate, quę oritur ex iusta, ac debita quantitate substantię spirituum, partium carnosarum, & solidarum, qua ratione dicimus uirtutis custodiam solam alimoniam indicare, atq; de huiusmodi uirtute locutus est Galen. 1. de rat. uict. 44. ubi admonebat si morbosam affectionem nullo modo offenderet alimonia, nos uirtuti soli attendentes ęgros, ut sanos nutrire debere; sed quia noxa ex alimonia sępe contingit, ob id morbi affectionem non tanquam cibi indicatricem; sed tanquam prohibitricem contemplamur.

Cum itaque uirtus tot modis considerari possit, mirum non est si Gal. quandoque inconstans, & uarius esse uidetur. Cum itaque quęritur a nobis, quo pacto uirtus cum sit substantia corporis expers alimoniam indicare possit, dicendum est uirtutem illam non per se, nec quatenus talis alimoniam indicare; sed ut ex iusta, ac debita quantitate trium illarum substantiarum consurgit, & operatur.

Vbi uerò quæritur quomodo uirtutis organa indicent alimoniam; respondendum est organa uirtutis per se alimoniam non indicare; non enim temperatura neque unitas, neque compositio per se alimoniam desiderant, cum hæc nullo modo nutriantur; sed si aliquo modo alimoniam indicant, dicendum est id competere illis merito sui subiecti ea scilicet ratione, qua in partibus solidis, & carnosis posita sunt. Res itaque omnes naturales, quę sui custodiam desiderant inter indicantia uitalia large loquendo numerari possunt; at si sermo sit de uirtute, ut posita est in debita tum quantitate tum qualitate spirituum, partium carnosarum, & solidarum, & motu mouentium ab indicantibus uitalibus numerus, conformatio, unitas, & si quę sunt huiusmodi secundum naturam excludi debebunt.

Postremo si loquamur de eadem, ut posita est in iusta, & debita quantitate substantię spirituum, partium carnosarum, & solidarum, ab his, & qualitas, seu temperatura, & motus segregabuntur, & solam substantiam horum trium corporum amplexabitur, quę sola est illa, quę ueram nutriendi rationem indicat, cum alimenta sola dicantur ex Galeno 1. de fac. alim. 1 & lib. de utilit. resp. 1. nec non 3. de temp 4. & 4. aph. 13. quæ medij sunt temperamenti, nullaque uincenti qualitate sunt prædita. siquidem alimentum solam substantiam non autem qualitatem spectat, quòd si quãdoque cum substantia qualitatem aliquam uincentem habeat non simpliciter alimentum, sed alimentum medicatum appellabitur, atque tandiu cibaria dicuntur medicamenta, quandiu concoquuntur, tunc enim, uel refrigerare, uel calefacere, uel uentrem soluere, uel cohibere, uel sudorem, aut urinam prouocare, aut aliam quamuis dispositionem in animantis corpore

pore

pote generare possunt: ubi uero percocta, & mutata, ac in sanguinem bonum iam uersa fuerint non amplius medicamenta, sed alimenta sola dici debent, vt potè quæ naturalis caloris substantiam, vel humiditatem natiuam in animali augent non qualitatem intendunt, quemadmodum manifeste docuit Gal. 2. de alim. fac. 18. vbi dicebat: cibis omnibus qui qualitatẽ medicamentosam habent uehementem est commune, ut cum eam deposuerint, aut coctione, aut assatione, aut maceratione exiguum corpori dent alimentum, prius autem prorsus non nutriant. Verum sicut admodum rara, & pauca sunt cibaria illa quæ temperata sint, sic rara, & admodum pauca sunt corpora illa, quæ symmetriam illam consequantur, quare cum pleraque ab ea recedant, & ad caliditatem, uel frigiditatem, uel humiditatem, uel siccitatem, uel ad harum coniugationem inclinent, ita tamen, vt à naturali temperatura non recedant, hinc factum est, ut cibaria plerunque, vel calida, uel frigida, uel humida, uel sicca, uel utraque qualitate prædita esse debeant, & multo magis si aliqua corporis particula sit nutrienda, quando nedum totius temperatura, uerumetiam partis sit custodienda: immo nedum conuenientia qualitatis in cibo, uerumetiam totius substantiæ seruari debet, siquidem alij facilius nutriuntur fructibus, quàm carne, alij hoc, uel illo cibo magis delectantur, quemadmodum pro diuersitate specierum animalium uaria, & inter se diuersa alimenta sunt opportuna, ut scribit Galen. 6. de tuen. 3.

Quibus sic positis, & constitutis non erit meo quidem iudicio difficile dubitationes, quæ circunferuntur, dissoluere; authoritates Galeni perplexas enodare, & inter se pugnantes conciliare.

Dubitant itaque nonnulli aduersus ea quę diximus, quoniam non uidetur perpetuo uerum, ut uirtus sui custodiam desideret, hoc autem probare nituntur hoc modo. Virtus indicat sanguinis missionem ex Galeno in locis superius citatis 4. meth. 6. & 4. de rat. uict. 19. at ex sanguinis missione uirtus potius exoluitur quàm custodiatur: ergo uirtus non indicat perpetuo sui custodiam.

Prima facie ratio uidetur concludere; sed quoniam repugnat principiis artis, ideo Galenus est sano modo intelligendus, quare dicendum est, ut supra quoque diximus Galenum sæpe indicantia per se confundere cum indicantibus per accidens, & signis, nec non cum permittentibus, quod autem hoc uerum sit legatis eundem 4. de ratione uict. 19. ubi admonet primum scopum detrahendi sanguinis (sic uertunt translatores, cum tamen transferre deberent secandæ uenæ) esse morbum magnum; secundum ætatem florentem; tertium uirium robur. Cui dubium Galenum his uerbis nobis proponere duo indicantia per accidens nempe morbum magnum, & ætatem, & unum permittens hoc est uirtutem? nonne morbus magnus est signum sanguinis à naturali statu ualde recedentis, & propterea ualidum auxilium postulantis, cuius materia opportuna est uenæ sectio non autem sanguinis missio? & uere dixit morbum magnum esse primum scopum; cum inter signa sanguinis grauiter peccantis primum locum obtineat, & sectionem uenæ potius quàm aliud auxilium chirurgicum suadeat administrandam,

ſtrandum, uerum quia ad uenam ſecandam cognouit, non ſufficere morbi magnitudinem, ſed neceſſariam eſſe ſanguinis redundantiam, ob id ſecundum ſcopum dixit eſſe florentem ætatem tanquam illam, quæ ſit ſignum ſanguinis redundantis, & merito dixit eſſe ſecundum ſcopum ſecandæ uenæ: quoniam in ſectione uenæ primo conſideratur vehementia ſanguinis, deinde redundantia; quòd ſi loqueretur de miſſione ſanguinis ſimpliciter, ætas florens primum locum inter ſcopos per accidens obtineret, immo magnitudo morbi non haberet locum; tertium ſcopum dixit eſſe virtutem, quoniam cognouit virtutem non habere vim indicantis, nec per ſe, nec per accidens; ſed permittentis, vel prohibentis, ſubticuit itaque Galen. vere indicans atque illud per ſigna, tanquam notiora circunſcripſit, quemadmodum ſuperius ſatis ſuperque demonſtrauimus, ubi de ſanguinis miſſione locuti fuimus. Conſtat itaque ex his virtutem ſui cuſtodiam indicare.

Mouent alij, & aliam difficultatem, quoniam non videtur verum alimoniam à ſola virtute indicari, quando, & à morbo, & à cauſa, & à conſuetudine, ab anni tempore, ab ętate, & alijs id genus indicari uidetur, id quod confirmare nituntur, quamplurimis Galeni authoritatibus.

A morbo quidem alimoniam indicari dicunt perſuaderi poſſe, ex auth. Galen. 1. Aph. 8. 11. & 12. vbi dicebat Galen. uictus rationem in unoquoque morbo à duabus intentionibus ſumi debere ex morbi. ſ. conſtitutione, & viribus ægrotantis, quod idem confirmauit in lib. de totius morbi temporibus ultimo. 3. in primum, ac vulg. morb. 11. 10. metho. 5. & 2. de rat. uict. 16. & 44. & ob eandem cauſam 1. de criſ. 3. & 13. dixit generoſos medicos, & arte Hippocratica dignos eſſe, qui futurum ſtatum præcognoſcerent, cum omnis uictus ratio ad ipſum inſpiciens ſit inſtituenda.

Eadem ratione officium prudentiſſimi medici eſſe principium morbi, atque augmentum, non vbi iam perfecta ſunt, ſed multo ante cognoſcere; hæc, & multa alia ſunt, quæ perſuadere videntur victus rationem indicari à morbo, quæ omnia libens, ſuinque prętereo, ne authoritatibus omnia metiri uideamur.

A cauſa verò, quòd recta uiuendi ratio inſtituatur, ſic perſuaderi poteſt, ſiquidem Galen. admonebat primo ad Gla. 10. inedias, quantum proſunt ad morbi coctionem, tantundem, vel etiam amplius officere viribus, & propterea nos uti debere, vbi valentiores fuerint uires, & morbus coctu difficilis, largiori autem cibo ubi debiliores, neque morbus admodum concoctu contumax, & hæc in omnibus morbis eſſe conſideranda. At quis eſt ille, qui non uideat per morbum concoctu, uel facilem, vel difficilem Galenum intelligere cauſam morboſam, ſeu materiam ipſam, ut propterea iure optimo quis exiſtimabit à materia, ut facile, vel difficile concoquitur uictus rationem eſſe inſtituendam, & ſic alimoniam indicari à cauſa; id quod ſignificauit etiam Galen. 3. in 6. de vulg. morb. 22. ubi docebat ad coctionem facere inediam, cuius rei rationem reddebat 4. in acutis 44. cum docuit naturam aſſumpto in

ventrè, deuoratoq; alimento à cæteris motionibus cessare solere, vt soli operi vacet, quod familiaribus coquendis deputatum sit, quare distrahitur à coctione materiæ morbosæ.

Præterea quis hoc modo argumentari potest: morborum tempora, ut supra diximus victus rationem constituunt, sed in morbis, qui causam coniũctam habent, uariantur tempora ad mutationem materiæ: ergo à materia sũmitur recta diætandi ratio.

Quod verò à consuetudine, & ab ætate capiatur indicatio diætandi satis manifestè videtur docuisse Galen. octauo, method. sexto, & nono, vbi dicebat ex mente Hipp. consuetudinem perinde seruandam, ac proprium ætatis temperamentum: utrum uero, & alia his cognata ueluti est aer regio, cœli status, & anni tempus, & quæcunque sunt huiusmodi hanc victus rationem instituant, ex his quæ supra diximus in propriis capitibus satis manifestum est, vt propterea breuitatis gratia ab hoc labore libenter supersedeam ne sæpius eandem cantilenam recantare videar.

In hac itaque tanta rerum perturbatione, & inconstantia non est mirandum si uiri etiam nomine clari, & de re medica optimè meriti cæcutierunt, & authoritatibus, vel potius uerbis, tum Galeni, tum Hippocratis nimis addicti ueluti frondes quauis aura leui huc atque illuc agitati obstrepuerunt, multaque protulerunt, nec sibi, nec principijs philosophiæ consentientia, Galenumque, & Hippocratem ueluti philosophiæ ignaros, inconstantes, & varios reddiderunt.

In quorum numero ne simus pro viribus studendum est, ut firmis argumentis, & optimis rationibus comprobemus unicam esse Galeni, & Hippocratis doctrinam firmam constantem, & philosophiæ principijs minime repugnantem.

Quare præter ea, quæ superius dicta sunt, ubi de utilitate illorum, quæ ad inuentionem remediorum conferunt, locuti fuimus, propositis rationibus, & authoritatibus, ut unusquisque facile satisfacere possit dicendum est sermonem nostrum esse de uirtute, quæ solam indicat alimoniam in corpore ægrotante, & ob eam causam in recta uictus ratione instituenda, nedum uirtutem uerumetiam causam, & morbum spectari debere non tanquam ea quæ alimoniam indicent, sed potius tanquam ea quæ uel per se, uel per accidens prohibent. Quam doctrinam scriptam nobis reliquit Galen. primo, Aph. nono, undecimo, method. decimoquarto, & primo de rat. uict. 44. cum diceret si morbosam affectionem nullo modo læderet alimonia, nos virtuti soli attendentes, ægros ut sanos aleremus; sed quoniam sæpius noxam affert, ob id morbi affectionem non tanquam cibi indicatricem; sed tanquam prohibitricem contemplamur: ubi ergo morbus non prohibebit, & facultas præcipiat, tunc nutriemus, non enim cibus, ut cibus affectioni morbosæ prodesse potest; quod siquis uoluerit morbum, seu causam morbosam non indicare cibum simpliciter; sed cibum tenuem qui vim habeat per accidens minuendi materiam morbosam;

is

is ſciat huiuſmodi cibum non indicari, ut uim habet nutrimenti, ſed medicamenti; docuit hoc Galen. undecimo, method. decimoquarto:immo ſi rem ipſam acriori iudicio expendamus, uidebimus morbum neque indicare, neque per ſe prohibere alimoniam, & ſic nulla ratione per ſe conferre ad rectam uiuendi rationem inſtituendam; ſi per uictus rationem ſolam intelligamus alimoniam, quæ uim habet nutriendi ſolum: & ratio eſt, quoniam vt ſupra diximus alimonia nullam habet excedentem qualitatem adiunctam, quare morbum in intemperie adaugere non poteſt: cum itaque non officiat intemperiei: ergo multo minus cæteris morborum differentiis officere poteſt. quod uerò alimonia, ut nutrit, & ut alimonia eſt nullam qualitatem excedentem adiunctam habeat ex Galen. ſatis ſuperque antea fuit demonſtratum. Quare cum Galenus dicat morbi conſtitutionem nobis formam uiuendi definire, per morbi conſtitutionem debemus exiſtimare Galen. cauſam morboſam ſignificare uoluiſſe, cum ſit illa, quæ per ſe, vel prohibet quominus ægros nutriamus, ut ſanos, uel uictum tenuem tanquam medicamentum non tanquam nutrimentum indicat:ſiquidem antiqui medici,& præſertim Galen.& Hipp.illam exquiſitam loquendi proprietatem ueluti puerilem non multum adamarunt;ſed communem potius loquendi conſuetudinem ſequuti ſunt.

At dicet quis ſi per morbum cauſam morboſam ſignificauit Galen. ergo cauſa nobis formam diætandi demonſtrabit.

Conſequentia hæc non eſt abſolute admittenda, quoniam Galenus & Hippoc. ſano modo ſunt audiendi, etenim cum authores iſti probatiſsimi, ac ſummi philoſophi dicunt cauſam morboſam plurimum conferre ad uictus rationem inſtituendam, illorum ſententia non uulgari, ſed acri, & prudentiſsimo iudicio eſt penſitanda. Siquidem Galen. & Hipp. omnibus in locis, in quibus aſſerunt, uel morbos, uel morborum tempora, uel cauſas nobis formam diætandi definire miro quodam artificio eodem tempore complectuntur tum auxilium præſeruatorium, quod per accidens uim habet leniter euacuandi materiam quantitate peccantem; tum auxilium uitale per accidens, ut ſupra diximus, in capit. de longitudine, & breuitate morbi; tum prohibens per ſe, & per accidens. Siquidem uictus tenuis diuerſimode conſideratus diuerſas formas, & conditiones ſubire poteſt, etenim ſi conſideratur, ut uim habet imminuendi materiam morbificam auxilium uitale per accidens appellabitur, quoniam omnis ratio uiuendi quæ materiam morboſam imminuit uim habet ſubmouendi morbum, ad cuius ablationem uita cuſtoditur, ex cuius cuſtodia auxilium uitale nominari poteſt, & per accidens quia cuſtoditur ad ablationem morbi: at ſi conſideratur ea ratione qua non obruit calorem naturalem, nec ita uirtutem defatigat, ut concocto iam cibo oblato non poſsit ſe conuertere ad materiam noxiam concoquendam, ornandam, atque tandem ad ipſam quocunque modo expellendam, uel per

ſudorem, uel inſenſibilem perſpirationem, uel per urinam, uel aluum, uel alio quouis modo auxilium preſeruatorium per accidens appellari debet, quando talem uictum materiam ipſam per accidens euacuare contingat, & hoc modo dicitur uim habere medicamenti præſeruatorii. rurſus ſi conſideratur cauſa, vt prohibet quominus nutriatur æger, vt virtus poſtulat, per ſe prohibens appellabitur: postremo ſi morbum ſpectemus, ut benignitatem, uel uehementiam cauſæ oſtendit ſignum erit, & ſic prohibens, uel permittens per accidens.

Hac perſpecta rei ueritate nunc authoritates Galeni, & Hippocratis ad optimum ſenſum facile ab vnoquoque traduci poſſunt. Cum itaque Hipp. & cum eo Galen. primo aph. 8. dicant cum morbi uis eſt maxima, tunc tenuiſsimo uictu utendum. dicatis Hippocratem, & Galenum per uigorem morbi nobis ſignificare cauſam, cuius uis quoniam tunc temporis grauis eſt, & inſignis, quod cognoſcitur ex ipſo uigore, (cum uigor nihil aliud ſit quàm maximum ſymptoma ex Galen. primo Aphor. ſeptimo) prohibet, quominus exhibeatur uictus in ea quantitate, quæ indicatur à uirtute pro ſui cuſtodia, quoniam cum offertur cibus tunc natura diſtrahitur à concoctione materiæ morboſæ ad alteram inouam coctionem celebrandam, & hoc ſignificauit nobis Galen. in expoſitione illius Aphoriſmi, quo loco abutitur nomine indicantis.

Aphoriſmo uerò xi. cum admoneret Gal. uniuerſam præſcribendi victus formam, & rationem in unoquoque morbo ex duabus indicationibus ineundam eſſe, morbi, ſcilicet totius uigore futuro, & ægrotantis uiribus: illius uerba ſic exponenda cenſeo, ut dicat in cibandis ægrotantibus duo eſſe potiſsimum ſpectanda, nempe morbi uigorem, qui morbi conſtitutionem qualisnam ſtatuenda ſit acutane an peracuta, alteriusve generis nobis deſignat; & uirtutem quæ ſui cuſtodiam indicat: ac ſi diceret Galen. in cibandis ægrotantibus cum uires ſui cuſtodiam deſiderent, & cauſa morboſa ſui concoctionem, & euacuationem, & alterum abſoluatur exhibendo alimento in ea quantitate, quam ſubſtantia conſeruanda deſiderat, & alterum uirtute naturæ in humorum morbidorum coctione occupatæ perficiatur, hinc fit, ut quemadmodum uires nutrimentum, uel ſymetrum, uel augens deſiderant, ſic materia morboſa prohibet, & ita prohibet, ut coactus ſit medicus prudentiſsimus habita ratione virium aliquid ex cibo conſeruante, vel augente ſubtrahere; immo ſi virtutem adeo robuſtam obſeruabit, vt ſine diſcrimine vitæ, vſque ad iudicationem perdurare poſſit, ſoli morbo, & cauſæ inſeruire debebit, & à cibo penitus abſtinere: vt ſæpe fieri ſolet in ijs morbis, qui quattuor primis diebus, aut eo citius terminantur: ſin minus tantum cibi exhibere oportebit quantum ſit ſatis ad uitam cuſtodiendam, vſque ad integram iudicationem. Vires itaque perpetuo alimoniam indicant; morbus verò, ſeu morbi tempora

ſeu

seu causa morbosa prohibet uel permittit, sic Galenum intelligendum censeo.

Cum uerò Hipp. dicat in ipsis exacerbationibus cibum adimere oportet, nam præbere noxium. Et cum per circuitum redeunt morbi in ipsis accessionibus abstinendum, Gal. in commento admonet accessiones morborum nobis indicare occasionẽ, siue particulare tempus cibi offerendi, quod etiam confirmauit eodem 1. Aph. 19. vbi admonebat paroxismos nobis indicare tempora cibi singilatim prębendi in iis duntaxat morbis in quibus stato tempore redeunt accessiones, id quod appellauit Galen. modum in tempore.

Cęterum si simpliciter audiatur Gal. possumus etiam nos inferre ab ijsdẽ quoq; accessionibus rectam uiuendi rationem indicari, quando ex Gal. in arte med. 85. idem sit quod quale, & quantum, ac tempus opportunum designat, quemadmodum nos quoq; superius manifestè demonstrauimus: sed consequens est falsum, ergo, & antecedens; quare authores sunt sano modo intelligendi. Dicendum est itaq; accessiones nobis demonstrare, seu reprę-sentare motum materiæ satis insignem, quę materia prohibet, quominus eo tempore cibus offeratur, ne uirtus à concoctione, & expulsione materiæ auocetur: nam & si perpetuo spiritus, carnosa, & solida difluant, & absumantur, & propterea sit opus id quod deperditur, continuo, ac semper resarcire, in tempore tamen eligendo opportuniori modus est adhibendus, ne tunc temporis offeratur cibus, quo plus damni quàm utilitatis subsequatur. Accessiones itaque considerantur, ut uim habent signi causæ morbosæ prohibentis exhibitionem cibi, quamuis interdum contingere possit, ut in ipsis accessionibus, immo etiam in ipso morbi uigore talia contingant symptomata, ut uirtus exoluatur, quo tempore plus ualeat uirtus ad indicandum, quàm causa ad prohibendum, & propterea etiam in ipsis accessionibus, & in ipso statu cogamur interdum cibum exhibere: uirtute itaque materiæ morbosæ tunc temporis strenue corpus humanum conflictantis per accessiones morborum nobis designatę indicans uitale appropriatum redditur, quod rem talem; ac tantam desiderat, & ob id etiam in tempore opportuno desiderat. Opportunum itaq; tempus, seu modum, & rationẽ in tempore nobis indicat uirtus à materia morbosa circunscripta, & definita.

Ad authoritatem verò illam in lib. de totius morbi temporibus ubi admonet ad rectam uictus rationem instituendam, distinctionem temporũ morborum necessariam esse unà cum uirtutis cognitione; dicendum est, ut supra quoque diximus, non esse concludendum ex hac authoritate uictus rationem indicari a temporibus morborum, & à uirtute; sed a uirtute tantum; atque tempora morborum considerari, ut uim habent, uel permittentis, uel prohibentis, si tamen considerentur, ut sunt signa infirmitatis, vel grauitatis materiæ morbosæ, quæ longos, uel breues generat morbos; hoc idem nobis significauit 3. in primum de uulg. morb. 11. idem uoluit. 10. meth. 5. ubi dicebat morbi summum uigorem, & ægrotantis uires spectari debere, alterum ut indicans, alterum ut signum prohibẽtis, uel

permittentis; si sermo sit de diæta,vt vim habet nutrimenti;sin medicamenti alterum signum erit indicantis, alterum prohibentis, vel permittentis, quandoquidem si coniectabimus vigorem breui futurum,motum materię velocem indicabit,& omnimodam cibi abstinentiam desiderabit,quemadmodum morbi omnes, qui pendent à materia desiderare videntur:quòd si virtus fuerit robusta omnimodam inediam permittet, sin minus prohibebit, & exiguum adminiculum postulabit; eandem interpretationem patiuntur authoritates illæ Galeni 2. de rat. uict. 15. 36. & 44. nec non primo de cris. 3. ex quibus satis constat à morbo, aut à causa nullam diætandi capiendam esse indicationem,nisi eo modo quo dictum est:quare authoritates illæ, quibus demonstrabant a causa formam diætandi præscribi debere non sunt repetendæ,quando non aliam, quam supra diximus expositionem,sustineant.

Ad authoritates uerò illas, quibus probare nituntur à consuetudine, ab ætate, ab anni tempore, & alijs id genus capiendam esse diætandi indicationem, dicatis, vt suprà diximus hæc omnia conferre quidem, sed non ut indicantia, verum ut signa virtutis robur, vel infirmitatem demonstrantia, vt in propriis capitibus dictum est; nec mirum est Hippocratem, & Galenum confundere signa cum indicantibus,quoniam facilitatem potius, ac rei euidentiam quàm loquendi proprietatem sequuti sunt.

Concludendum est itaque uirtutem solam nobis alimoniam indicare,reliqua verò vel esse signa virtutis debilis,vel robustæ, vel permittentia, uel prohibentia,vel horum magnitudinis signa demonstratiua.

Nec mouere nos debet opinio illorum qui dicunt uirtutem non alimoniam, sed sui custodiam indicare; & custodiam similium exhibitionem, & hæc alimoniam, seu uictus rationem, quod confirmant authoritate Galen.11. meth.3. quoniam isti non animaduertunt hanc esse formam loquendi Galeno usitatam, nam idem est,ac si Galen. dixisset uirtutem sui custodiam desiderare, custodiri autem per id quod est simile cuiusmodi est alimonia, loquendo de uirtute, quæ posita est in spiritibus, solidis, & carnoso genere, & custoditur ad horum corporum custodiam, eadem loquendi forma usurpatur a Galeno, quando inquit morbum, seu id quod est præter naturam sui ablationem indicare, & hanc contrariorum exhibitionem.

Cum itaq; virtus solam nobis præscribat alimoniã,& alimonia hæc multiplex esse possit crassa,tenuis,& medio modo se habens:spiritus substantia indicat tenuem alimoniam, solidorum crassam, & carnosarum medio modo se habentem:sed hoc nouisse non uidetur satis esse medico, qui rectam uiuendi rationem in ægrotantibus instituere desiderat: sed artificiosa quadam coniectura uires ægrotantis cuiusque sunt ęstimandæ, necnon quæ vires definiunt, cuiusmodi est temperatura, ætas, sexus, consuetudo, & quæcunque sunt huius generis, & sic naturalia, & non naturalia sunt pensitanda, præter hæc morbi constitutio, ut medicus intelligat quando morbi status sit futurus, ut comparatis indicantibus cum prohibentibus

bus ex ipſis ſummam unam colligere ualeat. Qua in re, tum meliores, tum deteriores obſeruantur medici, quanquam eadem omnes didicerint: ſiquidem qui perſpicaci magis pollent ſenſu ijs, qui hebetiorem habent, probatiores euadunt, laboribus item amantiores ſegnioribus, exercitatioreſque minus exercitatis, & qui tenaciorem memoriam habent ijs, qui minus ea valent, & illi, quibus ægrotantis natura notior eſt, quàm quibus omnino fuerit ignota.

Neque eſt quod quiſpiam hoc loco deſideret doctrinam, aut artem aliquam, qua medicus virtutis robur, vel infirmitatem in vnoquoque ægrotante ad vnguem, & exquiſite, ac veluti in puncto cognoſcere valeat: quoniam ſicut numerus ægrotantium infinitus eſt, & gradus virtutis infiniti eſſe debent, de quibus omnibus nulla certa ſcientia haberi poteſt, ſignis itaque, & coniecturis ad illius gradus quantum humana patitur ratio & obſeruantia propius accedere debemus.

Errores qui committuntur in iucundi ratione, qui grauiores ſunt exiſtimandi. Cap. LXX.

VErum cum virtutem exacte metiri non potes; ſed neceſſarium ſit, ut aut plus, aut minus iuſto nutrias, quando vix fieri poſſit, vt iuſtam menſuram aſſequaris, quiſpiam quærere poſſet, cum error in uiuendi ratione ſit committendus, quis error grauior exiſtimabitur, an ille qui committitur dum cibus iuſto plenior exhibetur, an qui committitur dum iuſto tenuior offertur.

Hipp. & cum eo Galenus non videntur in hac re ſibi conſtare, quoniam interdum uidentur uelle plenius quàm tenuius cibandos eſſe ægrotantes, quando à iuſto modo declinandum ſit; interdum uerò contra.

Siquidem primo Aph. quinto, grauius peccatum eſſe iudicarunt quod committitur dum cibus iuſto tenuior quàm dum iuſto plenior exhibetur, contra uerò 2. de rat. vict. 19. & 37. ſentire videntur, cum aiunt, qui tota ptiſſana vtuntur magis lædunt quàm qui ſolo cremore, & qui ſolo cremore, quàm qui ſolo potu, & eodem libro aph. 37. dicebat Hipp. adiectioni multo minus ſtudendum eſſe quàm detractioni, cum ſubtrahere ſæpe numero expediat præſertim quando ſufficere poteſt donec morbus matureſcat. vbi Galen. admonet in quantitate uictus ſatius eſſe peccare in defectu quàm in exceſſu, & rationem reddit, nam quod exuberat noxas interdum inemendabiles facit, quod verò minus eſt, facile corrigitur, nam ſi videbimus ob cibi tenuitatem uires extenuari, & flacceſcere exiguũ cibi ſubminiſtrabimus.

Verum ſi in ventre abſorptus fuerit cibus, qui redundat, & ſuperfluit, ſi in alijs morbis hũc tollere eſt difficile, multo magis in acutis, quare videtur concludere Gal. ſi peccatum aliquod in ratione diætandi committendũ eſt, ad tenuitatem potius quàm ad plenitudinem eſſe inclinandum.

Vt ab hac apparenti contradictione, & inconſtantia uindicarentur au-

thores isti grauissimi, multi celeberrimi scriptores multa dixerunt, quorum omnium opinionem breuitatis gratia libenter prætereo, atq; illam, quā veram existimamus, in medium afferre non grauabor. Putarem itaque dicendum esse cum doctissimo Florentino victum tenuem, & pleniorem duobus modis considerari posse, vno modo facta comparatione ad totum morbum; hoc est, vt instituta victus ratio à principio morbi eadem seruetur usque ad finem; altero modo in relatione ad statum, ut scilicet à principio vno modo instituatur, & aduentante statu alio modo; si in instituenda victus ratione statum spectemus, in quo mutatio sit facienda, tunc dico si in morbo, siue acuto, siue longo, à principio tenuiori uictu usi fuerimus quàm opus sit, ita vt cogamur aduentante statu uictum immutare, atque paulo pleniorem exhibere, non esse dubitandum quin periculosior sit uictus paulò plenior in statu morbi acuti quàm chronici, & ratio est quia ex uictu pleniori uirtus auocatur à pugna contra morbum, seu causam morbosam; sed huiusmodi auocatio est periculosior in morbo acuto quàm in chronico, quare uictus plenior hoc modo consideratus est magis periculosus in acuto quàm in cronico, & hoc modo considerauit Galen. 2. de rat. vict. 19. & 37. quòd si vterque victus consideretur facta comparatione cum toto morbo, quemadmodum considerauit Gal. primo, Aph. 5. & primo ad Gla. 8. tunc dico victum tenuem non magnum afferre periculum, sed salutarem esse, modo vires hunc sustinere ualeant; in chronicis verò maxime periculosum esse, quoniam uires hunc sustinere non possunt; quare hominem cum morbo perimas est necesse si in hoc genere uictus à principio usque ad statum persistere uolueris; siquidem aut necesse erit intempestiuè uictus modum, & mensuram commutare, & pleniorem in statu exhibere, cum tamen aduentante statu non liceat grandiorem cibum offerre quàm prius, sed contrà potius uictus longe tenuior erit instituendus omni eo, qui in toto morbo fuerit oblatus, quod est omnibus morbis commune præceptum.

Quòd si in morbis acutis, in quibus uictus tenuis conuenit committatur error aliquis, quod quàm sæpissimè contingere solet, grauior est in tenui uictu quàm in paulo pleniori. Hipp. itaq; & Gal. ad diuersa respicientes diuersas, & veluti contrarias sententias protulerunt, in 2. namq; de rat. uict. morbi statum spectarunt, in primo ad Gla. 8. totum morbi circuitum, in quo tamen nullus error committatur. In primo, uero Aph. 5. spectauit errores, & ab erroribus argumentati sunt, & probarunt uictum tenuem tam in acutis quàm in chronicis esse periculosum magis quàm paulò pleniorem: quod etiam experientia comprobari potest in utroque genere morbi, nam siquis corripiatur morbo peracuto, cuius iudicatorius sit septimus, & instituatur à principio uictus ratio exacte tenuissima, quæ quidem sit, uel omnimoda inedia, uel melicrati potio, & uires non sint adeo robustæ, vt cum hac uiuendi ratione usque ad statum peruenire possint, proculdubio si obstinatè in hac diæta persistere uolueris ægrotantem interficies ob nimiam uirium exolutionem: quòd si errorem corrigere uolueris aduentante statu necesse erit pleniorem uictum exhibere, & sic quod

reli-

reliquum erit uirtutis ſuffocabitur, & extinguetur. In morbis verò tonicis ſi à principio victum plus iuſto tenuiorem conſtitueris ita tamen, ut æger cum hac viuendi ratione vſque ad ſtatum peruenire non poſſit; aut æger tandem morietur, aut neceſſe erit hanc victus rationem, & menſuram aduentante ſtatu commutare, & paulò pleniorem exhibere, ex qua tamen virtus non ita obruetur, neque ita ſuffocabitur, vt in acutis, cum ibi virtus ſit multo imbecillior quàm in chronicis. Error itaque in vtroque genere morbi efficiet, ut victus tenuis in acutis ſit periculoſior, quàm in chronicis, quamuis vtrobique grauius ſit peccatum, quod committitur in tenui victu, quàm in pleniori.

Quare cum à iuſta, & debita quantitate declinandum ſit, ante ſtatum paulò pleniorem potius, quàm tenuiorem cibum exhibeas oportet; vt in ſtatu ſubtrahere poſſis, non itaque perperam faciunt illi qui à principio lautius cibare ſolent, & in augmento aliquid ſubtrahunt, vt in ſtatu parum, aut nihil exhibeant.

Vtrum ſub alimonia res omnes non naturales comprehendantur, & quomodo. Cap. LXXI.

QVærunt, & alij vtrum per alimoniam, ſeu diætam, & victus rationem intelligere debeamus cibum ſolum, & potionem, an præter hęc res alias omnes non naturales, & ſi hæc ad diætam referuntur, quo pacto referri poſſunt, ac debent.

Huic quæſito, vt ſatisfaciamus cum Galen. 3. in 3. de vulg. morb. 9. dicimus per uictus rationem, ſeu alimoniam nos non intelligere tantum illam, quæ cibo, & potione conſtat, ſiue offeratur, ſiue non offeratur, (quando, & diætam appellat cum nihil omnino exhibetur) verum etiam, quæ alijs omnibus completur, cuiuſmodi eſt aer, ſomnus, & vigilia; motus, & quies, inanitio, & repletio; & animi accidentia: hæ ſiquidem omnes materiæ diæteticæ, ac neceſſariæ dicuntur: cur verò diæteticæ, ſeu alimentales, & neceſſariæ dicantur, & cur nec plures, nec pauciores medici propoſuerint, non eſt facile unicuique indicare; quare ad hanc veritatem inueſtigandam aliàs me mouit authoritas Clariſſimi viri præceptoris mei.

Sed, vt res clarior euadat illud imprimis nobis ſtatuendum eſt, has ſex res non naturales interdum ſubire uim rerum præter naturam, interdum naturalium; quandoque non naturalium, vt in lib. de rebus præter naturam demonſtrauimus. In præſenti uerò à nobis conſiderari ea ratione tantum, qua ſubeunt vim rerum naturalium, vt ſunt materiæ alimenti, ſeu materiæ diæteticæ, & propterea, vt vim habent cuſtodiendi virtutem ex cuius cuſtodia, cum vita quoque cuſtodiatur, hinc fit, vt eiuſmodi res non naturales materiæ indicati vitalis dici poſſint.

Verum inter has materias aliæ ſunt, ex quibus nutrimenta primo, &

per se generari possunt, quæ vere alimentorum materiæ dici debent, cuiusmodi est aer, & cibus; aliæ verò ea ratione dicuntur materiæ alimentorum non quia reuera ex ipsis tanquam ex materia subiecta fiant alimenta; sed quia vel sunt signa, & notæ generationis optimi alimenti, veluti est somnus, & vigilia, vel quia dicuntur causæ per accidens alimentorum, & plurimum conferunt ad hoc, ut uerę materiæ alimentorum naturam suscipiant, veluti motus, & quies, & animi accidentia; vel quia sunt causæ sine quibus non, veluti inanitio, & repletio: quoniam sine horum auxilio aer, & cibus alimentorum naturam suscipere nequeunt: quare eiusmodi res dicuntur materię diæteticæ, & victus nomen sibi uendicant, uel quia in nutrimentum reuera mutari possunt, vel quia rationem habent signi optimæ mutationis, vel quia per accidens plurimum conferunt ad hanc mutationem, vel quia sunt causę sine quibus non.

Eiusmodi itaque mutatio fieri necessario debet: fit autem per alterationem, in qua duo necessario desiderantur, quorum alterum est uis alteratrix, alterum est obiectum, quod alteratur, obiectum autem, quod hanc mutationem, seu alterationem suscipit est duplex aer nempe, ac cibus, sicut duo sunt, quæ maxime pro conseruatione uitæ custodiri debent, nempe spiritus, & sanguis, in quibus calor naturalis conseruatur, & sicut spiritus animalis omnium partium corporis substantiam tenuissimam obtinet, sic quoque obiectum quod illius nutrimentum (sic liceat appellare) erat futurum, omnium obiectorum tenuissimum esse debuit, qualem aerem existimare debemus: etenim spiritus animalis quemadmodum, & vitalis maxima ex parte, ex aere quodammodo nutriri, vel potius instaurari consentaneum est, ut docuit Galen. 7. de vsup. 8. ex quo tamen aere externo non est credendum, vt repente fiat nutrimentum familiare spiritui animali; sed necesse est, vt paulatim immutetur, & prius diuturniori tempore recipiat qualitatem innato spiritui familiarem, quam recipit per alterationem, quæ fit in carne pulmonis, tanquam in primo ventriculo, & instrumento, deinde sic elaboratus transmittatur ad arterias, atque ibi secundo concoquatur, & adhuc magis elaboretur, tanquam in secundo uentriculo, hinc uerò ad plexum retiformem ascendit, ubi tertiam concoctionem, & purgationem suscipiat, tanquam in tertio uentriculo; postremo ad cerebri ventriculos, poros, ac meatus mittatur, ubi vltimam perfectionem beneficio temperaturæ ipsius cerebri suscipiat, & spiritus animalis formam exactam, & perfectissimam assequatur. Ex quibus satis constat quanam ratione aer dicatur materia diætetica, seu materia indicati vitalis.

Quod autem dictum est de aere, idem dicatur de cibo, nam cibus ad hoc, ut fiat sanguis necesse est, ut concoquatur, & alterationem, seu mutationem suscipiat, immo antequam fiat cuiusque partis familiare alimentũ plures mutationes suscipere debet. prima quidem mutatio fit ex masticatione in ore, tanquam in primo uentriculo, altera in ventre, tanquam in secundo, tertia in venis, & carne iecinoris, tanquam in tertio: postrema, & perfectissima in singulis partibus corporis, tanquam in quarto. verum quoniam

niam cibus erat quid craſſius, quàm aer, & propterea non aptus ad diſtributionem, vt aer, ob id neceſſe fuit ad faciliorem diſtributionem, vt ipſi adhiberetur vehiculum quoddam qualis eſt aquæ, vel vini potus, quare potio fuit neceſſaria.

Conſtat itaque quare aer, cibus, & potus dicantur materiæ diæteticæ, ex quibus primo, & per ſe alimenta generantur.

Sed quoniam nedum obiectum, verum etiam vis concoctrix ad ciborum mutationem deſiderabatur, ob id ſciendum eſt hanc variam, & multiplicem eſſe debuiſſe, prout uariæ ſunt partes in quibus operatur, & agit in obiectum. Etenim in ore dicitur præparatrix, in ventriculo chilificatrix, in iecinore ſanguificatrix, in oſſe oſſifica, in carne carnifica, in corde vitalis, & ſic varias ſortitur appellationes ab opere, quod ab ea prodit: hæ autem facultates, vt recte, & ſecundum naturam operentur, & agant, neceſſe eſt, vt illarum inſtrumenta nullam uim, labem nullam, & iniuriam patiantur: & quoniam inter alia inſtrumenta ſpiritus & calor natiuus maximam dignitatem obtinent ex Galen. 3. de ſymp. cauſis 1. ob id procurandum erit, vt utriuſque ſymmetria conſeruetur, conſeruabitur autem non ſolum merito aeris, & cibi, verum etiam merito ſomni, & vigiliæ, nam ſi calor naturalis intro mouebitur excitabitur ſomnus, ſin foras vigilia; & ſicut immoderatæ vigiliæ nobis ſignificant calorem, & ſpiritus diſſipari, & propterea concoctionem labefactari, ſic immoderatus ſomnus ſignificat cerebrum refrigerari, & humectari, propterea calorem innatum ui frigiditatis marceſcere: ſpiritum verò animalem humiditate obrui, & veluti ſuffocari, & ſubinde facultatem animalem proprio munere fruſtrari, atque cum ea naturales facultates infirmari, quando ſimul omnes conſpirare, & compati conſentaneum ſit, quo fit, ut concoctio neceſſario perturbetur. Somnus itaque, & vigiliæ non propria ratione materiæ diæteticæ ſunt nominandæ, ſed quatenus ſunt ſigna, & notæ quæ ſignificant calidum innatum, & ſpiritus omnes, quæ ſunt inſtrumenta concoctionem adiuuantia, vel ſecundum naturam, vel præter naturam ſe habere: quare cum Gal. 5. & 6. de vulg. morb. 10. & 32. 1. de alim. fac. 2. & 3. de cauſis pul. 8. 1. aph. 15. 4. Aph. 67. 5. aph. 27. 3. de ſymp. cauſis 1. 4. de tuen. 12. 3. de rat. vict. ult. 12. meth. 5. & alibi paſſim dicat ſomnum meliorem efficere concoctionem, vigilias verò immoderatas ſpiritus ſecundum propriam ſubſtantiam corrumpere, & proinde concoctionem perturbare, & corpora graciliora, ac aridiora fieri; dicatis Galenum, & Hippocratem impropriè loqui, ut illorum mos eſt, quoniam ſomnus, & vigiliæ non ſunt cauſæ concoctionis, ſed ſunt ſigna, & effectus, ſeu accidentia, quæ concomitantur concentrationem, ſeu contractionem caloris innati, & ſpiritus animalis, vel vtriuſque profuſionem ad ambitum totius, ex quibus poſt modum ſequitur, vel bona, uel mala concoctio.

Sed quiſpiam hoc loco iure quærere poſſet, ſi ſomnus eſt cauſa concoctionis, & uigiliæ concoctionem impediunt, cur inter materias diæteticas ſomnum, & uigiliæ numerantur, nonne ſatis eſt ſomnum tantum numerare.

Cui quęsito, ac dubitationi sic satisfieri potest, si dicamus Galenum vtrunque nominasse, quemadmodum etiam inanitionem, & repletionem; motum, & quietem: quia horum neutrum per se conducit ad concoctionem; sed quatenus à suo contrario moderantur; & hęc fuit causa cur Galen. non munerauit alterum contrariorum tantum, sed utrunque simul, ut significaret utrorumque symmetriam esse causam concoctionis.

Quod autem inanitio, & repletio sic materia diætetica, & quomodo sit necessaria non erit difficile iudicare, si per inanitionem, & repletionem quid audiendum sit aperiamus. Non enim est existimandum per repletionem nos intelligere cibum, & potum, quoniam de hoc iam locuti sumus, quod si obiectum non intelligimus, necesse est, vt intelligamus actiones facultatum illarum, quæ concoctioni deseruiunt, ac famulantur, & sine quibus concoctio fieri non potest, hæ autem sunt attractio, retentio, & expulsio in quibus symmetria est conseruanda, vt concoctio optima subsequatur, alioquin si modum excedant, fieri non potest, quin concoctio perturbetur, & fiant causæ insalubres, per repletionem itaque attractionem, & retentionem audiamus, quæ ad implendum conducunt, per inanitionem expulsionem, quę plurimum facit ad inaniendum. necessaria est, itaque inanitio, & repletio ad concoctionem, quare non ab re materiæ dięteticæ nuncupatæ fuerunt.

Quod autem motus, & quies necessario inter materias diæteticas numerentur constat ex hoc, quoniam ad concoctionem celebrandam plurimum conducunt non per se; sed ex accidenti ea ratione, qua virtute illorum calor naturalis augetur, & conseruatur: quare si horum symmetria conseruabitur, calor naturalis custodietur, siquidem motio, & quies calorem naturalem excitant, & propterea corpora calefaciunt, & confirmant, vnde corpora nutriuntur, & pinguescunt ex Galen. primo. de sanit. tuen. 8. 2. de fract. 59. 2. de off. med. 32. & in art. med. 85.

Cum autem dico motum, & quietem hoc præstare, non intelligo motum per se, & separatim à quiete, sed utriusque symmetriam: nam motus per se, & quies sine motu non augent calorem naturalem, immo horum alterum nimis calorem naturalem rarefaciendo corpora calefacit, & exsiccat, & calor naruralis uaporosus redditus facile dissipatur, & absumitur, ex cuius consumptione uirtus naturalis proprio munere destituitur, vnde concoctio labefactatur: testatur hoc Gal. 4. aph. 32. & locis superius citatis: alterum uerò nempe quies calorem naturalem cum non excitet atque adiuuet, torpescit, & otio proprio marcescit, etenim substantia, quæ suapte natura mobilis est, & motu roboratur, ac uiget, si contingat, ut quiescat tabescit, ac ueluti moritur, ut docuit Gal. lib. de tremore, & palp. c. 6. quo factum est, ut Galen. 4. aph. 13. dixerit quietem nimiam corpora humectare, sicut exercitatio siue motus uim habet ipsa exsiccandi: cũ itaque calor naturalis ex nimio otio contabescat, non est nimirum si corpora humectentur, si uires officio proprio distituantur, si tandem membra tenuiora, & graciliora reddantur, quamuis sana existant, ut docuit Galen. 2. de

fract.

fract. 19. & quod uerum hoc fit experientia docet, nam si quispiam membrum aliquod, uel crus, vel brachium longo temporis spatio non exerceat tenuius, & gracilius altero fieri uidebis: quare symmetria motus, & quietis per accidens ad concoctionem plurimum confer-re putamus, ex quibus etiam constat cur materiæ diæteticæ, & neces-sariẹ dicantur.

Postremo loco erant animi accidentia, veluti est dolor, & tristitia, gaudium, & voluptas, curæ, anxietates, solicitudines, animi relaxa-tiones, & quæcunque sunt huius generis, quæ si quando inter se sym-metriam obseruabunt proculdubio calor naturalis uigebit, & optima concoctio celebrabitur: quòd si dolor, & tristitia superabunt, & con-uincent gaudium, & lætitiam, & uis illorum uehemens fuerit, nedum spiritum animalem facile resolubilem, & infirmum facient, verum etiam si subiti fuerint, ex suffocatione caloris iugulabunt, quemadmo-dum ingens gauduim, & uoluptas, quam περιχάρειαν Greci uocant, ex di-spositione eiusdem caloris, vt uoluit Galen. 12. meth. 5. homines quan-doque interficere potuerunt: & quod dicimus de dolore, & gaudio, idem de ceterís animi affectibus est dicendum, unum quodque enim horum accidentium suo contrario est temperandum, & moderandum, vt roborando calorem naturalem adiuuet concoctionem, & fiat materia diætetica.

Ex his itaque constat quomodo cibus tantum per se, & proprie dica-tur materia diætetica, reliqua uerò per accidens, & impropriè, ut pro-pterea cum de indicante uitali sermo sit nobis futurus in cibis exhiben-dis, & substantia, & quantitas, & qualitas etiam sit maxime confide-randa, quando reliqua huius solius gratia fuerint excogitata. Et quo-niam ex iam dictis habemus quid agendum tum genericum, tum spe-cificum, & appropriatum, cum manifestum sit virtutem indicare alimo-niam, seu remedium nutriens, cuius materia est alimonia, & vt posita est in spiritibus alimoniam desiderare substantia tenuem immo tenuissi-mam, ut in solidis crassam; ut in carnoso genere medio modo se ha-bentem; & quantitate, uel plenam, uel tenuem, uel commensuratam, prout virtus, vel robusta, uel debilis; vel id quod est præter naturam, vel magis, vel minus prohibet.

De recta administratione materiæ diæteticæ. Cap. LXXII.

AT dicet quispiam non satis est cognouisse cibum esse exhibendum, uel substantia tenuem, vel crassum, vel medio modo se habentem; vel augentem, vel minuentem, vel conseruantem; sed ad rectam diætan-di rationem aliud quippiam maioris momenti desiderari videtur, nam etsi notum sit cibum tenuem desiderari cuiusmodi est ex. g. ptissanæ cremor, uel mulsa, vel brodium caponis, vel quid aliud huiusmodi,

non

non tamen manifeſtum erit in qua quantitate hæc vel illa materia ſit offerenda, quo tempore, quo loco, & quo modo. & ſi quid per ſe notum fuerit, à quo tamen illud indicetur non ita manifeſtum erit.

Scio in hac re viros Clariſſimos, & ſcriptores multos titubaſſe, nec hactenus quippiam certi ab illis intelligere potui, in quo animus meus conquieſceret, quare opinionem aliam ab omnibus diuerſam ſecuti fuimus, de qua ſuperius ſatis ſuperque locuti fuimus; quam ſi quis habebit in memoria, res adeo clara, & manifeſta erit, ut nemo futurus ſit, qui certa quadam ratione, & uia tum quantitatem, tum occaſionem cuiuſque cibi exhibendi dimetiri non poſſit, nec non locum opportunum, in quo adminiſtretur; quando iam probatum ſit idem quod per ſe indicat quid agendum appropriatum indicare quoque per accidens rectam materierum adminiſtrationem. Hoc autem, ut ſenſui pateat ſtatuamus idem contingere in alimentis, quod in medicamentis, & quoniam in illis diximus ſummam, mediocrem, & minimam doſim obſeruari debere, ergo & in alimentis, ſiue adaugeant, ſiue conſeruent, ſiue imminuant vires, hoc eſt ſiue ſit tenuis, ſiue commenſuratus, ſiue plenior cibus, ut ex. g. ſi mediocris, & propterea conſeruantis uictus materia fuerit ptiſſana hordeacea, hoc eſt hordeum integrum coctum, non ſuccus, ſeu cremor, nam idem eſt Galeno 1. de rat. uict. tota ptiſſana, hordeacea ptiſſana, & ptiſſana ſimplex quibus ſignificat ptiſſanam non colatã: vel ſi fuerit caro pulli elixi, caro auium montanarum, oua ſorbilia, & quęcunque ſunt huius generis; horum ciborum, quemadmodum, & aliorum omnium doſis eſt ſtatuenda, & quidem communis, quę tamen variatur pro uarietate temperaturę, & habitus cuiuſque corporis, hanc autem temperaturam uariari pro diuerſitate ætatis, conſuetudinis, ſexus, uitæ inſtituti, aeris, & quæ aeris temperiem immutant, non eſt dubitandum, ſiquidem qui calidioris ſunt temperaturæ plus abſumunt quã qui frigidioris, hoc enim experientia comprobatur, ſiquidem uidemus Polonos, & qui ſeptentrionalem plagam inhabitant uoraciſſimos eſſe: recordor ego aliàs curaſſe Polonum quendam, & alios ab alijs curari, quibus pro tenui uictu coacti fuimus pullam gallinaceam totam concedere, quoniam dum erant ſani non minus quam ſex libras carnis ſolidioris comedebant. Quare medicus pro diuerſitate temperaturæ cuiuſque corporis uarias ciborum doſes æſtimabit; ne omnibus pedibus, idem calceus adaptetur; nos tamen, quam exiſtimamus communem, propoſita, quomodo, & à quo indicetur ex ſupradictis demonſtrabimus, & primo ptiſſanam hordeaceã, ſeu integrum hordeum partiemur in ſummam doſim, mediocrem, & minimam, & ſummam doſim ſtatuemus quantitatem ad libram, mediocrem ad octo uncias, minimam ad quatuor; carnis uerò pulli ſummam doſim faciemus ſemilibram, mediocrem uncias tres, minimam vnciam unam, & ſemis; idem de carne auium montanarum dicemus: quòd ſi oua ſint adminiſtranda ſumma doſis erunt uitelli numero tres, mediocris duo, minima unus: quare unuſquiſque medicus definiat ſibi ſummam mediocrem, & minimam doſim cuiuslibet cibi, ſiue cibus ille ſit mediocris, & commenſuratus, ſiue plenior, ſiue tenuis, ſiue ſit exquiſità tenuis, ſiue tenuisſimus,

mus, siue exactè tenuissimus, siue sit medicatus per se, siue per accidens.

Proposita sibi cuiuslibet cibi, hac triplici dosi, tunc confugiendum est ad indicans uitale appropriatum, nempe ad uirtutem in corpore ex. g. febri tertiana exquisita correpto, nec non ad materiam, quæ febrem hanc inducit, & primo ante oculos in arte curatiua tibi proponenda est materia, quæ facit febrem, quę perpetuo sui concoctionem, & euacuationem, & propterea totam naturam huic vni rei studentem desiderat, quo fit, ut huiusmodi materia semper cibi oblationem prohibeat; secũdo loco tibi cõsideranda est uirtus, nũquid adeo robusta sit, ut talẽ inediam usque ad iudicationem sustinere possit, & si obseruabis quemadmodum in huiusmodi febribus obseruare licet, statum, seu febris vigorem non adeo breuem futurum, ut eiusmodi inediam sustinere ualeat, quæ dicitur victus exactè tenuissimus, neque uictum tenuissimum, sed talem, ut exactè tenuem sustineat, tunc ea cibaria tibi parabis, quæ febricitanti familiaria, & maxime gratissima esse solent, quoniam consuetudo maxime potest, repentinaque digressio non parum offendit corpora, & præsertim ægrotantium, ut monuit Galen. 2. de rat.uict. 33. etsi hoc tempore propter lautam uiuendi rationem existimabis ptissanam integram pullum elixum, oua sorbilia, aues montanas, atque id genus alia inter cibos tenues numerari posse, & sic in genere uictus tenuis collocanda, horum omnium inspecta dosi interdum summam, quandoque mediocrem, nonnunquam minimam administrabis, hoc autem tibi demonstrabit uirtus appropriata, uoco uirtutem appropriatam, quando omnibus conditionibus, quibus definiri potest, circunscripta fuerit: quibus æstimatis si uirtutem satis robustam obseruabimus, tunc ad febrem, seu ad materiam febrem excitantem totum studium conuertemus, in eaque considerabimus totius febris tempora, ut cognoscamus quando uigor sit futurus atque principium ab augmento distinguamus, quibus perspectis atque diligenter pensitatis, cum iam intelligat medicus propter materiam ipsam concoquendam, & euacuandam coactum esse uictum illum tenuem exhibere semper summam dosim exhibebit, siue febris sit in principio, siue in augmento, siue in statu: verum si considerabit in quibuscunque rebus modum esse seruandum, qui semper præscribitur virtute illius quod prohibet, modum adhibebit in perquirendo, quid agendum appropriato, quare magnitudinem, seu uim materiæ morbosæ considerabit; & quoniam materia, quæ facit febrem interdum magis, interdum minus uiget, magis', & minus cum natura pugnat, & illius ope magis, & minus indigere; hæc omnia summa cum diligentia sunt medico animaduertenda, & quoniam obseruamus à principio morbi materiam in huiusmodi febre, plerunque non tumultuari, neque cum natura strenuè pugnare, ob id, neque ita prohibere iudicabimus, quo minus victus tenuis exhiberi non possit, cui summa dosis, uel ptissanæ integræ, uel carnis pullæ elixæ, uel alterius cibi satisfaciet, in augmento uerò, quoniam tunc incipit pugnare cum natura, ob id medicus iudicabit magis prohibere, quàm antea uictum tenuem in summam dosi administratum, quare uictus quidem tenuis administrabitur, sed mediocris dosis usurpabitur;

at in ſtatu cum omnia ſint in ſummo, & maxima ſit pugna naturæ cum morbo, ſeu materia morboſa, victum tenuem in ſumma, & mediocri doſi prohibebit, non aũt in minima: virtus itaque appropriata dum indicat, quid agendum appropriatum, per accidens quoque indicat quantum agendum, & ubi cognoſcimus quale, & quantum ſimul, & ſemel cognoſcimus quando, & vbi agendum, in quibus omnibus modus ſeruari debet; dum itaque cognoſco uicta tenui vtendum, & cognoſco materiam morboſam non prohibere, colligo quantitatem formalem ciborum, & per accidens quantitatem materiæ adminiſtrandæ, quæ quantitas materiæ in cibis, ita coniuncta eſt cum quantitate formali auxilij vitalis, ut niſi uerbis, ac terminis logicalibus, ſeu dialecticis putidisque uix exprimi poſſit; quod verò dictum eſt de virtute robuſta in febre tertiana, idem dicendum de eadem in quolibet morbo à materia producto, in quibus uirtus moderato, ſeu commenſurato uictu ſemper eſſet cuſtodienda, & ſumma doſis exhibenda niſi cauſa morboſa quantitatem illam quodammodo moderaretur, ac temperaret; & quoniam interdum euenit, ut virtus ſit admodum imbecillis, & propterea opus ſit, ut augeatur, ſeu robuſtior reddatur, uel ſaltem qualis inuenta fuerit talis conſeruetur, ac tueatur, & cauſa morboſa adeo urgeat, ut illius ratio maxima ſit habenda, hinc fit, ut acri opus ſit iudicio, & prudentia ſingulari: modus itaque tunc temporis adhibeatur oportet, & ſumma doſis, quam uirtus illa, ut vel augeatur, uel conſeruetur oſtendit, erit partienda, ut quod ſemel fuiſſet exhibendum duabus, uel tribus uicibus exhibeatur.

At quomodo quantitas auxilij uitalis, quod eſt quid agendum appropriatum, & quantitas determinata materiæ exhibendæ intelligi poſſit, non uideo, ni ſimul, ac ſemel, ut ſupra diximus cognoſcamus etiam tempus, quo exhiberi debet: etenim cum cognoſco ſummam doſim exhibendam eſſe à principio, mediocrem in augmento, minimam in ſtatu, & hęc tempora latitudinem habeant, quando in his fiant acceſſiones, rurſus adhibeo modum, & conſidero, an in principio acceſſionis, an in acceſsione, an multo ante acceſsionem; cum acceſsio ſit illa, quæ materiæ motum deſignat magis peculiarem, & cum obſeruo uirtutem minus defatigari in exornanda, ſeu concoquenda, & euacuanda materia ante acceſsionem, quàm in acceſsione, tunc uirtutem hoc modo appropriatam dicimus indicare victum tenuem ante acceſsionem exhibendum, nec quouis tempore hoc indicat ante acceſsionem, ſed tunc temporis indicat huiuſmodi uictum, quando cauſa morboſa non prohibeat, non prohibet autem per quinque horas ante acceſsionem: ergo tunc temporis uirtus uictum hunc indicabit, quòd ſi hoc tempore indicabit, indicabit quoque per accidens, hoc tempore materiam alimentalem eſſe adminiſtrandam: non poſſumus itaque quantitatem formalem auxilij uitalis cognoſcere abſque cognitione temporis determinati.

De loco, & eius modo ita manifeſtum eſt, vt hac in re non ſit diutius immorandum: etenim quis eſt ille, qui non intelligat cibaria, ob eam cauſam offerri, ut id quod uel ex ſpiritibus, uel partibus ſolidis, uel car-

nosis

nosis absumitur refici possit, & cibaria in horum corporum substantiam commutari non posse, nisi prius in partibus nutriendis, & instaurandis familiaritatem contraxerint, & ijsdem similia facta fuerint, & ob eam rem multa præparatione, & longiori concoctione indigere, ad quam concoctionem celebrandam, quæ quotue sint necessaria superius satis superque demonstrauimus. Non est itaque, ut diutius laboret medicus dum ægrotantes nutrire studet in cibis, vel applicandis partibus externis, vel in internas inijciendis, vbi concoctio, & prima, & secunda, & tertia celebrari non potest: quare clysteres quo pacto nutrire possint non video, quando si cibus debet nutrire necesse sit in ventriculo, iecinore, & venis moram aliquam trahere, vt placuit Galeno 3. de temp. 1. & 1. de fac.natural. 10. at quæ per sedem infunduntur ad ea, quæ vicina sunt ventriculo subire non possunt ex Gal. 5.meth. 11. Neque ab hac sententia nos auertit, quæ scribit Galen. 2. per loca 1. sub finem, ubi admonet reuulsionem à capite validis clysteribus fieri, & quæ circa ventrem, & mesaræum, & sima iecinoris euacuari, immo in quibusdam clysteres in uentrem subire, ita ut euomant illos, quemadmodum 3. de symp.causis idem testatum reliquit, quoniam hisce in locis Galen. de clysteribus validioribus, & acrioribus, atque naturæ inimicis locutus est; nam si clysteres illi essent familiares, & benigni, qualia debent esse, quæ uim habent nutriendi, ab intestinis uiolenter detrudentibus sursum non ascenderent. Præterea clysteres non continuo, neque semper ad ventriculum ascendunt; sed solum quando intestina afficiuntur, ut cum inferne constringi cæperint ea, quæ in ijs continentur: sursum ferantur, ut ibidem monuit Galen. ex quibus satis constat clysteres, dum ad ventriculum ascendunt, id præter naturam contingere. Verum etiam si motus ille secundum naturam esset, non tamen clysteres vim haberent nutriendi, neque nutrire possent, quoniam cum per intestina pertranseant, necesse est, ut prauam secum qualitatem suscipiant, & harum portionem aliquam assumant, quod cum ita sit virtus expultrix irritabitur, qua irritata, vel uomitus sequatur est necesse, vel vt iterum ad inferiora propellantur, quare cum in uentriculo non commorentur, nutrire non possunt, locus itaque opportunus cibi administrandi erit os superum, vt in ventriculum descendat, atque inde ad iecur, ut tandem ad singulas corporis partes distribuatur.

Epilogus. Cap. LXXIII.

SVperest, vt breui quodam Epilogo concludamus totam artem curatiuam nihil aliud sibi proponere inuestigandum, quàm quid agendum specificum, & appropriatum, quòd nihil aliud est, quàm formula, & exemplar, quo inspecto dexter materierum vsus cognoscitur; hoc autem circunscribitur, ac definitur tum qualitate, tum quantitate, in quibus tempus, & locus comprehenditur, & in his omnibus modus, ratio, & regula, seu iusta, ac debita mensura obseruatur, qui modus prodit ex comparatione facta inter indicantia, & prohibentia. Hæc autem indicantia per se nume-

ro sunt

ro ſunt tria morbus, cauſa, & uirtus totidem inhibentia; quæ ſi finem communem ſpectemus omnia curatiua debent appellari; ſin particularem, & proprium, morbus curatorium; cauſa pręſeruatorium; virtus uitale nominabitur; atque in his omnibus hic ordo obſeruabitur, vt indicantia uera, & propria, quę iam dicta ſunt per ſe indicent, quid agendum, vel genericum, vel ſubalternum, vel ſpecificum, & appropriatum, ſiue ſit artificioſum, ſiue artificio careat; ſiue utile, ſiue inutile; per accidens verò rectam materierum demonſtrationem: reliqua omnia, quęcunque in arte curatiua conſiderantur, uel ſunt ſigna, & ſic indicantia, vel prohibentia per accidens; vel materiæ, uel additamenta: & hæc de indicationibus dicta ſint.

FINIS.